This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Digitized by Google

1534

Digitized by Google

Frider. Aug. Menke
1827.

870.1
C 377
W15

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

1638-1707

CHRISTOPHORI CELLARII DISSERTATIONES ACADEMICAE

VARII ARGVMENTI,

IN

SVMMAM REDACTAE

Cura et Studio

IO. GEORGII WALCHII,

Qui et

DISSERTATIONEM DE AVCTORIS VITA ET SCRIPTIS,

Item

INDICES COPIOSIORES ADIECIT.

LIPSIAE,
Sumptibus IO. LVD. GLEDITSCHII
ANNO MDCCXII.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRIS
SVMMEREVERENDO,
MAGNIFICO ATQVE
AMPLISSIMO
DOMINO
CHRIST. FRIDERICO
BOERNERO,
SACRARVM LITTERARVM
SVMMI NOMINIS DOCTORI,
EARVMQVE EXTRAORDI-
NEM, ITEM GRÆCÆ AC ROMANÆ
LINGVARVM PVBLICO PROFESSORI
ACADEMIÆ LIPSIENSIS SPLEN-
DIDISSIMO:
ET
CONSVLTISSIMO, EXCEL-
LENTISSIMO ATQVE AM-
PLISSIMO
DOMINO
GOTTF. CHRISTIANO
GOETZIO,
I. V. D.
PRÆTORI ET BIBLIOTHECAE SENA-
TORIÆ LIPSIENSIS PRÆFECTO CE-
LEBERRIMO:

Digitized by Google

ET

PRÆNOBILISSIMO,

CONSVLTISSIMO ATQVE

EXCELLENTISSIMO

DOMINO

IO. BVRCHARDO

MENCKENIO,

I. V. D.

CONSIL. ET HISTORIOGRAPHO REGIO, NEC NON HISTORIARVM PROFESSORI PVBLICO AC SOCIETATIS REGIÆ BRITANNICÆ SOCIO,

PATRONIS MEIS

OPTIMIS

S. P. D.

IO. GEORGIVS WALCHIVS.

Digitized by Google

Latin
Baer
3-10-24
9833

Miramini, credo, cur ſplendida nomina VESTRA libro huic præfigere & illum VOBIS ſacratum dedicatumque voluerim. Mirari deſinite, quum non e longinquo ra-

Digitized by Google

tiones repetendæ ſunt, quæ viam conſiliis meis, quæ iam exſequor, aperuere. Meretur hoc gloria VESTRA, quam ex litterarum ſtudiis conſecuti eſtis: quarum Vos maximos admiratores atque auctores orbis eruditus veneratur. Princeps eſt elegantioris, eiusque humanitatis litteraturæ, quem hæ diſſertationes, quas VOBIS ſubmiſſe offero, parentem ac conditorem præſe ferunt. Cum quo quum VOBIS communis gloria eſt, dum litterarum ſtudia in maiorem locum promouere, VESTRVM delicium atque vnicam voluptatem eſſe conſtat; quem VOBIS iam præferre poſſim, certe inuenio neminem. TV es quippe, CL. BOERNERE, qui opima ſolidæ eruditionis, non dico per Germaniam, Italiam puto, Angliam, Galliam, ceteras fama frueris, ac quem humaniores

Muſæ

Digitized by Google

Muſæ ſtatorem ſummum admirantur. In primis Lipſia, omnis nitidioris eruditionis domicilium, merita TVA nunquam abunde prædicabit, cuius principem rei litterariæ nec mediocre ornamentum quisque TE vno conſenſu iudicant. Nec VESTRAE, celeberrimi GOETZI ac MENCKENI ingenii virtutes in obſcuris verſantur, quæ potius conſpicuæ ac prænitentes totum litterarum orbem in VOS conuertunt, omnesque vel ad ſubmiſſionem, vel beneuolentiam vel mirificum amorem erga VOS excitant. VOS amauerunt ſummi viri, & adhuc amant, quotquot elegantioris litteraturæ cultores nonmodo in Germaniæ oris, ſed aliis quoque, iisque disiunctisſimis ſunt regionibus. Ad hæc, aliæ ſingulares cauſſæ me circumſtant, quas quo-

Digitized by Google

minus ad præſens altius repetam, ac publice omnes exponam, partim quæ ineſt VOBIS modeſtia, partim ſeue ſcribendi genus meum impedit. Ex quo in hac Academia, nobili ingenuarum artium omnisque liberalioris doctrinæ emporio, litteris humanitatis intentius operari cœpi, honeſte quoque de his ſtudiis meis amplificandis cœpiſtis ſentire. Tant omnino VESTRA erga me ſun merita, vt mihi nihil antiquius, quar vt omnem occaſionem circumſp ciam, qua grati animi & tam ben uolæ propenſæque voluntatis V STRAE pignoribus obſtricti ſig atque indicia edere poſſim. Vn hoc monumentum, licet alieno ſt dio, ſummi quippe CELLAR conditum extare volui: rogo ob ſtorque, vt iſtud more VESTR

hoc eſt benignius reſpiciatis. Doleo quidem multis nominibus, quod culpam pietatis meæ ære alieno perſoluam; ſed ſpei immineo, fore, vt, quæ VESTRA eſt mirifica benignitas, de hoc gratæ mentis monimento bene cogitetis. Seruet VOS ſummum numen ſaluos atque incolumes, & concedat VOBIS inconcuſſam valetudinis proſperitatem, quo Muſis elegantioribus atque omnium bonorum deſiderio; VOBIS denique ipſis ſplendidæque VESTRAE familiæ abunde ſatisfacere poſſitis. Sic Academia noſtra, quæ ampliſſimis meritis VESTRIS ſatis abundat, de VOBIS mirum in modum lætabitur, & poſthac patrocinium contra barbariem, contemtum & malignorum ſtuporem exſpectabit. Sic mea humanitatis ſtudia in amore & beneuolen-

tia

tia VESTRA inpoſterum adquie-
ſcent, & in VESTRO patrocinio,
ſi a DEO atque parentibus diſceſſero,
omnem ſpem meam mearumque lit-
terarum collocabo. Bene valete &
agite proſperrime. Lipſiæ d. XIX
Febr. a Ch. CIↃIↃCCXII.

LECTORI FELICITATEM IO. GEORGIVS WALCH.

Qui monumenta ſummi cuiusdam viri, poſt eius e vita exceſſum, ſiue adhuc inedita, ſiue nouo tantum habitu veſtita atque ornata in lucem publicam emittunt, plerumque in præfationibus operibus præmiſſis in egregias auctoris laudes eiusque merita latius excurrere adſolent. Quibus ſeculi noſtri moribus quamquam me accomodare, ac idem præfaminis argumentum ſequi poſſem: alia tamen ſcribenti mihi ſe offerunt, quæ cumprimis præmonenda videntur, ac CELLARII, conſum-

matis

matiſſimi viri, laudes ad peculiarem tractationem reſeruare iubent. Vt iniquis & malignis cenſoribus occurram, quaſi aliena opera nominis mei gloriam affectarem, neceſſe erit, vt tibi, lector amice, publice cauſſas exponam, quibus adductus, diſſertationes has in ſummam collectas vnoque iunctas faſciculo publici iuris feci. Qui mihi de inſtituto hoc animus, quodue ſtudium fuerit, vel tacente me, ipſæ diſſertationes ediſſerent, quippe quæ ob rerum, quas erudite declarant, præſtantiam ſi porro diſtrahantur, omnino in elegantioris litteraturæ diſciplinas iniurioſum eſſe crediderim. Commendabiles ſunt rerum elegantia, quas CELLARIVS e diſciplinis hiſtoriarum tam ſacrarum, quam humanarum, geographiæ, philologiæ petiit, & more ſuo, ideſt prudenter, docte atque qui conſenſus erit omnium accurate pertractauit. De ſcribendi forma & ſtyli nitore nihil dicam, quo auctor noſter ita excelluit, vt quicquid latini ſermonis elegantiæ & puritatis noſtra ætate habeamus curæ, labori, ſtudio atque induſtriæ ſuæ quum de omni barbarie proſcribenda ſollicitus fuit, debeamus. Quo factum eſt, vt quisque, qui litterarum humanitatis artes amat, non ſolum noſtræ ſed longe quoque

Digitized by Google

a nobis disiunctarum regionum has diſſertationes ſummo ſtudio conquiſiuerit, easque mirifica animi voluptate ſemper perlegerit. Sed quum multi aliarum terrarum, vel noſtræ interdum de fortuna conqueſti ſunt, quæ ſibi illas omnes exercitationes euoluere, dum mira earum ſit paucitas, inuideret; excitatus ſui, quidquid huius editionis eſt, ſuſcipere. Quod meum propoſitum poſt aliorum hortatu & conſiliis, quibus mihi ſubuenerunt, ita confirmatum eſt, vt ipſum factum adiungere & multorum deſiderio ſollicito ſatis facere haud dubitauerim. Conlegi itaque, quidquid reperire potui, ita vt nullam illarum intercidiſſe putarem, ſaltem ex induſtria prætermiſſam eſſe, quæ caſu & fortuna me quærentem ſubterfugerat. De earum numero & ordine, quem ſecutus ſum, plura in diſputatione de CELLARII vita & ſcriptis addita monui, ne quibusdam materiam iniquæ cenſuræ reliquiſſe me videar. Appendicem adieci duarum, quarum prior *de Excidio Sodomæ*, poſterior de *Pathmo Lutheri in arce Wartburg prope Iſenacum* agit: quippe quæ eo nomine vltimum locum occupant, quia non opera Cellarii, ſed eorum, qui reſponderunt, conſcriptæ ſunt. Tu vero, lector benigne, vale.

Digitized by Google

vale & quicquid in hoc opere præſtiti, id affectui ſingulari erga publicum bonarum litterarum commodum, quæ rei eſt veritas, adnumera. Vanus eſſem & imprudentiæ proximus, ſi per aliorum operas gloriam & famam nominis conficere, aut ſummorum virorum beneuolentiam excitare vellem. E-recta & boni ſibi conſcia mens mihi ſufficit.

Iterum bene vale B. L. & ſtudiis noſtris faue.

Digitized by Google

DISSERTATIO
DE
VITA ET SCRIPTIS
CHRISTOPHORI CELLARII
CONSCRIPTA
A
IO. GEORGIO WALCHIO.

QVum aliorum virtutes, non ſoli eorum commodo & gloriæ inſeruiunt, ſed aliis quoque egregios fructus adferunt, maximam omnino illi vtilitatem præ ſe ferunt, qui exemplis clariſſimorum virorum, in moribus formandis & corrigendis plurimum effici poſſe, ſibi vnice perſuadent. Annæus Seneca in aureis ad Lucilium epiſtolis admodum prudenter putat, ad virtutem comparandam *longum iter per præcepta eſſe, breue & efficax per exemplum.* Cuius ſententiæ proxime Liuius accedit, quum in proœmio ait: *Hoc illud eſt præcipue in cognitione rerum ſalubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illuſtri poſita monumento intueri: inde tibi tuæque reipublicæ,*

quod imitere capias; inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites. Etenim, vt Panegyriſta Plinius præclare ſenſit, *melius homines exemplis docentur, quam præceptis, quia id illa in ſe boni habent, quod approbant, quæ præcipiunt, fieri poſſe.*

Nemo itaque mirabitur, ſi CHRISTOPHORI CELLARII, elegantioris litteraturæ principis, in Academia regia Friedericiana Halæ antiquitatum & eloquentiæ Profeſſoris, memoriam, & honore & æſtimatione digniſſimam, renouemus. Prout enim perfectum non ſolum ſummæ eruditionis exemplar fuit, ſed virtutum quoque animi ornamentum, ſic emolumentũ plena ſpe expectare poſſumus, quum eius exemplum conſiderate ac ſtudioſe intuemur. *Smalcaldia* eſt, vbi Cellarius noſter primam lucem aſpexit, vrbs, cui fœdus, quod vocant, *Scmalcaldicum*, ibidem conſcripti articuli, frequentia ferri fodinarum nomen celebratiſſimum & longam memoriam conciliarunt. Quæ Scmalcaldia, quum Cellarii genitale ſolum appellatur, omnino ſibi de tanto viro, qui ex ea prodiit, gratulari poteſt, quia perpetua Cellarii gloria famam illius ſibi comitem quaſi conſtituet. In hac vrbe, nunc famæ ampliſſimorum oppidorum ſimili, anno reparatæ ſalutis MDCXXXVIII. d. xxII. Non. bona

ac fe-

ac felici omine in lucem hanc editus fuit. Patre vſus eſt *M. Chriſtophoro Cellario*, grauiſſimo & doctrina clariſſimo apud Smalcaldienſes ſacri coetus epiſcopo, & matre *Maria* ex *Ioachimo Zehnero*, nominis magni theologo, ſacrorum per principatum Hennebergicum antiſtite, ann. MDCV. d. XXI. Nou. nata, cum qua parens MDCXXX. d. XVI. Iun. matrimonii foedus inierat. Qui ſpectabilis *Zehnerus*, eximium Cellarianae familiae decus & ſplendor, Themarae ann. MDLXVI. d. XXVIII. April. ſuſceptus eſt, & ampliſſimis functus muneribus, ac Ienae doctor ſacrarum litterarum propediem renunciandus ann. MDCXII. d. XXIX. Maii diem ſupremum obiit. Auus fuit *M. Chriſtophorus Cellarius*, qui litteris ſapientiae excellens Dialecticam, quam vocant, Gymnaſio Lauingano publice perdocuit, debitaque naturae ſuae ann. MDCXXV. natus annos LX. perſoluit. Proauus eſt ille politioris litteraturae ſummus vindex & diligens cuſtos *M. Iacobus Cellarius*, quippe qui doctrinam morum & artem loquendi in eodem Lauingae inluſtri Lyceo magna oris ſuauitate docendo tradidit. Hic eſt Iacobus, vir in humanioris litteraturae ornamentum natus, cuius opera *Nizolii Theſaurus M. Tullii Ciceronis* recogni-

tus, multis acceſſionibus locupletior, a
maiore nitore ſplendidior in lucem publican
prodiit. Parentem, noſtri Chriſtophori aba
uum, *Iacobum* Keller habuit, ciuem Auguſta
num, virum virtutis ac pietatis exemplis in
luſtrem, e cuius ſanguine ann. MDXLII. na
tus Deo animam ann. MDCV. tranquillo ex
ceſſu reddidit. Hæc prima pars erat, ne
minima quidem temporariæ felicitatis, quam
Dei munere Cellarius noſter per vitæ ſpatium
percepit, quod non ex vltima, ſed inluſtri ſti
pe nobilique familia originem ſuam trahe
potuerit. Maius tamen cenſere velim bene
ficium, benignitate naturæ largiſſime in eu
collatum, quum illum felici ingenio, pulc
atque eleganti corpore exornatum effinxer
Tanta enim fuit ingenii eius dignitas, vt ſt
tim a primo ætatis tempore tam clara ſig
ederet, quæ futurum ſumme eruditum virum
reique litterariæ columnam promitterent. A
tas quidem prima eius in tempora illa incid
bat, quibus Germania adhuc acerrimo g
viſſimoque tricennali bello concuſſa, ad
gebatur, & tot præſtantiſſimarum artium
doctrinarum officinæ, tot pulcerrima Mu
rum domicilia euerſa & lacerata iaceba
Accedit, quod infans vix trium annorum

 tr

trem in optimo ætatis flore amiſerit, qui filio ad maxima litteraturæ negotia nato, conſiliis amantiſſimis, & pro more eruditi piiſſimique parentis ſubuenire potuiſſet. Sed prout Deus, quæ eſt ſua prouidentiſſima cura, eos, quos in lucem protrahere, deſtinauit, non modo adverſis & turbulentis caſibus adficere, ſed iis quoque magnum ſimul & ſumma ſpe firmum animum adſpirare ſolet; ſic eandem numinis benignitatem Cellarius noſter abundè expertus eſt. Excitauit enim Deus præter curam matris, quæ nihil muliebre, præter corpus gerebat, alios, qui optima eius indole animadverſa, illum honeſtiſſimis liberalium artium ſtudiis deſtinabant. Quum ergo illa pars ætatis acceſſerit, quæ bonis litteris capiendis matura, Smalcaldienſe Lyceum frequentauit, ibique generoſo diſcendi ardore æquales ſuperauit, ac clarior illis ſplenduit. Præceptores habuit doctos & ſapientes, quorum princeps *Ioannes Schmidtius*, Rector nominari meretur, qui Noſtri tam bonam, capacem, perſpicacem, morigeramque ingenii atque animi indolem voce, præceptis atque exemplis iuuabat. Sub huius clariſſimi viri diſciplina ad accuratiorem græcæ latinæque linguarum, aliarumque artium ingenuarum co-

gnitionem peruenit, adeo, vt XVIII. annos natus, qui his litterarum fundamentis maiorem, eamque academicam molem ſuperſtrueret, dignus haberetur. Academia Salana tunc magnos & in omni genere litterarum exercitatos viros poſſidebat, quam ideo anno MDCLVI. fauſtis auſpiciis ingreſſus, Muſarum elegantiorum ſuarum domicilium ac ſedem elegit. Hic non vulgi more lectiones academicas tractauit, aut perfunctorie ſtudia aggreſſus, ſed primum litteris humanæ, deinde ſanctæ ſapientiæ animum ſuum mancipauit. Quo ſtudia tam ſacra, quam humana ad veram frugem perducere poſſet, linguis variarum terrarum, quæ reliquis diſciplinis robur & munimentum dant, penitus imbibendis induſtriam & eximiam indolem admouit. Ad reformandum ſermonem latinum deſtinatus, Romanorum litteris, duce *Io. Andrea Boſio* operam omnem addixit, adeo, vt poſthac eam ſibi famam exinde confecerit, quæ non intra Germaniæ moenia concluſa, ſed iisdem, quibus romana lingua ſpatiis peruagatur. Cuius induſtriæ complura edidit teſtimonia, quum inſtaurationem Romanæ orationis in ſe ſuſciperet, & partim dictiones incuria proſcriptas, ex exilio in priorem dignitatem reſti-

tueret,

Digitized by Google

tueret, partim ſuſpectas e ciuitate Romana exturbaret. Præter hanc linguam Græcorum quoque ſummo mentis ardore proſecutus eſt, quia in memoria eius impreſſum erat, Græcæ linguæ ignarum ne elementa quidem latinitatis callere, ſiquidem neque veterum ſcribendi rationem obſeruare, neque etymologiam aut notionem verborum tueri poſſit. De Ebræorum aliisque linguis, quas oriens ſibi familiares fecit, vt Chaldaica, Syriaca, Arabica, Samaritana, monumenta quæ edidit, teſtari poſſunt, quantam illarum ſcientiam ac peritiam ſibi acquiſiuerit. Namque vſus eſt ſolidis atque accuratis inſtitutis, ſummi viri *Friſchmuthi*, qui ſanctiori litteraturæ eiusque linguis lucem ſplendidam attulit, atque illius incrementa mirum in modum ampliauit. Hæc erant ſtudia linguarum: quibus eloquentiam ſeu artem dicendi adiunxit, quam ex fonte clariſſimorum Rhetorum, quibus tunc Iena florebat, penitus exhauſit. In cuius eloquentiæ ſtudio, quia illius ſingulari amore ducebatur, eos fecit progreſſus, vt poſtea os eius fulgentiſſimum omnibus, vel ſummis terrarum Principibus, in quorum frequentia ſæpiſſime forti atque excelſo animo declamauit, in deliciis fuerit. Proſtant *Programmata varii*

argumenti oratoriis exercitiis in Citicenſi Lyceo præmiſſa, quæ abunde demonſtrant, quam ſtudioſe fidei eius commiſſos in dicendi facultate inſtituerit. Vt laborem, quem præfectus aliis ſcholis in exercitia oratoriæ artis contulit, ſilentio dimittam, ſeptuagies in auditorio Cizenſi rhetorum actus inſtituit, aliisque magiſter eloquentiæ fuit. De orationibus, quas ipſe cæleſti atque diuino ore recitauit, haud medjocri eruditione, grauitate, elegantia, ſapientia claris plura infra in indice de ſcriptis eius ediſſeram. Ne autem hæc eloquentia, quam ſtudioſe excolebat, vana, dilacerata, atque imbellis maneret, & quum ipſe agnoſceret, quod multa ad perfectam orationem concurrant, & cum illa commercium habeant, ad philoſophiam, eamque ſaniorem mentem direxit. Clariſſimum tunc philoſophum, poſtea ſummum Theologum, *Friedemannum Bechmannum*, præceptorem elegit, cuius diligentia & conſiliis fideliſſimis ad pleniorem & vberiorem ſapientiam prouehebatur. Nugaciſſimis nugis haud immoratus eſt, quæ plus vanitatis, quam vtilitatis continent, & bonæ tantum mentis onera, quæ turbata atque affectuum motibus concuſſa, nequaquam ex illis tranquillitatem accipit, ap-

pellari

pellari, morentur. Quamquam ſic Cellarius præmium mirificæ ſuæ induſtriæ accipere potuiſſet: ad vberiora tamen, quæ erat ſolertiſſima naturæ eius indoles, & maiora eruditionis contendebat. Hinc anno MDCLIX, Iena ad Gieſſam ſe contulit, ſeque inprimis fidei atque ſummæ eruditioni *D. Petri Haberkornii*, Profeſſoris primarii, ac Superattendentis commiſit. Cuius ductu omnes theologiæ diſciplinas pertractauit, iisque ita animum imbuit, vt anno MDCLXI. d. xxv. Ian. præſide eo diſputationem publicam de *infinito valore meriti Chriſti* habuerit. Voto hoc, quod vnicum erat, vt ſcientiam quoque litterarum ſacrarum conſequeretur, adimpleto, Ienam repetiit, & litteris ſpientiæ indefeſſam diligentiam addicere continuauit. In primis ſtudiis Matheſeos, quia vtilitas eius latiſſime patet, & magnam cum ceteris litterarum diſciplinis affinitatem habet, inuigilauit, & beneficio *Weigelii*, celebratiſſimi viri, cuius ſcholas frequentauit, ad Mathematum cognitionem penetrauit rectiſſime. Vnde non aliter fieri potuit, vt, poſtquam anno MDCLXIII. in patriam reuerterat, & intra hoc temporis ſpatium, Scmalcaldia relicta, Gothæ & Halæ commoratus, anno MDCLXVI. Ienæ magna

 cum

cum gloria impetraret philoſophiæ honores ac priuilegia. Ea enim eſt virtutis vis, vt vbiuis terrarum radices agat, hinc Plutarchus; τὴν ἀρετὴν ὥσπερ ἰσχυρὸν καὶ διαρκὲς φυτὸν, ἐν ἅπαντι ἐῤῥιζῶσθαι τόπῳ: φύσεως τε χρηστῆς, καὶ φιλοπόνου ψυχῆς ἐπιλαμβανομένην.

His ſtudiis Cellarius noſter ſe protulit, quibus muneribus, & quibus virtutibus illis perfunctus ſit, nunc exponam, quo largiſſimam mercedem, quam diligentiæ ſuæ accepit, item cetera fata cognoſcamus. Ad ſcholam conditrix natura eum finxerat, ad iſtam benigne quoque præparauerat, hinc nullum aliud vitæ genus, ad quod diuinis fatis ſe deſtinatum animaduertebat, quam ſcholaſticum amplexus, plura iuuentutis Gymnaſia & tandem Academiam Friedericianam doctrinis elegantioribus inluſtrauit. Anno MDCLXVII. diuino prouiſu factum eſt, vt a Sereniſſimo Duce Auguſto, ad Profeſſoris Hebraicæ linguæ & Ethicæ munus gymnaſii Weiſſenfelſenſis exornandum vocaretur, cui per ſeptem annos cum fide & ſingulari induſtria præfuit. Argumento eius diligentiæ, qua iuuentutis ſtudia recta via ad veram frugem direxit, tot diſſertationes ſunto, *de gloria, de ſerpente æneo, Chriſti crucifixi typo, de libertate humana*, ali-

æque

æque, quas infra commemorabo. Quum ſic cognita Cellarii virtus adſurgeret, & eximiæ, quibus præſticit, ingenii dotes præclariorem ei famam conciliarent, a plurimis amatus fuit, omnique honore & cultu adfectus. Vnde anno MDCLXXIII. munꝰ rectoris Vinarienſis Lycei obire iuſſus eſt, quod vt non aſpernabatur, ne Dei conſiliis, quæ rem ſic ordinauerant, reſiſteret, ſic paullo poſt Muſas Weiſſenfelſenſes, earumque patronos valere iuſſit. Quum per tres tantum annos ſedulitatem in hac ſchola comprobaſſet, opera *Viti Ludouici* a Seckendorff, cuius amorem & beneuolentiam haud mediocrem ſibi adquiſiuerat, anno MDCLXXVI. d. VII. Iun. curam & munus rectoris Lycei, quod Cizæ floret, huc d. X. Mart. vocatus ſuſcipiebat. Quam optime iuuentuti ſibi permiſſæ conſuluerit, & qua diligentia ingenia formauerit, tam multa ſcripta, quæ licet nimio ſcholaſtico labore aliisque curis oppreſſus emiſit, a nobis infra indicanda probare poſſunt. Quare non modo illuſtriſſimis viris, in primis Seckendorffio, qui eum eximie amabat, ſed principi quoque maxime gratus fuit, quippe cuius ſingularem indulgentiam Ciza diſceſſurus, ſuprema ac grata oratione magnificis verbis celebrauit. Anno MDCLXXXVIII.

Digitized by Google

MDCLXXXVIII. æterni numinis diſpoſitu factum eſt, vt ad Gymnaſii Merſeburgenſis præfecturam euocaretur, cui, haud pertæſus ſcholaſtici pulueris, ſumma animi alacritate & ſolita diligentia per annos quinque præfuit. Eius ſolida eruditione & prudentia in formanda iuuentute egregia Gymnaſium hoc maiori fama reſurgere & ad feliciorem ſtatum redire cœpit, ita vt maximi concurſus omnis ordinis iuuenum ad id facti ſint, quos Cellarii doctrinæ præſtantia inuitabat. Quæ ſtudioſa cohors quum ſemper virtutis eius & eruditionis eſſet cupidiſſima, cogitationes in id direxit, vt ex hac ſchola nunquam exiret, aut lares in aliam vrbem transferret, ſed Merſeburgi ſeneſceret, etiam exuuias corporis vel tandem, Deo imperante deponeret. Multas ideo vocationes, quæ ei ſplendida munera offerebant, a ſe declinauit, & eas cogitationes, in quas ſemel inciderat, ſecutus eſt, ne ab Muſis huius loci iucundiſſimis diſceſſionem faceret. Sed aliter Deo viſum eſt, & eo inſcio & minime ſperante nec opinante, Sereniſſimum Potentiſſimumque Friedericum, Regem Boruſſorum excitauit, vt eum, quum ann. MDCXCIII. Halæ Muſarum templum & publicum artium emporium extrueret, ad

pro-

Digitized by Google

profeſſionem eloquentiæ atque antiquitatum euocaret. Quid ergo conſilii capiendum? in conditionem vocis huius animum conuertit, eamque diuinam eſſe iudicauit, cui repugnare, nefas omnino erat; ſequi autem, pium, iuſtum atque humanum. Conlegit ſe itaque, aut potius correxit, & totam rem ac fortunam ſuam Dei arbitrio & moderationi committens, Deo ſic poſtulante, Muſis Merſeburgi, patronis, amicis iucundiſſimis, coniunctiſſimis collegis & auditoribus vale ſingulis dixit. Quanta fide hoc munus & quanta diligentia adminiſtrauerit, inter omnes conſtat, qui vel ſcripta & tot diſſertationes totque orationes cognitas habent, vel ipſius conſiliis & præceptis in litteris elegantioribus vſi fuerunt. Hortationibus *Spanhemii, Danckelmannorum, Seckendorffii* aliorumque excitatus, eam operam litteris melioribus in maiorem locum promouendis adtribuit, vt nusquam, niſi aduerſa corporis valetudine impeditus, ob officio, ea humanitatis ſtudia tradere, ceſſauerit. Præter ſex iſtas horas, quibus per hebdomaden humaniores artes publice docebat, alias totidem adiunxit, quo amantiorum harum litterarum vtilitati & fortunæ, quæ erat adflicta, ipſarum artium eo

melius

melius conſulere poſſet. Nam quindecim anni circumacti ſunt, quum magnificus Prorector Fridericus Hoffmannus & ipſe Cellarius noſter eo rem adduxerunt, vt Friedericus in ſua Academia conſtitueret & perpetuo ſeruari iuberet, *Collegium politioris doctrinæ, ſiue elegantium meliorumque litterarum.* Huius exercitatio aſſidua maiori ex parte ei impoſita fuit, vt auditores ad eloquentiam adducat, antiquitates & ritus explicet, hiſtoriam atque Geographiam exponat, prout hoc programma Hoffmanni, & oratio Cellarii, quam de *melioribus litteris reſtituendis* ſub initium huius Collegii elegantioris litteraturæ habuit, vberius ediſſerunt. Verum nuſquam, quæ eſt barbaries ſeculi noſtri & lugubris bonarum litterarum contemtus, plures adfuerunt, qui duce Cellario ad Muſarum elegantiorum culturam, operam & mentem ſuam dirigebant & ope earum ad manſuetiorem vitam ſe tra ducere cogitabant. In his corruptis & de prauatis moribus ſatis ſemper habuit, ſi quos dam tantum cerneret, qui doctrinæ eius litterarum elegantiorum cupidi ſcholas, qui bus has artes explicabat, frequentarent. Per omne tempus, per quod in academia Halen litteras docuit, ſemel peregre abiiſſe,

quidem per vnam tantum noctem, ab illis dicitur, quibus hoc Cellarius enarrauit. Præter hæc munia, præfectus quoque fuit curæ Bibliothecæ Academiæ a Principe eius indulgentiſſimo, quam ita tractauit, vt eam in dies magis & magis Principis clementia & opibus Academiæ ſubleuatus, amplificaret.

Hæc munia, quæ commemoraui, & has ſibi ſcholarum prouincias decretas adminiſtrauit pro more viri eruditione ſingulari inſignis, pietate clari, omni diligentiæ dediti, humanitate & modeſtia omnibus admodum iucundi. Adſunt ingenii monumenta, quibus memoriam ſui in futurum æuum tranſmiſit; quæ clare & perſpicue teſtantur, quod in omni genere litteraturæ elegantioris fuerit exercitatus. In omnium, qui Philologiæ ſtudia tractant, manibus verſantur tot eius lucubrationes, tot præcepta linguæ Ebraicæ, Chaldaicæ, Syriacæ, Arabicæ, de quibus paullo poſt pluribus agam. De meritis eius in latinum ſermonem, quem a ſqualore & ſorde ſummo ſtudio purgauit, eiusque nitorem priſtinum & puritatem in lucem reuocauit, plura diſſerat index auctorum locupletiſſimus, quem vulgo *Baſilii Fabri lexicon* appellant; vt taceam de ceteris veterum theſauris, qui *Antibarbari*

Cura-

Curarum posteriorum nomina præ ſe ferunt; deque tot probatæ latinitatis ſcriptoribus, quos accuratiſſimis adnotamentis illuſtrauit. Incomparabilem ſcientiam rerum omnibus temporibus geſtarum mitto, quæ ei vel vetuſtiſſimæ ita familiares fuerunt, ac ſi ſub oculis ipſius aut patrum memoria factæ fuiſſent, prout illud ſatis *ex breuiario Hiſtoriæ antiquæ, mediæ ac nouæ*, quod in publicum litterarum commodum edidit, adparet. *Notitiæ orbis antiqui*, theſauri omnis Cellarianæ eruditionis, operis egregii, & ceterorum typis iterati, quum mentionem iacio, non poſſum, quin Cellarium dicam rerum geographicarum noſtræ ætatis omnium intelligentiſſimum. Tantam ſane in hoc antiquo orbe detegendo operam præſtitit, vt ſi nullum alium ingenii fetum excluſiſſet, hoc quantum! opus nomini eius poſt vitæ exceſſum immortalitatem, ſibique omnium eruditorum fauorem conciliare ſuffecerit. Quod ſi vita contigiſſet, habituri eſſemus magnum illud Geographiæ medii æui opus, quod hic vir vaſtæ eruditionis ſuſceperat, niſi id mors præmatura intercepiſſet, & publico inuidiſſet commodo. Quicquid ergo Gallia in *Scaligeris*, *Caſaubono*, *Salmaſio*, Belgium *Lipſio*, *Heinſiis*, *Voſſiis*, *Grono-*

viis,

viis, *Graevio*, & ipſa Germania noſtra *Bernegge-ro*, *Freinſhemio*, *Boeclero* aliisque diuiſum admiratur, id omne coniunctum in Cellario, ſummo Critico, admirandum deprehendimus. Nec exinde mirum eſt, quod Cellarius noſter carior fere exteris, quam noſtris fuerit, isque inluſtrior apparuerit, dum eum magnum Romanae eruditionis ornamentum, ac lumen fugitiuarum Muſarum ſplendidum ſummo honore atque amore coluerunt. Commercia litterarum illud adfirmant, quae cum maxime eruditis viris noſtrae & peregrinarum regionum inſtituit, vt cum *Graevio*, *Perizonio*, *Cupero*, *Almelouenio*, *Burmanno*, *Crenio*, *Borrichio*, *Seckendorffio*, *Spanhemio*, *Ludolpho*, *Leibnitzio*, *Rechenbergio*, *Dauiſio*, *Schubarto*, *Sagittario*, *Carpzouio*, *Morhofio*, *Wagenſeilio* aliisque. Quantam amicitiam, multis officiis corroboratam, animorum conſenſu & paritate ſtudiorum innixam & ſuperſtructam cum illis ſeruauerit, libri teſtes ſunt, quos eis ſacratos & dedicatos eſſe voluit. Sic *Zoſimum Io. Georgio Graeuio*, magno Muſarum Statori, *Sedulium Gisberto Cupero*, *Prudentium Thomae Crenio*, *Minucium Felicem Theodoro Ianſenio ab Almeloueen*, *Hiſtoriam vniverſalem*, quam vocant, *Caſparo Sagittario* & *Georgio Schubarto*, *Diſ-*

cuſſionem appendicis Danicæ ad Curas poſteriores Iacobo Perizonio, Curas poſteriores Adamo Rechenbergio, Q. Curtium Ruf. Friderico Benedicto Carpzouio, Io. Pici, Mirandulani Principis, *epiſt. Chriſtiano Daumio, Ciceronis nobiliſſimas orationes Vito Ludouico a* Seckendorff dedicauit. De pietate eius cum præclaris ſtudiis, quæ ſapientiæ & humanitatis ſunt, arcto nexu coniuncta, ne in diſputationem longiorem excurram, ipſa virtutis huius merita omnibus notiſſima impediunt. Cum litteras iuuentutis ſtudioſæ dirigeret, ea, quæ a quouis præceptore maxime illo, qui primi eſt ordinis, omnium conſenſu requiruntur, curatius tueri atque obſeruare laborauit. Doctrinam quippe non accommodabat corruptis ſeculi noſtri moribus, quum antiquæ & puræ eloquentiæ ſtudia *pedantiſmi* nomine notare & diſcipulis *galantiſmum*, vt vocant, id eſt rationem modumque placendi multitudini politiori diligentiſſime commendare ſolent. Sed, vt ſemper alienus fuit a his politicis Oratoribus, ſic iuuentutis ſtudia ad vſum rerum direxit, eique priſcos ſcriptores, græcos & latinos expoſuit, vt ex iis tanquam fonte, ſolidæ eruditionis fundamenta exhaurirent, id eſt purum & loqui & ſcribere condiſcerent. In latinis *Ciceronem*

Digitized by Google

in primis non modo in ſcholis, ſed quoque Academia interpretatus eſt, quod ipſe cognouerat, verum eſſe illud Fabii Quintiliani elogium, *ille ſe profeciſſe ſciat, cui Cicero valde placebit*. Sui ipſius exemplo edoctus fuerat, quod hic Tullius ad imitandum facilis, perſpicuus, copioſus & floridus, quodque latinum ſermonem ad id nitoris perduxerit, vt nihil poſtea ad perfectionem eius ab inſequentibus addi potuerit. Cum hoc coniunxit propter latinitatem *Caſarem*, *Nepotem*, *Salluſtium*, *Velleium Paterculum*, *Liuium*, *Tacitum*, nihil elegantia pura Ciceroni cedentes, & ea, quæ notam merentur, nec ad imitationem trahenda, prudenter monuit, ne iſta nonnullos turbarent. Minime eorum conſuetudo ei placebat, qui puerilem ætatem colloquiis, fabulis aut apologis terunt & detinent, quia nulla ratio ſtructuræ & membrorum connexionis, quæ abeſt ab diſruptis illis formulis, haberi poteſt. Ne ignota nomina illuſtrium virorum, regionum, vrbium moram iniicerent, quum veteres ſcriptores explicatione inluſtraret, diſcipulos ad notitiam antiquæ Geographiæ atque hiſtoriæ, præprimis Romanorum antiquitatum quoque adduxit. Priuato ſtudio maximopere relinqui poſſe putabat *Lactantium*, Chriſtia-

num auctorem elegantiſſimum, & e recentioribus *Petri Cunæi orationes*, qui omnibus in hoc vſu præferendus ſit: quas ideo ipſe adnotamentis eruditis illuſtrauit. Nam Cunæanæ orationes ſtilo Attico ſunt conſcriptæ, & id ſingulare ex illis diſcere poſſumus, quomodo ex variis ſcriptoribus, poetis & proſaicis, oratio ad æquabilem ſcribendi ſeu dicendi rationem perduci poſſit. *Muretum* minus idoneum ad imitandum exiſtimabat, quod orationes eius in ea materia verſantur, quæ magis ad Pontificis Romani curiam, quam ad ſtatum noſtræ reipublicæ aut rem litterariam applicata eſt. Etiam epiſtolas recentiores commendabat, vt *Pauli Manutii*, *Mureti*, qui Ciceronis religioſi imitatores ſunt, *Bembi*, *Sadoleti*, *Longolii*, *Ioannis Pici*, Mirandulani Principis. In Græcis loco *Plutarchi* libri *de Educatione puerorum*, *Iſocratis Orationum*, quas plures in ſcholas induxerunt, pro ingeniorum ratione tractauit *Pæanium Eutropii* Metaphraſten, *Aeliani varias hiſtorias*, *Herodianum* alioſque. Argumentum enim *Iſocratis* ſermonum alienum a ſtudiis adoleſcentiæ dicebat, *Plutarchique* libri principium inuerecundum, quod auribus caſtis ætatis ſcholaſticæ ſine offenſione explicari nequeat. Quod ad

mores adoleſcentum corrigendos virtutesque excolendas pertinebat, nihil prætermiſit, & in quantum fieri poterat, ſummo ſtudio & cura crimina & culpas e ſcholis exturbauit. Ideo ſcriptores illos, quos ſanctitati morum officere nouerat, *vt Terentium, Plautum, Catullum, Tibullum, Propertium, Iuuenalem, Perſium*, iuuentuti nunquam prælegit, ne quid probis eorum moribus detraheretur. Plurimi quidem *Terentii fabulas* pueris ita proponunt, ac ex nullo alio pura ſermonis elegantia exhauriri poſſit, nec conſiderant, quam periculoſæ adoleſcentiæ ſint iſtæ fabellæ, quum in ſingulis illarum res turpes proferuntur. Sed Cellario conſultius agere videbantur, qui iſtas comoedias ex vſu ſcholarum vel penitus excludunt, vel ex illis præſtantiores formulas & locutiones excerptas iuuentuti tradunt, quam qui illas integras interpretantur. Hæc Cellarii pietas, fundamentum boni & recti animi, aliis quoque virtutibus mentem aſſuefecit, eamque ad exercitium illarum adduxit, vt in vſum publicum & ipſius animi felicitatem prodirent. Quamlibet ſeuerus erat, ſubtriſtior, ſibique conſtans; hæc tamen grauitas ita humanitate temperata fuit, vt omnes eum adeuntes perhumaniter & liberaliter tractauerit. Quo ſtu-

Digitized by Google

dio modeſtiam ſectatus ſit, & quam animus a controuerſiis & litterariis contentionibus alieniſſimus fuerit, ipſe ſatis teſtatus eſt, quum in turbas quasdam ab inquietis, in primis *Andrea Borrichio* deuocaretur. Anno quippe M DC LXXVII, *Antibarbarum libellum ex Voſſii* potiſſimum libro *de vitiis ſermonis latini* & clariſſimorum virorum *Scioppii & Ioannis Vorſtii*, etiam domeſticis obſeruationibus compoſitum in lucem miſit. Qui liber vix editus erat; quum *Olai Borrichii*, ſummi viri, *Cogitationes*, quas in trium clarorum virorum *Voſſii, Scioppii, Vorſtii* labores contulerat, in Dania prodirent: quibus perlectis, non modo cognouit, quod etiam *Voſſius* in rebus latinitatis aliquid humani paſſus ſit, ſed excitatus quoque fuit ad accuratiorem laborem & de barbariſmis libri emendationem. Hinc inſtructus multis obſeruationibus *Curas poſteriores de Barbariſmis & Idiotiſmis ſermonis latini* conſignauit, easque poſt triennium anno M DC LXXX. publici vſus editione fecit: erant autem nonnulla, in quibus ab *Olao Borrichio*, vt cultores litterarum & artium ingenuarum decet, diſſentiebat. Qui liber quum in Daniam perlatus fuit, *Borrichius* eum non tantum anno M DC LXXXI. publicis lectionibus

exa-

Digitized by Google

examinauit, ſed altero etiam anno iſta, quæ prælegerat edidit, quibus nomen *Analectorum ad cogitationes de lingua latina* præſcripſerat. Quibus Analectis Borrichianis varia quidem contra Cellarium diſputata erant; ſed minime iſta animum eius grauiter concutere, multo minus ad rixas & contentiones permouere potuerunt. Quare quum anno MDC LXXXVI. *Curæ poſteriores* iterum prodirent, modeſtiſſime & ſine omni animi acerbitate de iis etiam diſſeruit, quæ Borrichius contra eum propoſuerat, & vbi neceſſum erat, ſententiam firmioribus argumentis corroborauit. Ad has Curas iunior aliquis *Andreas Borrichius* Romsdalienſis Norvvegus, qui Hafniæ diu cum *Olao Borrichio* vixit, eius quoque nomen, abdicato gentili, quod in patria Norwegia IVARI erat, aſſumſit, ſequenti anno MDCLXXXVII. animadverſiones edidit, huius inſcriptionis: *Appendix ad Curas Poſteriores recognitas viri clariſſimi Chriſtophori Cellarii Hafniæ.* Conſtitutum quidem erat Cellario, Appendicem hanc ſilentio prætermittere, nec quidquam ei reponere, quia id tantum Borrichii erat inſtitutum, aut iſta, quæ Cellarius defenderat, nouis exemplis confirmare, aut quæ-

dam, ex *Olai Borrichii Analectis*, pertinacius tueri. Sed quum anno MDCXCIV. idem liber, nouo tantum laudatus titulo prodiret ita inſcriptus: *A. B. (Andreae Borrichii) Obſeruationes ſingulares circa latinam linguam ex claſſicis & aliis probatiſſimis auctoribus collectae, & ad vberiorem indaginem propoſitae Francofurti anno 1694.* alia ad ſententiam ſuam de latinitate conſeruandam ſuperaddidit. Quo nomine conſignauit & publici iuris fecit *Diſcuſſionem Appendicis Danicae ad Curas poſteriores nuper nouo titulo obſeruationum ſingularium circa latinam linguam praenotatae*, Ien. 1695. Sic Cellarius ſepultas eſſe controuerſias poſt tam claram demonſtrationem putabat: ſed nouum bellum a priore hoſte excitatur, nec minori impetu aut vehementia, ad praelium ineundum impellitur. Namque anno MDCCVII. idem *Andreas Borrichius*, altercationum, vt videtur, cupidiſſimus in lucem emiſit librum Hafniae, ſpecioſe praeſcriptum: *Vindiciae Latinitatis Puritoris.* In quo libro quum Cellarium, ab omnibus controuerſiis abhorrentem impugnaret, ingenio eius falſa crimina obiiceret, & omni humanitate remota acerbiorem ſcribendi modum ſequeretur, non potuit Cellarius, quin

quin cauſſarum ſuarum ipſe Patronus eſſet. Quo factum eſt, vt ederet: *Iudicium de Vindiciis latinæ linguæ Borrichianis nuperrime Hafniæ Danorum in lucem editis*, Ien. 1707. & ſpecioſa Borrichiana examinaret. Qua modeſtia in his inter eum & Borrichios agitatis controuerſiis ſemper vſus fuerit, & quantam animi moderationem præ ſe tulerit, ipſa forma ſcribendi teſtatur, quæ ab omni acerbitate remota, mirificam Cellarii humanitatem ac modeſtiam pluribus oſtendit. Multa ſunt alia, ex quibus vere Cellarium laudare poſſem, niſi iſta merita orbi erudito ita eſſent cognita, vt nulla alia laude egeant. Nihil in vita eius fuit, quod non mereatur laudem: totius vitæ eiu inſtitutum laudibus tollendum ampliſſime: in eum benignior natura omnia munera ſua contuliſſe videtur.

Ceterum matrimonium eius prætereundum non eſt, quod non minimæ felicitati, qua Deus in hac vita nos fortunatos eſſe iubet, adnumerandum puto. Nobiliſſimi & ingenioſiſſimi viri, *Georgii Friderici* vom Berg, Sereniſſimis olim Principibus Duci Luneburgico, Chriſtiano Ludouico, deinde Erneſto, Saxoni Gothano, a ſtruendis propugnaculis, filiam eximiam, caſtam & piam

Hedvvig Eleonoram anno MDCLXIX. domum duxit. Ex qua ipſi prognati ſunt filii tres & quatuor filiæ, e quibus duo filii & totidem filiæ in optimo ætatis flore diem ſupremum obierunt. 1.) *Hedvvige Sophia*, quam ampliſſimus *D. Ioannes Friedericus Schneiderus*, Profeſſor Philoſophiæ ordinarius, Iuris extraordinarius in Academia Halenſi in matrimonio habet. 2.) *Chriſtophorus*, I. V. L. & regi Boruſſorum a ſecretis negotiis, qui *de Comitum Wettinenſium originibus & ſucceſſionibus* libellum edidit: uxorem iucundiſſimam *Catharinam Eliſabetham*, filiam *D. Heinrici Rudloſii* anno MDCCI accepit. 3.) *Catharina Maria*, quæ primo ætatis tempore vitam finiuit. 4.) *Salomon*, Medicinæ Licentiat. qui vrbe Ciza anno MDCLXXVI. natus eſt & ibi in patria, poſtea Merſeburgi ita diſciplinis elegantioris litteraturæ inſtitutus, vt quum patrem fata in Academiam Halenſem pertraherent, medicis lectionibus, in quod ſtudium propendebat, maturus haberetur. In quod litterarum genus quum per ſex annos ſtudium ſuum contuliſſet, honoribus artis huius omnium conſenſione dignus æſtimatus eſt: quibus ornatus in Batauos a patre ablegatus fuit, vt illius quoque gentis diſciplinæ

ſuæ

ſuæ magiſtros ſalutaret. Sed in hoc itineris curſu grauiori morbo tentatus, de reditu cogitauit, & tandem viceſimo nono die anno MDCC. poſtquam redierat, omnem curam morbo vincente, tranquillo exceſſu ſpiritum Deo reddidit. Quam vehementer hic caſus Cellarium noſtrum, parentem concuſſerit, & quantum doloris, ac quantæ lacrymæ excitatæ fuerint, ipſe in præfatione, quam *Salomonis* huius *Originibus & Antiquitat. Medic.* præmiſit, clare teſtatus eſt. 5.) *Maria Eliſabetha*, uxor Excellentiſſimi *D. Iacobi Friderici Ludouici*, Profeſſoris Iurium extraordin. & Facult. Iurid. Adſeſſoris, ornatiſſima. 6.) *Eleonora Magdalena.* 7.) *Fridericus*, qui, vt & *Eleonora Magdalena* præmature vita conceſſerunt. Sic felicitas Cellarii calamitatibus ſubinde diſtincta fuit, & ipſe ſatis expertus eſt, illud Senecæ ex aureo de Prouidentia libro verum eſſe, *calamitatem virtutis occaſionem eſſe.* Scholis præeſſe, ingenia formare, res humilis, facilis & abiecta habetur, ſed qui rebus ſcholarum interfuit, ipſe aliud edicet & affirmabit, quam longiſſime vulgi opinio a veritate ſit aliena. Homo eſt, qui fidei præceptorum & diligentiæ traditur, moroſum animal, quod prudentia tractari & a diſſolu-

tis

Digitized by Google

tis & prauis moribus ad vitam manſuetam, piam atque honeſtam deduci, adeoque ſumma cura & diſciplina ad virtutum normam com-poni debet. Verum enim vero præter hæc aduerſa, quæ cum virtutibus arcto nexu con-iuncta ſunt, alia eaque grauiora eum circum-ſteterunt, quæ corporis vires magis & magis infirmabant: inprimis magnis calculi veſicæ cruciatibus adficiebatur: nec dubitandum eſt, quin illi adcelerauerint mortem. Factum itaque eſt, vt ærumnarum ſatur, fortem ani-mum, Deo innixam fiduciam hoc extremo vitæ actu præ ſe ferens ac Chriſto vnice ad-hærens anno MDCCVII. d. IV. Iun. natus an-nos LXVIII. placidiſſime obdormiſceret. Vi-uit viuetque per longum tempus: gloria eius & intemerata laus perdurabit, quam ſcripta, quorum iam indicem ſubiiciamus, cum omni poſteritate ſaluam atque integram conſerua-bunt.

INDEX LVCVBRATIONVM CHRISTOPH. CELLARII.

IPſe Cellarius, exempla aliorum clarorum virorum ſecutus, indicem lucubrationum ſuarum aliquot ante annis, quam vita de-

cede-

cedebat in lucem publicam emiſit, & libros per duodetriginta annos editos commemorauit. Cuius indicis quum pauca eſſent exempla, & ipſe variis ſcriptis augeri poſſet, CL. *Iacobus Burckhard*, alias *Betulius* anno MDCC VII. eum recudi curauit, omnibus commentationibus, quae poſthac prodierant, adiectis. Hunc Burckhardi Catalogum CL. *M. Godofred. Ludouici*, inluſt. Gymnaſii Saxo-Henneb. Schleuſing. Rector meritiſſimus, reique litterariae ſummum ornamentum, fautor noſter optimus, Hiſtoriae Rectorum & Gymn. P. II. p. 10. ceteris inſeruit, eodem maximam partem ordine obſeruato. Adhaec, Acta Eruditorum, in quibus ipſe ſocias *Menckenio* praeſtans operas, multa conſignauit, Diarium Pariſienſe &c. notitiam vberiorem de his Cellarii ingenii monumentis nobis quoque ſuppeditare & laudes, quibus digniſſima ſunt, indicare poſſunt. Sed ne opus vitae Ch. Cellarii minus accurate conſignatae relinquam, non poſſum, quin ſuperiorum veſtigiis inſiſtens indicem eius librorum nouis acceſſionibus locupletiorem ſubiiciam.

I. LIBRI.

1. Romanae litteraturae.

a) purioris Latinitatis.

The-

Theſaurus Eruditionis Scholaſticæ (Lexicon latinum vocant) a Baſilio Fabro colligi cœptus, auctus ab Auguſto Buchnero: nunc variis editionibus a Cellario maxime locupletatus, Lipſ. Edit. I. anno 1686. II. 1692. ſumt. Gleditſch. III. 1696. IV. 1700. V. 1710. apud Thom. Fritſch. fol.

In editione quarta iterum quidem 1696 bibliopola præfigendum curauit; ſed iſta ann. 1700. & vsque ad litteram L. nouis acceſſionibus auctior excuſa eſt. Ad poſtremam vero editionem, quæ multo locupletior, & ſplendidior ſuperiori anno prodiit, pauca Cellarius, plura Io. Georg. Grauius, plurima CL. M. Andreas Stubelius contulit, quippe qui, additis ſua manu amplius vocabulorum ſeptem millibus, per multorum annorum ſpatium huic elegantiſſimæ editionis negotio vacauit. Exemplum â manu eius ſcriptum, quod ipſe oculis percepi, teſtari poteſt, quam multa opera illius addita fuerint, quæ ad iuſtum ordinem, veram ſcribendi rationem, naturam vocum ac iura illarum latinitatis faciant. Vnde ſatis quorundam vanum ſtudium mirari nequeo, qui ampliſſimi Stubelii famam & gloriam, quam induſtria eius meretur, neſcio qua ratione, labefactare eamque impedire laborant.

Liber

Digitized by Google

Liber Memorialis Latinitatis probatæ & exercitæ, ſub quolibet primitiuo deriuata ſingula vocabula memoriæ iuuandæ cauſſa exponens. in 8. Merſeb. Ed. I. 1689. II. 1693. III. 1695. IV. 1699. V. 1701. VI. 1704. VII. 1708. apud Frobergerum.

Erleichterte Lateiniſche Grammatica oder kurtze Anweiſung zur Lateiniſchen Sprache. 8. ibid. & iisd. ann. & ſumt. quibus Liber Memorialis.

Antibarbarus Latinus ſiue de Latinitate mediæ & infimæ ætatis 12. Edit. I. Ciz. 1677. II. Ien. 1682. III. ibid. 1695. IV. 1703. imp. Io. Bielckii.

Curæ Poſteriores de Barbariſmis & Idiotiſmis ſermonis Latin. 12. Edit. I. Ciz. 1680. II. Ien. 1686. Edit. III. ibid. 1700. recognita & plurimis locis aucta. IV. 1709.

Diſcuſſio appendicis Danicæ ad Curas illas Poſteriores 12. Ien. 1695. II. 1700.

Iudicium de Vindiciis Latinæ linguæ Borrichianis nuperrime Hafniæ Danorum in lucem editis Ien. 12. apud Io. Fel. Bielckium. 1707.

De horum librorum fatis pluribus ſupra egimus, quum controuerſiam, quæ inter Cellarium & Olaum atque Andream Borrichios agitata fuit, expoſuimus.

Orthographia Latina ex vetuſtis monumentis

hoc

Digitized by Google

h. e. nummis, marmoribus &c. excerpta, digeſta nouisque obſeruationibus illuſtrata. 8. Edit. I. 1700. II. 1704. Hal. ſumt. Io. Bielckii.

Programmata varii argumenti Oratoriis exercitiis in Cizenſi Lyceo praemiſſa, cum ſex Orationibus ibidem in inluſtriore conceſſu a Cellario recitatis. 8. Lipſ. 1689. apud Io. Fried. Gleditſchium.

b) Auctores vetuſtiores & recentiores inluſtrati.

Epiſtolae Ciceronis ad diuerſos (Familiares vulgo) cum notis, indicibus, vita Ciceronis & per illa tempora conſulibus. Lipſ. in 8. imp. Io. Fried. Gleditſchii. 1698. || 1708. ap. eund.

Cellarii adnotamenta, quibus auctores inluſtrauit, non vberiora ſunt, nec verba illorum interpretantur; ſed lucem tantum hiſtoriis atque antiquitatibus afferunt, & in quantum fieri poteſt, locis corruptis medelam adhibent. Ipſe textus adeo eleganter & accurate ope probatiſſimorum Codicum expreſſus eſt, vt eius editiones cum ſplendidiſſimis & accuratiſſimis de hac praeſtantia & gloria certare poſſint. In primis magnam vtilitatem indices, linguae & rerum & latinitatis copioſiores prae ſe ferunt, quos ſummo ſtudio conſignatos ſemper adiecit.

Cice-

Ciceronis nobiliſſimæ orationes, cum argumentis, rhetorico artificio, & philologicis adnotationibus. 8. Edit. I. 1678. II. 1692. III. 1699. Ien. apud Io. IV. 1708. Ien. ap. Io. Felic. Bielck.

C. Iulii Cæſaris commentarii de bello Gallico & ciuili cum vtriusque ſupplementis ab A. Hirtio vel Oppio adiectis Lipſ. 1705. apud Io. Lud. Gleditſchium.

Additæ ſunt VI. tabulæ Geographicæ in vſum eorum, qui rerum Geographicarum ſunt ſtudioſi: item C. Iulii Cæſaris fragmenta.

Cornelius Nepos, cum ſingulorum Ducum argumentis, notis perpetuis, indicibus & IV. Tabulis vniuerſam Geographiam antiquam repræſentantibus. 12. Edit. I. 1689. II. 1694. III. 1700. IV. 1711. Lipſ. apud Thomam Fritſch.

Poſtremæ editioni, neſcio ob quas cauſſas NOTVLAE in vſum admodum iuuenum ope Lexicor. additæ fuerunt, quæ maximopere Grammaticorum regulas inluſtrant. Quemadmodum vero animus Cellarii ſemper ab hoc adnotationes ſcribendi genere alienus fuit, ſic faciliime nobis perſuadere poſſumus, quam læto animo, ſi ſummus hic vir adhuc viueret, ſibi de harum Notularum acceſſionibus gratulaturus eſſet. Salua de cetero gloria eius & integra manebit, nec hac ratione

Digitized by Google

ei labes quædam aſpergi poterit, præprimis, quum iſtæ Notulæ ex ipſo Cellarii fonte eiusque ingenio exhauſtæ ſunt.

Velleii Paterculi quæ ſuperſunt, id eſt Hiſtoriarum Lib. II. ad M. Vinicium Conſulem, cum adnot. & indicibus. Lipſ. 12. 1707. apud Thom. Fritſch.

Ipſa verba auctoris vir ampliſſimus Fridericus Benedictus Carpzouius ſumtu ſuo typis exſcribenda curauerat, procul dubio eo inſtituto, ut ipſe notas & explicationes adiiceret; ſed cum præmatura morte præuentus opuſculum ſemiperfectum reliquiſſet, bibliopola a Cellario petiit, ut suppleret, quæ deeſſent. Quam petitionem ob arctiſſimam eius cum Carpzouio, viro græce & latine ſumme erudito, amicitiam a ſe declinare nolebat. Quare adnotamenta, pauca quidem, ſed more ſuo, id eſt doctiſſime conſcripta, ſub finem libri addidit. Præmiſit quoque tabulam ex Annalibus Velleianis Henrici Dodwelli, quæ uno conſpectu potiora Velleii vitæ demonſtrat.

Q. Curtii Rufi de rebus Alexandri M. hiſtoria ſuperſtes. 12. Edit. I. 1688. II. 1691. III. 1696. IV. 1696. (pot. 1700.) V. 1711. Lipſ. apud Thom. Fritſch.

His

Digitized by Google

*His editionibus Cellarius par diſſertatio-
num de ætate Q. Curtii & de virtutibus &
vitiis Alexandri M. præmiſit, ac noua ſupple-
menta Lib. I. & II. adnotationibus inluſtra-
ta, item tabulas geographicas addidit.
Quinta editio non auctior prodiit, niſi* NOTV-
LIS *quibuſdam in vſum Tyronum, qui pri-
mis latinæ linguæ litteris leuiter ſunt imbuti,
quas aliorum exercitatorum virorum cen-
ſura relinquimus. Quum autem eadem ra-
tione atque eadem via, qua ſuperiores, com-
poſitæ ſunt, idem de illis dicendum & iudi-
candum puto, quod de iſtis diximus, idque
omnium conſenſione.*

Plinii Epiſtolæ & Panegyr. cum not. & IV.
Tabulis Geographicis n. Lipſ. Edit. I. anno
1693. apud Io. Fried. Gleditſch. II. ibid. anno
1700. III. 1710. apud Thom. Fritſch.

*Poſtrema editio opera M. Io. Chriſtiani Hert-
zogii, viri clariſſimi & Gymnaſii Epiſcopalis
Cizenſis Conrectoris meritiſſimi, nouis adno-
tationibus magis inluſtrata & ad maiorem
tyronum vſum adplicata fuit.*

Eutropii Breuiarium hiſtoriæ Romanæ, cum
paraphraſi Græca Pæanii. Edit. I. Ciz. 8. 1678.
Edit. II. auctior Ien. 1698. ſumpt. Io. Bielckii.

Sexti Rufi, ſiue Rufi Feſti, Breuiarium de

 Victo-

Victoriis & Prouinciis populi Romani, primum Cizæ cum not. 8. 1678. apud Io. Bielckiū. Iterum exſcriptum Halæ cum notis vberioribus & libello vetuſto Prouinciarum Rom. ab Ant. Schonhouio in lucem primum producto, ſumtu eiusdem. 1698.

Silii Italici, Conſularis Poëtæ, lib. XVII. de bello Punico II. cum notis & V. Tabulis Geographicis. Lipſ. in 12. 1695. apud Thom. Fritſch.

Duodecim Panegyrici veteres ex ſeculo a Diocletiano ad Theodoſium ſuperſtites, 8. Hal. ſumt. Io. Bielck. 1703.

Lactantii Firmiani Opera, ex MSS. emendatiora. Lipſ. 8. apud Thom. Fritſch.

M. Minucii Felicis Octauius & Cæcilii Cypriani de vanitate idolorum lib. addit. Diſſert. Franciſci Balduini IC. de Minucio Felice. Hal. 8. ſumt. Io. Frieder. Zeitleri & Henric. Georgii Muſſelii. 1699.

Præfationem perfecte eruditam de vſu antiquitatis Eccleſiaſticæ Chriſtianis Scholis commendandæ præmiſit.

Aurelii Prudentii Clementis opera omnia, quæ extant. Hal. 8. ſumt. Orphanotroph. 1703.

Non vſus fuit manuſcriptis Codicibus, ſed ex Nicolai Heinſii & Ioannis Weitzii obſeruationibus

Digitized by Google

nibus elegit, quæ ei probatior lectio videbatur, præſertim ex Heinſii.

Cælii Sedulii Mirabilium Diuinorum libri & hymni duo Hal. 8. ſumt. Orphanotroph. 1704

Adiumento ei magno fuerunt manuſcriptus Sedulii antiquus Codex ex Lipſienſis Academiæ Paulina noſtra Bibliotheca & membranæ, quas ei, quamquam mutilas ſummus ab Almeloueen per longam viam ſubmiſit.

Conciones Civiles ſeu orationes ex optimis quibuscunque Hiſtoricis Latinis excerptæ, poſt Edit. Batau. & Lipſienſem ſuperiorem denuo recognitæ & ab innumeris mendis repurgatæ, auctæ etiam & in meliorem ordinem redactæ. 12. Lipſ. Edit. I. 1699. II. 1710. apud Io. Ludouic. Gleditſchium.

Nullas adnotationes addidit, ſingulis autem orationibus argumentum, item indicem orationum ipſarum ſubiecit.

Petri Cunæi IC. orationes argumenti varii: eiusdemque alia latina opuſcula, Satyra Menippea, Iuliani Cæſares, & reſponſum in cauſſa Poſtliminii cum quibusdam epiſtolis. Accedunt Auguſti Buchneri Oeconomiæ in quinque priores orationes & Adolfi aliorumque laudationes funebres. Lipſ. in 8. 1693. apud Georg Maurit. Weidmannum.

Digitized by Google

Ioannis Pici Mirandulani epiſtolarum liber. 8. Ciz. 1682. apud Ioann. Bielckium.

c) Libri Hiſtorici.

Hiſtoria Inaugurationis Academiæ Fridericianæ. Hal. fol. apud Ch. Andr. Zeitler. 1698.

Hiſtoria antiqua ab initio imperiorum vsque ad Conſtantini M. ætatem, cum notis perpetuis & Tabulis Synoptic. in 12. Edit. I. Ciz. 1685. II. Ienæ 1697. III. 1704. ap. Io. Bielck.

Hiſtora medii æui a temporibus Conſtantini M. ad Conſtantinopolim a Turcis captam deducta, & cum notis perpetuis ac tabulis Synopticis. 12. Edit. I. 1688. Ciz. II. 1698. Ien. III. 1704. ſumt. Io. Bielck.

Hiſtoria Noua, hoc eſt XVI. & XVII. ſeculorum. Hal. 12. Edit. I. 1696. II. plenior ad finem ſeculi producta, Ien. 1702. ſumt. Io. Bielck.

Hæ tres partes in vnum faſciculum poſthac conlectæ fuerunt, hac inſcriptione: Chriſtophori Cellarii Hiſtoria vniuerſalis breuiter ac perſpicue expoſita, in antiquam & medii æui ac nouam diuiſa cum notis perpetuis. 12. Quæ hiſtoria vniuerſalis anno 1709. cura B. G. Struuii clariſſimi viri, auctior prodiit, & poſt hac in noſtram German. linguam translata eſt.

Collectanea Hiſtoriæ Samaritanæ quotquot inueniri

inueniri potuerunt, Ciz. 4. 1688. apud Io. Bielck.

Hiſtoria gentis & religionis Samaritanæ ex noua Sichemitarum epiſtola aucta. Hal. in 4. 1699. apud Ch. And. Zeitler.

Antiquitates Romanæ ex veterum monumentis ac legibus Romanis digeſtæ, quibus appendix de re Romanorum nummaria & inſcriptionibus acceſſit. Halæ ſumt. Orphanotroph. 1710. 8.

Hoc Romanorum antiquitatum breuiarium poſt fata Cellarii vulgatũ fuit, idque, in quantum ex præfatione patet, ex genuino quodam manuſcripto, cui nihil additum, nihil detractum fuerit. Verum, vt ingenue fatear, ita eſt comparatum, vt vix eam, quam cetera monumenta obtinuerunt, laudem mereatur, nec perſuadere mihi poſſim, fore vt illius fiat particeps. Vnde haud difficulter credo, quod Cellario nunquam conſtitutum fuerit, ea ratione & modo, quo typis expreſſa ſunt, has romanas antiquitates publici iuris facere. De Sacris romanorum, de Diis iſtorum, de Veſtalibus, Saturnalibus, Pontificibus, Flaminibus, Auguribus, ritibus ſacrificiorum &c. nihil diſputatur, quæ nullum breuiarium, licet maxime ſit arctatũ, ſilentio præterire poteſt.

d) Libri Geographici.

Geographia antiqua, ad veterum Hiſtoriarum, ſiue a principio rerum ad Conſtantini M. tempora deductarum, faciliorem applicationem ad parata. 12. Edit. I. Ciz. 1686. II. Ien. 1691. III. 1697. IV. 1706. V. 1709. apud Bielck.

Geographia Noua, hodiernam terrarum orbis faciem clariſſime illuſtrans, 12. Edit. I. Ciz. 1687. II. Ien. 1692. III. Hal. 1698. IV. Ien. 1707. V. 1709. apud Bielck.

In German. lingu. translata eſt hæc Geographia tam antiqua, quam noua, huius inſcriptionis: Alte und Neue Geographie, in Teutſche Fragen abgefaſſet, mit vielen curiöſen Anmerckungen, biß 1709. continuiret. Ien. A. 1709. 12. apud Io. Felic. Bielck.

Notitia Orbis antiqui, ſiue plenior Geographia ab ortu Rerumpublicarum ad Conſtantinorum tempora orbis terrarum faciem declarans, ex vetuſtis probatisque monumentis collecta, & nouis tabulis Geographicis ſingulari cura & ſtudio delineatis illuſtrata, duobus Tomis comprehenſa. Tomus I. Europam antiquam continens Lipſ. 4. apud Io. Fridericum Gleditſchium 1701. & Cantabrigiæ, vel Amſtelodami potius, 1703. in 4. Tom. II. Aſiam & Africam antiquam exponens, Lipſ. 4. apud eund. 1706. & Amſtelodami, imp. Caſp. Fritſch. eod. ann.

Ele-

Elementa Aſtronomic. ad interpretandos Poëtas aliosque veteres Scriptores accommodata, cum Schickardi Aſtroſcopio recuſo, Merſeb. in 8.1689. II. Lipſ. 1705. apud Thom. Fritſch.

2. Græcæ litteraturæ.

Zoſimi Hiſtoria Græcæ, cum Io. Leunclauii latina verſione & apologia. Præter ſuas, Stephani, Sylburgii, Scaligeri, Caſauboni, Salmaſii, Petauii, Valeſii, Reineſii, explicationes & notas adiecit. Cizæ 8. 1679. apud Io. Bielck.

Compendium Proſodiæ Græcæ, quo diſcrepantia Græcæ Poeſeos a latina omni exhibetur, & quod cuiuis Pöëtæ explicando ſufficit. Ien. 8. 1675. apud Io. Bielck.

Ad hanc Proſodiam notas & additamenta Io. Crauſius, Rect. primum Annabergenſis, poſt Arnſtadienſis, & tandem Cizenſis, ann. 1676. 8. addidit.

3. Orientalis litteraturæ.

apud Io. Bielck.

Grammatic. Ebræa in Tabulis Synopticis cum conſilio XXIV. horis diſcendi linguam ſanctam. Ciz. Ed. I. 1681. & auctior II. 1684. Edit. III. Ien. 1694.

Rabbiniſmus, ſiue Inſtitutio Grammatica pro legendis Rabbinorum Scriptis. Ciz. 4. 1684.

Canones de linguæ ſanctæ idiotiſmis ſeu proprietatibus in 4. Edit. I. Weiſſenf. 1692. etiam plenior II. 1673. ac Ciz. III. 1679.

Digitized by Google

Sciagraphia Philologiæ ſacræ, cum Etymologico Radicum deperditarum ex aliis linguis, Arabica præſertim, reſtitutarum Ciz. in 4. 1678. Edit. II, emendata & Uſu Arabiſmi Etymologico aucta, eodem anno & loco.

Chaldaiſmus, ſiue Inſtitutio Grammatica Chaldaicæ linguæ, cum triplici vſu Chaldaiſmi, Theologico, Philologico, & Iſagogico. Ciz. 4. 1678.

Porta Syriæ, ſiue Grammatica Syriaca, cum II. epiſtola Ioannis Syriace Ciz. 4. 1677.

Myſterium incarnationis Filii Dei Syriace cum Interpretatione latina, 1680. 4.

Porta Syriæ patentior, ſiue plena & maior Gram. Syriaca, tam veteris, quam noui teſtamenti exemplis copioſis illuſtrata. Ciz. 4. 1682.

Excerpta V. T. Syriaci, ſiue nobiliores pericopæ, cum verſione noua latina & notis. Ciz. 1682

Gloſſarium Syro-Latinum pro vtriusque Teſtamenti excerptis. Ciz. 4. 1683.

Horæ Samaritanæ h. e. Excerpta Pentateuchi Samaraticæ verſionis cum Tralatione latina & Notis perpetuis, & Grammatica Samaritana copioſis illuſtrata exemplis: & tandem Gloſſarium pure Samariticarum vocum. Ciz. 4. 1682.

Iſagoge in Linguam Arabicam. Cizæ in 4. Ed. I. 1678. II. vberior 1686. ibid.

Meſſias exinanitus & exaltatus Syre & Arabice

bice deſcriptus, cum latina interpretatione. Ciz. 1680.4.

II. Diſputationes publicæ

1. Scholaſtic.

1. De Gloria, Weiſſenſ. 1668.
2. De Serpente æneo, Chriſti crucifixi typo, ibid.
3. De libertate humana, ib. A. 1668.
4. De Propheta Deuteron. XIIX. promiſſo, ibid. 1669
5. De vſu Ebraiſmi in articulo auguſtiſſimo de Perſona & Officio Chriſti. A. 1672.
6. De gemino, quem Iudæi præſtolantur, Meſſia, ibid. A. 1668.
7. De fide & religione Iudæorum recentiũ. ibid. A. 1668. Hæ VI. & VII. coniunctim Halæ recuſæ ſunt.
8. Theſes de ſummo bono, Leucopet. A. 1667.
9. De voluntate humana Theſes. A. 1667.
10. De affectibus in genere. A. 1667.
11. *Idea viri boni*, exemplo M. Porcii Catonis Vticenſis propoſita. A. 1669.
12. De Alexandro M. diſputat. prior. A. 1671.
13. De Alexandro M. Diſputatio poſterior.
14. Compendium Philologiæ Sacræ, binis propoſitum Diſputationibus. A. 1671.
15. Vſus Chaldaiſmi cum Appendice Syriaca ex Lucæ II. A. 1671.
16. Lucubratiuncula, Pſalmum II. a Stroph. R. Dau. Kimchi vindicans. A. 1669.

2. Academicæ Halenſ.

quæ in hoc volumine extant.

1. De Imperio Palmyreno. Hal. A. 1693. recuſ. 1708.
2. De Cn. Pompeii M. Expeditione Iudaica, & initio ablati ab Iuda Sceptri. Hal. 1693. recuſ. ibid. 1703.

3. De

3. De Principio regnorum & Hiſtoriarum contra Cteſiam Cnidium de Aſſyriorum Medorumque, nec non Babyloniorum Regibus. A. 1694. recuſa 1697 & 1703. emendatius.

4. De Silio Italico, Poëta Conſulari, Hal. 1694. quæ etiam recuſa fuit.

5. De Origine linguæ Italicæ ex Barbarorum incurſionibus natæ, Hal. 1694. recuſ. 1703.

6. De Gente Samaritana eiusque cæremoniis, habit. 1694. reuiſa & caſtigatius edita. 1707.

7. Itinerarium Apoſtolicum ſ. Amœnitates Hiſtoricæ & Geographicæ ex itineribus S. Pauli Apoſtoli collectæ, quæ ſæpe auctiores emendatioresque repetitæ, & anno 1704. quartum editæ ſunt, quam editionem nos ſecuti ſumus.

8. De Ioanne Baptiſta, habit. an. 1694. recuſ. auct. 1703

9. De Captiuitate Babylonica, habit. 1694. reuiſ. 1708.

10. De Vtilitate Propædeumatum, hoc eſt Philologiæ & Philoſophiæ, habit. 1695.

11. Vindiciæ Flavii Ioſephi de Herodibus contra V. C. Ioannem Harduinum, hab. 1696. recognitæ ſunt & auctiores, rogatu amicorum editæ 1700. quæ poſtrema editio locupletior in hoc volumine extat.

12. De originib. & antiquit. Medic. hab. 1696.

Non dubitamus, quin Cellarius huius Diſſertationis auctor ſit, licet eam ipſe pater filio Salomoni, qui reſpondens fuit, adſignauerit, & iſtam anno 1704 forma libri auctiorem iterum ediderit, huius inſcriptionis: Salomonis Cellarii, Medicin. Lic. Origines & Antiquitates Medicæ poſt præmaturum illius exceſſum emendatiores auctioresque iterum edita a

Chri-

Chriſtophoro Cellario, Patre, Ien. apud Io. Bielckium. 1704. 8.

13. De LXX. Interpretibus, habit. 1696. auctior recuſa. 1700.

14. De primo principe Chriſtiano & cæleſtis lucis, creperæ, claræ in domo auguſta exortu, habit. 1698. recuſ. 1705.

15. De ſtudiis Romanorum litterariis in vrbe & prouinciis, hab. 1698. recuſ. 1703.

16. De carcere & ſupplicio Ioannis Baptiſtæ, habit. 1698. recuſ. 1703. ſuperiori de Ioanne Baptiſta adiuncta.

17. De vigiliis & Lucubrationibus veterum, hab. 1699. recuſ. 1706.

18. De ſeptem Eccleſiis Aſiæ in diuina Apocalypſi memoratis earumque occaſione de Exſilio Ioannis Apoſtoli hab. 1701. recuſ. 1705.

19. De Cimbris & Teutonis, primis Romanorum ex Germania hoſtibus habit. 1701

20. De fatis latinæ linguæ, hab. 1701. recuſ. 1706.

21. De C. Iulii Cæſaris aduerſus Ariouiſtum regem aliosque Germ. geſtis bellis, hab. 1702. recuſ. 1710.

22. De Claudii Druſi expeditionibus, maxime Germanicis, 1702.

23. De Initiis cultioris Germaniæ, habit. 1703. recuſ. 1709.

24. De Neronis Claudii in rempublicam & Eccleſiam ſæuitia, habit. 1703.

25. De Magis ex Oriente ſtella duce Bethlehemum profectis, habit. 1704. recuſ. 1709.

26. De Germanico Cæſare Tiberii F. Auguſti Nep. habit. 1704.

27.

Digitized by Google

27. De Poëtis ſcholæ publicæ vtilioribus A. 1706.
28. De ſolutæ Orationis Scriptoribus, ſcholarum vſui publico commendandis. A. 1706.
29. De S. Pauli Apoſtoli romana ciuitate. A. 1706.

Diſputationes, quas appendicis loco ſubiecimus, de Excidio Sodomæ hab. 1695. & de Pathmo Lutheri, hab. 1696. a Reſpondentibus ſunt conſcriptæ & ſub præſidio tantum Cellarii habitæ. Poſterior tertium 1700. auctior excuſa eſt: qua editione nos vſi ſumus in hoc opere.

Nec ſilentio dimittenda eſt, cuius ſupra iam mentionem fecimus, Diſſertatio, quam d. 25. Ian. A. 1661. Gieſſæ *de infinito valore meriti Chriſti* præſide D. Petro Haberkornio habuit, quippe quæ in Haberkornii tractatu de Perſona Chriſti extat.

III. Orationes typis exſcriptæ.

1. ab ipſo Cellario recitatæ.

1. Gratiarum actio, Academiæ nomine ad Sereniſſimum Conditorem poſt Inaugurationem.

10. Gratulationes ad eundem Munificentiſſimum Fridericianæ Conditorem in Natali publico nomine ſubinde dictæ.

12. Oratio gratulatoria in ipſis auſpiciis regni Boruſſici ad potentiſſimum Regem habita.

13. Laudatio funebris Glorioſiſſimæ Boruſſorum Reginæ Charlottæ.

14. Oratio in laudem Conſummatiſſimi viri, Pauli a Fuchs S. R. I. Liberi Baronis, 1704. Academiæ nomine habita.

15. Oratio de Impedimentis meliorum litterarum, eorumque remotione, ſub initium Collegii elegantioris litteraturæ Sereniſſimis auſpiciis inſtituti, publice habita 1697. iterum excuſ. 1703. de quo ſup.

2. Ductu

2. Ductu eius ab aliis habitæ.

III. Gratulationes latinæ & II. Teutonicæ in Natalem regni Boruſſici.

XI. Gratulationes in Natali Sereniſſimi regni Boruſſiæ Heredis Friderici Wilhelmi.

Panegyricus Friderico III. Brandenb. in die Friderici dictus 1694.

Potentiſſimorum Romanorum & Vngarorum Regi Ioſepho dictus 1694.

Sereniſſ. Principi Sophiæ Charlottæ, Electrici Brandenb. dictus 1694.

Auguſtiſſimi Imper. Rom. Leopoldo M. dict. 1695.

Sereniſſ. Principi Carolo. Archiduci Auſtriæ dictus 1695.

Potentiſſimo Principi Chriſtiano V. Daniæ & Norweg. Regi, dictus. 1699.

Nuptialis Panegyricus Sereniſſimis Sponſis, Maximiliano Emanueli, Electori Bauarico, & regis Poloniæ Filiæ. dictus 1694.

Potentiſſ. Romanorum Regi Ioſepho, & Sereniſſ. Principi Wilhelminæ Amaliæ, Duci Brunſu. & Luneb. dictus 1699.

Sereniſſ. Principi Friederico Haſſiæ Landgrauio & Sereniſſ. Ludouicæ Dorotheæ Sophiæ Brandenburgicæ, dictus Sereniſſ. Principi Friederico Wilhelmo, regni Boruſſiæ Heredi, & Sophiæ Dorotheæ. Duci Brunſu. & Lun. dictus 1706.

Gratulatio ad Sereniſſ. Electorem Saxoniæ Friedericum Auguſtum in Natali XXXI. 1695.

Ad illuſtriſſimum Dominum Eberhardum de Dankelman, ſupremum omnium Collegiorum Præſidem & Primarium Sereniſſ. Elector. Brandenb. Miniſtrum.

ad

Digitized by Google

ad Potentiſſ. Regem Poloniæ Friedericum Auguſtum 1697.

ad Potentiſſimum Regem Boruſſiæ Fridericum in Natali XLIX. 1705.

Laudatio Funebris Reginæ Sueciæ Vlricæ Eleonoræ 1693.

Sereniſſ. Principis Caroli Philippi Marchionis Brandenb. 1695.

Sereniſſ. Principis Erneſti Auguſti Electoris & Ducis Brunſuic Luneb. Potentiſſ. Regis Magnæ Britanniæ Wilhelmi 1702.

Inuictiſſ. Imperatoris Rom. Leopoldi M. 1705.

Louiſæ Dorotheæ Sophiæ Haſſorum Landgrauiæ 1706.

Adlocutio ad Potentiſſim. Principem Carolum III Hiſpaniarũ & Indiarum Regem, Academiæ nomine.

Gratulatio ad Sereniſſ. Principem Erneſtum Auguſtum Saxoniæ Ducem &c. quum ex Friedericiana Academia, cui per ſesquennium ſtudiorum cauſſa immoratus fuerat, in Batauos abiret, publico nomine conſcripta.

IV. Præfationes aliorum libris præmiſſæ.

Præfationem ſcripſit

And. Reyheri Lexic. Fol.

Schönslederi Apparatus Eloquentiæ 8. Lipſ. 1698.

Geographiſch-Hiſtoriſchen Lexico edit. 1705. 8. Lipſ. quod aliquot abhinc annis a M. Vhſe, Rect. Gymnaſii Merſeb. maximopere auctum in Fol. recuſum fuit.

Programmata Academiæ publico nomine a Cellario conſcripta quoque commemoranda eſſent, ſi numerus illorum poſſit iniri.

CHRISTO-

Digitized by Google

CHRISTOPHORI CELLARII DISSERTATIONVM ACADEMICARVM

PARS I.

Digitized by Google

Digitized by Google

I. DISSERTATIO HISTORICA

De

IMPERIO PALMYRENO,

habita A. 1693.

ROmani populi tam admiranda in vtramque partem fortuna fuit, vt nullius gentis vel magnitudo & potentia, vel funeſti ac lacrymabiles caſus cum illius ſorte comparari poſſint. Siue enim ad finium amplitudinem aut imperii diuturnitatem, ſiue ad copias & exercituum robur, ſiue denique ad ſapientem adminiſtrationem animum aduertamus; vbique, quod magnum ac inuſitatum & prope inuidendum ſit, inuenimus. Quod ſi etiam rerum conuerſiones & præcipites caſus obſeruamus, in nullam rempublicam plus ſibi vnquam fortuna permiſit, quam in illam terrarum gentiumque imperatricem Romam, vt eius proſpera & aduerſa didiciſſe, non poſtrema pars ciuilis eruditionis cenſeatur. Miſſis iam ceteris, quæ admiranda cum ſtupore ſunt,

Digitized by Google

vnum ex multis, eundemque ſingularem caſum, quem in Palmyreno imperio videmus, proſperis an aduerſis adnumerandum? dubium ſane, in præſentia examinabimus, hoc eſt, qui imperatores augufti, quum, Valeriano a Perſis capto, Gallienus rempublicam deſeruerat, Orientem conſeruarint, diſputando excutiemus. Id vero mediocriter nobis peregiſſe videbimur, ſi originem huius imperii, & incrementa, & ius poſſeſſionis, & denique ruinam perſpicue ad contemplandum propoſuerimus.

II. Nomen nouo & admirando imperio *Palmyra* dedit, vrbs Syriæ illius, quæ ad Euphratem vergit, quod, præter geographos C. Plinium & Cl. Ptolemæum, etiam Appianus Alexandrinus lib. V Ciuilium p. 1079. (ed. Toll.) docet, cui πόλις eſt οὐ μακρὰν οὖσα ἀπὸ Εὐφράτου *non longe ab Euphrate remota*, vt ita Palmyreni Ῥωμαίων καὶ Παρθυαίων ἔφοροι fuerint, *in confinio Romanorum ac Parthorum ſiti*, ſeu ferme in extremitate imperii Romani, ſi eius limes Euphrates, vt ſæpe fuit, conſtituatur. Procopius quidem extremo lib. II. de Aedificiis adſcribit Phœniciæ, non autem illi littorali, quæ Tyrum, Sidonem, Ptolemaida tenebat, verum τῇ παρὰ Λίβανον, *quæ iuxta Libanum montem eſt*, medio æuo diſtincta ab *Phœnicia prima*, & in Notitia Epiſcopatuum, quam Carolus a S. Paulo vulgauit, p. 104. *Phœnicia Libani* appellata, cuius Damaſcus etiam fuit, & Laodicea, & Emeſa, ac aliæ ciuitates: & noſtra quidem Palmyra in huius quoque limite vltra Libanum, ad Euphratem ſita erat. Plinius millibus paſſuum oſtendit CCIII a mari, XXVII a

Da-

Digitized by Google

Damaſco reductam in ortum fuiſſe; Ioſephus vnius diei itinere ab Euphrate remouet. Digna & cætera C. Plinii verba, quæ ex lib. V cap. xxv. huc transferantur, quibus illa, quæ de limite Romano iam dicta ſunt, præcipue confirmamus. *Palmyra*, inquit, *vrbs nobilis ſitu, diuitiis ſoli & aquis amœnis, vaſto undique ambitu arenis includit agros, ac velut terris exemta a rerum natura, priuata ſorte inter duo imperia ſumma, Romanorum Parthorumque, & prima in diſcordia ſemper vtrimque cura.*

III. Fl. Ioſephus ad Salomonem, Iſraelitarum regem, eius vel originem vel inſtaurationem & firmiora munimenta refert lib. VIII Antiq. Iud. cap. II. τὴν πόλιν, dicit de Salomone, οἰκοδομήσας, καὶ τείχεσιν ὀχυρωτάτοις περιβαλὼν, Θαδαμόραν ὠνόμασε, καὶ τοῦτ' ἔτι νῦν καλεῖται παρὰ τοῖς Σύροις, οἱ δὲ Ἕλληνες αὐτὴν προσαγορεύουσιν παλμιράν. Hoc eſt: *Hanc vrbem* (Salomo) *ædificauit, & mœnibus validiſſimis cinxit, & Thadamoram appellauit, quo nomine etiam nunc a Syris vocitatur: Græci eam Palmiram nominant.* Hauſit hæc ex I Reg. IX, 18, aut II Paralip. VIII, 4, vbi inter vrbes a Salomone conditas תדמר *Tadmor* recenſetur, quam ipſe ait Palmyram eſſe. Etiam vtroque loco Vulgatus Latinus *Palmiram* vertit, *i* Latino vſus, vti etiam Ioſephus, quum ceteri Græci Latinique conſtanter Græcum *y* huic nomini interponant. Situs quoque non abludit, במדבר *in ſolitudine* poſitam fuiſſe, quod Plinius etiam comprobauit: & בחמת צובה *in Hamath Zoba*, vt in Paralipomenis adiectum eſt, hoc eſt, in Syria Euphratenſi, ſi doctiſſimi viri Sam. Bocharti interpretatio-

nem ſequendam eſſe ducimus lib. II. Phaleg. cap. VI. Zoba ſane fuit iuxta Euphratem, II. Samuel. VIII, 3 & I Paralip. XVIII, 3. cuius regem Hadadeſerum David prœlio vicit.

IV. Sunt qui nomen, quod Græcanicum Ioſephus dixit, ex Latino *palma* deducunt, quaſi ager circumiectus, *palmetis* conſitus, nomen ciuitati dediſſet, id quod S. Hieronymus in Ezech. XLVII, 19. ex loci nomine תמר *Tamar* probat, quem *Palmyram* interpretatur, a palmis appellatam, quia תמר Ebræis ſonat *palmam.* Hunc, credo, Vir clariſſimus Iac. Sponius ſequutus libro, quem *Recherches curieuſes d' Antiquité* appellat, p. 65. de eadem Palmyra ſcripſit: *l' on tient, que c' eſt elle, qui eſt appellée dans les propheties d' Ezechiel Tamar, qui veut dire PALME.* Sed falluntur vterque in ſitu vrbis Palmyræ, quæ Palæſtinis maxime ſeptentrionalis fuit; heic autem propheta deſcribit Palæſtinæ פאת נגב תימנה *limitem auſtralem*, a Tamar ad Aquas contradictionis Kades deductum, vt potius ad ſeptuaginta *palmas* Exod. XVI, 1. quam ad oppidum Syriæ, animum intendiſſe videatur. Palmeta Palmyrenæ regionis neque negare audeo, neque ex nomine ſolo adfirmare, vt mirer, doctiſſimum virum Io. Harduinum, ad Plinii dictum locum, commentatum eſſe: *Nomen Palmyra a palmis habet, quibus omnis ager eſt conſitus.* Forſan & hic Hieronymum ſequutus eſt: nos tutius, credo, ſequemur Flavium Ioſephum.

V. Satis de origine & ſitu vrbis; etiam de nominis appellatione: fata & fortunam ciuitatis nunc breuiſſime

Digitized by Google

me commemoramus. Emporium fuiſſe Indicis Arabicisquę mercibus opulentum, Appianus d.l. auctor eſt: etiam Solis religione celebratum, cuius templum ſplendidiſſimum habebat, quod bello direptum reparavit Aurelianus, Solis & Belli ſimulacra in nouo, quod Romæ exſtruit, conſtituens, vt Zoſimus lib. I. cap. LXI. refert, qui forſan illi duo dii patrii Palmyrenorum ſunt Aiglibelus & Malachbelus, quos antiqua inſcriptio atque figura apud Sponium dicto loco commendat. Hadrianus imperator coloniam fecit, nec mediocribus, vt apparet, operibus ornauit: vnde in nummo Caracallæ apud Harduinum de Populor. & Vrb. numm. p. 373. COL. PALMYRA legitur. Stephanus Byzantius de Palmyrenis: Ἀδριανοπολῖται μετωνομάσθησαν, ἐπικτισθείσης τῆς πόλεως ὑπὸ τοῦ αὐτοκράτορος, *Hadrianopolitæ appellati ſunt, ciuitate ab imperatore inſtaurata.* Vnde eſt, quod laudatus Sponius in dicta inſcriptione nomen ΑΔΡΙΑΝΟϹ non vt proprium viri, ſed vt gentile *Hadrianien* interpretatur.

VI. Feliciſſima ciuitas ſub Odenatho & Zenobia fuit, non minus rerum domina, quam tum Roma erat, aut deinceps Conſtantinopolis. Seruata, quum Zenobia caperetur, ab Aureliano: poſtea rebellis, ab eodem euerſa, ſed tum alia ibi, tum maxime templum Solis, vt ſupra dictum, idem inſtaurari iuſſit; quod in Aureliano Vopiſcus cap. XXXI adnotauit. Non autem nitorem ſuum recuperauit, quippe vt Procopius extremo lib. II. de Aedific. tradit, ἔρημον ἐπὶ πλεῖστον, *maiore parte deſertam,* Iuſtinianus imperator ὀχυρώμασι λόγου μείζοσι, *munimentis incredibilibus* & præ-

 ſidio

Digitized by Google

ſidio militum inſtruxit, vt propugnaculum contra barbarorum incurſiones eſſet. Quæ cauſſa fuit fortaſſis, vt Byzantius Stephanus non vrbem, ſed Φρούριον, *caſtellum* ſeu *munimentum* Palmiram vocet, ex ſuo aut propiore æuo eius formam & conditionem nobis repræſentatis; quum antea fuerit πόλις μεγίςη, *vrbs maxima*, Ioſepho; *vrbs nobilis*, Plinio vtrique locis ſupra memoratis.

VII. Occaſio tantæ in re publica mutationis fuit infelicitas Valeriani, luxuria & negligentia Gallieni. Quum enim P. Licinius Valerianus, imperator Romanus, aduerſus Perſas mouiſſet, captus ab iisdem fuit, & ignobili ſeruitute conſenuit. Vbi captus ſit, diſſenſus multus eſt. Cedrenus p. 212. *Cæſaream* nominat, puto Cappadociæ, quod Zoſimus etiam lib. I. cap. XXXVI non vltra Cappadociam Valeriani iter protendit, vbi quum imprudenter ſe colloquio credidiſſet, captus ab hoſte ſit; & quod Arabs Abulpharagius addit, *Babylonem*, hoc eſt in Parthicum ſiue Perſicum regnum abductus. Victorinus ſive Epitoma. Aurel. Victoris, *in Meſopotamia ſuperatum, mox etiam captum* dicit, a quo non longe diſcedit Zonaras Tom. II. p. 234. quum apud *Edeſſam*, quæ Oſroenæ caput eſt aut ſuperioris Meſopotamiæ, in pugna captum memorat, addito tamen alio rumore, ſed minus prono ad fidem, ſeditione militum orta, ne ab iis interficeretur, ad Perſas vltro Valerianum profugiſſe. Trebellius Pollio in Vita Valeriani cap. III. *victum* ait *ſeu fraude ſeu aduerſa fortuna*, quod ibi Caſaubonus caſtigat, de propria Valeriani culpa & imprudentia (ὐδεμιᾷ φρονήσει) Zoſimo, quem laudat, accedens. Libris vulgatis Trebel-

lii interpoſitum: *ductu cujusdam ſui ducis* in fraudes & inſidias incidiſſe, quæ tanquam adulterina Salmaſius reiectat, quod abſint a Palatino codice & ab editione prima.

VIII. Sed quoquo modo captus fuit, illud omnino certiſſimum eſt, nimis dure Romanum imperatorem in ſeruitute habitum, ac ſi mancipium viliſſimum eſſet. Victoris epitome, ad quam modo pronocavimus, cap. XLVI, & Lactantius de Mort. perſequut. cap. V. referunt, Saporem Perſarum regem veſtigium dorſo illius impoſuiſſe quoties vel equum vel vehiculum conſcenſurus eſſet. Aurelius Victor quem A. Schottus in lucem produxit, quaſi negaret captiuitatem, *dolo circumuentum, fœde laniatum interiiſſe* ſcripſit. Sed maior auctoritas plurimorum teſtium, alterius Victoris, Eutropii, Sexti Rufi, Trebellii Pollionis, Lactantii, Oroſii; & Græcorum, Euſebii, Agathiæ, Cedreni, Zonaræ, Petri Patricii; & qui Arabice ſcripſit, Abulpharagii in Dynaſtia VII p. 128, qui omnes captum Valerianum & in ſeruitute duriſſime habitum adfirmant; quibus Iulianum Imperatorem adiungo, qui in Cæſaribus ſuis Gallieni patrem inducit τὰ δεσμὰ τῆς αἰχμαλωσίας ἔχοντα, *adhuc vinculis captiuitatis oneratum*.

IX. Multi addunt *excoriatum eſſe*, nec vero hi fide indigni. Agathias lib. IIII. p. 128. quum Perſarum immanitatem in cute hominum detrahenda enarraſſet, ſubiicit: *Sapores Valerianum* ζωγρίᾳ ἑλὼν τόνδε τὸν τρόπον ἐτιμωρήσατο, *quum viuum cepiſſet, eodem modo puniuit*, ſiue, vt Chr. Perſona vertit, *excruciauit*. Cedrenus d. l. ἐκδαρεὶς ἐτελεύτησε, *cute exu-*

Digitized by Google

excutus periit, quaſi viuo pellis fuiſſet detracta. Lactantius vero, ſupra laudato loco: *poſteaquam pudendam vitam in illo dedecore finiuit, direpta eſt ei cutis:* Petrus Patricius Excerpt. Legat. p. 26. *μετὰ θάνατον poſt mortem, τὸ δέρμα, pellem, adſeruantes æternam ignominiam ex animo corpori intuliſtis*, quod Galerius Narſei regis legato exprobrauit. Hi itaque poſt mortem excoriatum fuiſſe ſentiunt, quod probabilius eſt, quanquam Agathias pag. 129. addat, *τὸν βασιλέα σφῶν ἀνελὼν, imperatorem illorum* (Romanorum) Sapores *interfecit.* Pellis *rubro colore infecta*, vt Lactantius ait, ſeu vt Conſtantinus M. Orat. ad Sanct. Cœt. cap. XXIV dicit, *ταριχευθεῖσα, condita*, quo diutius in ignominiam ſeruaretur. Tempus mortis incertum eſt: hoc autem non dubitatur, poſt diuturnam captiuitatem demum incidiſſe. *Conſenuit* enim *in ignobili ſeruitute*, vt Eutropius ait lib. IX. cap. VI. Patricius d. l. *μέχρι γήρως ἐσχάτου, vsque ad extremam ſenectutem* in cuſtodia detentus fuit.

X. Gallienus captiui Valeriani non frater, vt Pomponius Lætus putat, ſed filius, ac conſors imperii & auguſtæ dignitatis, antequam pater in Perſas moueret, quo præſente *placidus & quietus* fuit: amoto illo *in omnem laſciuiam diſſolutus, tenendæ reipublicæ habenas probroſa ignauia & deſperatione laxauit* vt Eutropius de illo d. l. judicat: ſiue vt Aur. Victor ait, *popinas ganeasque obiens lenonum ac vinariorum amicitiis hæſit*, ineptiſſimis rebus occupatus, iocatusque quum omnes prouincias perdidiſſet. Quod enim nemo erat, qui defenderet; vndique in Romanum imperium ſe barbari infoderunt. Germanis non ſatis

erat

Digitized by Google

erat per Gallias in Hiſpaniam decucurriſſe, Tarraconem expugnaſſe; in Italia Rauennam vſque penetrauerunt: Græcia, Macedonia, Pontus, Aſia Gothorum incurſionibus patebant. Dacia, vltra Danubium prouincia, omnis amiſſa: Pannonia ab Sarmatis Quadisque populata: Perſæ Meſopotamiam Syriamque peruagati, vſque a Cilicia & Cappadocia impune prædam agebant, quæ ſingula vel ſolo Eutropii teſtimonio, cuius verbis fere vſi ſumus, liceat confirmare.

XI. In tantis malis ingens Gallieni ſocordia & tanta negligentia fuit, vt nihil de prouinciis vindicandis, ac ne quidem de patre liberando cogitaret, cuius captiuitate *ſupra modum lætatus eſt*, (quod Pollio cap. III Vitæ obſeruat) vt licentius ac ſine *cenſura parentis*, quam ferre non poterat, in poſterum laſciuiret. Nec maior ſpes in fratre Valeriano, quamquam bonis moribus imbuto, fuit, quod abſtineret a re publica, vel iuuentute retractus, vel aliis intentus ſtudiis, quippe quem *eruditione pro ætate clarum* Trebellius Pollio laudat. Nihil etiam præſidii in filiis Gallieni fuit. nam non vnum habuit, cuiu Vitam Trebellius ſcripſit; ſed duo ex nummis oſtentari poſſunt, P. LIC. CORN. SALONINVS VALERIANVS, quem Cæſarem a patre creatum, & Poſtumo Galliarum præfecto creditum, Galli parentis odio interfecerunt. Vide Trebellium in Poſtumo. Hunc Salonium pater conſecrauit, quod itidem ex nummo, quo DIVO CAESARI VALERIANO, & in poſtica CONSECRATIO apud Patinum pag. 417. legitur: etiam ex inſcriptione apud Gruterum pag. 275. non ignotum eſt: alterum Gallieni filium, hiſtoriis incognitum, Io. Triſtanus, vir clariſſimus, & poſt e-

Digitized by Google

um Io. Petrus Bellorius, antiquarum rerum diligentiſſimus indagator, in additamentis ad Fr. Angeloni numiſmata Romæ editis f. 267. ex nummo producunt, quo cuſum eſt, Q. IVL. SAL. GALLIENVS NOB. CAES. qui quod haud dubie minor ætate & admodum puer erat, nullam laceratæ reipublicæ ſalutis ſpem adferre potuit. Vterque *Salonini* nomen a matre *Cornelia Salonina* habet, Gallieni vxore, cuius nummi ſuperſunt, ab Oecone, Patino, Vaillantio & aliis euulgati.

XII. Quum ita deſertus a ſuo principe Romanus orbis eſſet, qui præſides prouinciarum erant, id ægre ferentes, quisque putabant, quoquo modo poſſent, rempublicam ſibi tuendam vindicandamque eſſe, ne vniuerſam, quæ inuaſerant, gentes barbaræ atque immanes delerent. Itaque M. Caſſ. Latienus *Poſtumus*, vt in nummo apud Vaillantium Tom. I. p. 180. expreſſum eſt, (ſecus ac vulgo *Poſthumius* ſcribitur, quod etiam illuſtris vir ac patronus noſter Ezech. Spanhemius de vſu & præſt. Numiſm. p. 91. notauit) Gallias defendendas ſuſcepit: Aureolus purpuram pro Illyrico tuendo ſumſit: Macrianus in Aſia contra Gallienum imperator a militibus dictus: Valens & Piſo in Græcia, Aemilianus in Aegypto, alii aliis in locis principatum inierunt, quorum Vitas perbreuiter Trebellius Pollio delineauit. Hoc plerisque in locis exercituum vel iuſſu vel conſcenſu factitatum: quisque imperatorem quem faceret, requirebat, Gallieno tam negligenter ſe agente, vt eius ne mentio quidem apud milites fieret, qua de re Pollio, cum quo loquuti ſumus, in principio Gallienorum conſulatur.

XIII. His turbis Palmyrenus quidam, cui *Odena-*

tho

Digitized by Google

tho nomen erat, excitatus, de patria liberanda, quam Perſæ vaſtabant, cum ſuis conſultauit: idque eo cupidius, quo minor ſpes ſalutis ex Italia apparebat. Hic non obſcurus homo, *ἀνὴρ ἀφανὴς καὶ ἄγνωτος*, vt Agathias lib. IIII pag. 129. dicit, ſed dudum illuſtris inter ſuos fuit & *princeps Palmyrenus*, vt Pollio in vita laudat, *ἡγεμονεύων*, *præfectus Palmyrenorum*, vt Zonaras pag. 237 vocat, ſeu *ἄρχων princeps Saracenorum*, quam dignitatem ei Procopius lib. II cap. V de bello Perſico adſignat. Nec ignotus Romanis prorſus fuit, *ἐκ προγόνων τῆς παρὰ τῶν βασιλέων ἀξιωθεὶς τιμῆς*, *æque ac maiores ſui*, *honoribus*, *quos conferre imperatores ſolent*, *dudum ornatus*, vt Zoſimus de illo ſentit, quod Pollio etiam innuiſſe videtur, quum extremo Valeriano vel *ducem* eum *Romanum* appellat, vel *Romanis* proxime adiungit. Quare non ſufficit dignitati eius *decurionum* a Sex. Rufo, & qui hunc ſequitur, ab Hieronymo in Chronicis Euſebianis vocari, quum maior omnino fuerit, quam quod *decurio* ſonat, hoc eſt buleuta municipalis. Nomen varie a Græcis ſcribitur per ε, vel η, vel α in ſecunda ſyllaba; per η vel ο in vltima; etiam per θ vel τ in eadem. Nec nummi plane conſentiunt. Quos Occo & in Euſebianis Scaliger præbent, ΟΔΗΝΑΘΟC; quos Spanhemius, vir ſummus & iterum honoris cauſſa appellandus, c. l. commendat, ΟΔΕΝΑΘΗC præ ſe ferunt, quam poſteriorem formam propter præſtantiores nummos, vt par eſt, pluris æſtimamus; cum vulgo tamen, & cunctis hiſtoricis, eaſum prioris exſcribimus.

XIV. Primam expeditionem Odenathus in Perſas fecit, quos non ex Syria modo, verum etiam ex Meſo-

po-

potamia eiecit, perſequutus eosdem ad Cteſiphontem vſque, quæ, ad vlteriorem Tigridis ripam poſita, Parthis regiam ſedem præbuerat. Suis id auſpiciis fecerit, an iuſſu Gallieni, non ſatis liquidum apud omnes eſt. Trebellius: *adſumto nomine primum regali contra Perſas profectus eſt.* Zoſimus contra: *Gallienus deſperatis rebus Orientis Odenathum* βοηθεῖν ἔταξεν, *opem ferre iuſſit.* In neutram partem, niſi reſtringatur, tuto tranſire poſſumus. Non enim vero ſimile videtur, Odenathum prius auguſtam dignitatem ſuſcepiſſe, quum contra Perſas pugnatum iret, qui captiuos illorum quod Pollio in Gallienis cap. x prodit, in Italiam Gallieno transmiſit: & altero contra Quietum, Macriani filium bello, vt ibidem cap. 11. notatur Gallieni adhuc partes agebat. Nec Gallieno rempublicam ita cordi fuiſſe crediderim, vt vltro Palmyreno principi mandarit, quo contra Perſas Orientem tueretur; antequam partes illas hunc ſuſcepiſſe & præclare peregiſſe nunciatum eſſet. Dignior fide mihi Ioannes Zonaras, antiquum, vt ſolet, ſcriptorem ſequutus, Tom. 11 pag. 235 ſcripſit, *poſt victoriam* illam Perſicam τοῦ στρατηγήματος ἀμειβόμενος *gratiam relaturus* Gallienus Odenathum τῆς ἑώας προεχειρίσατο στρατηγὸν, *Orientis ducem conſtituit.*

XV. Nobilis enim victoria fuit, quam a Perſis ferebat Odenathus; neque cum multis Romanorum comparanda. Inde a Luculli æuo Romani aliquas munitas in Meſopotamia vrbes poſſederunt, vt præſidiis illarum Parthorum excurſationes coercerent. Eo autem tempore, quo captus Valerianus fuit, in poteſtatem hoſtium venerunt, quas Odenathus feliciſſime re-

recuperauit. Pollio in Gallienis cap. XII *Comperit* (Gallienus) *ab Odenatho Perſas vaſtatos, redactam Niſibin & Carras in poteſtatem Romanam, omnem Meſopotamiam noſtram, denique Cteſiphontem eſſe peruentum, fugiſſe regem, captos ſatrapas, plurimos Perſarum occiſos.* Idem in Othenatho: *Contra Perſas profectus eſt: Niſibin primum & Orientis pleraque cum omni Meſopotamia in poteſtatem recepit: denique ipſum regem fugere coegit: poſtremo Cteſiphonta vſque Saporem & eius liberos perſequutus, captis concubinis, capta etiam magna præda, ad Orientem vertit.* Tantas autem res non puto vno fortunæ curſu aut vna expeditione peractas eſſe, quoniam Zoſimus exſertis verbis dicit, οὐχ ἅπαξ, ἀλλὰ καὶ δεύτερον, *non ſemel, ſed iterum* Cteſiphontem vſque proceſſiſſe. Crediderim itaque, primum in Perſas impetum vltro factum a Palmyrenis fuiſſe, eiusque felici fama excitatum Gallienum Odenatho præcepiſſe, vt pergat tueri Orientem & longius hoſtes ab Romanis finibus propulſare. Odenathum, dicto imperatori audientem, ſecunda in Perſas expeditione maiorem victoriam opimioremque prædam, vtpote maioribus copiis inſtructum ad Syros reportaſſe. Sic Zoſimo bene cum Zonara conuenit; minus autem Pollioni, quod haud credibile nobis videtur, ante, quam debellato Quieto, nomen imperatoris Odenathum & auguſtam dignitatem ſuſcepiſſe.

XVI. Ad hunc modum ſi diuidimus expeditiones, res etiam plana de militibus erit. Sextus Rufus cap. XXIII *collecta Syrorum agreſtium manu* Odenathum

Perſis

Digitized by Google

Perſis reſtitiſſe dicit, quem Paulus Oroſius, vt ſolet, lib. VII cap. XXII exſcripſit ita vt quinam *agreſtes* illi fuerint, non ſatis intellexiſſe videatur. Ait enim, *per Odenathum, collecta agreſti manu, victos repulſosque Perſas:* & paucis interiectis: *vſque ad Cteſiphontem ruſticani Syriæ cum Odenatho ſuo vincendo venerunt.* Niſi nos omnia fallunt, *agreſtis manus* & *ruſticani* Oroſio ruricolæ & agrorum cultores ſunt, plebs infima & duris laboribus vitam miſere ſuſtentans. At vero, quem expreſſit etiam Scaligeri iudicio, Sex. Rufo *agreſtium manus* Syri ἀγρειῶται ſunt, nec alio nomine, quam AGRESTIVM noti, genus hominum montanum, peruicax, imperii impatiens, vagando & latrocinando vitam tolerans, cuiusmodi hodieque in Italia Panditæ, in Dalmatia Morlaki, in Ruſſia & Polonia Koſaki habentur, vti recte Joſ. Scaliger ad Euſebium p. 237. *agreſtes* Rufi interpretatur. Hi ſunt, quos Zenobia in epiſtola ad Aurelianum, quam Vopiſcus in Vita Aureliani cap. XXVII dat integram, *Latrones Syros* nominauit. Hos homines, qui omnia habent venalia, & mercedem pacti cuiuis ſe adſociant, credo in primam expeditionem Odenathum eduxiſſe, tumultuarios milites, & ſpe prædæ facta, aut mercede promiſſa, facile colligendos. Altero excurſu, iam laudatus a Gallieno & ad maiora capeſſenda incitatus, Romanis etiam militibus, quotquot in Syriæ præſidiis erant, vſum Odenathum fuiſſe, Zoſimus dicto ſupra loco nos edocet. Odenathus, inquit, τοῖς αὐτόθι λελειμμένοις ϛρατοπέδοις δύναμιν ἀναμίξας οἰκείαν, *relictis ibi præſidiis ſuas copias admiſcens*, contra Saporem profectus eſt. Nec vero dubitamus, priori expeditioni

ali-

Digitized by Google

aliquos, ſed pauciores, Romanos milites interfuiſſe, quod cauſſa communis agebatur, & Pollione in Gallienis cap. x prodente, in vindictam Valeriani, quam eius filius negligebat, Odenathus Perſis bellum hoc indixit. *Nihil*, inquit, *aliud agebat, niſi vt Valerianum liberaret.*

XVII. Interea Macrianus principatum in Aſia occupauerat, ad Syriam vsque ditioni ſuæ omnibus ſubiectis: quem quum Odenathus ab Aureolo cum filio Macriano cæſum audiviſſet; Quietum ipſe, alterum filium, loco patris cum Baliſta duce imperantem, apud Emeſam ſuperatum interfecit. Quem locum Zonaras nobis deſignat p. 237 atque id bellum Gallieni auſpiciis ſuſceptum expreſſo verbo manifeſtat. *Gallienus*, inquit, *Odenathum* ἐπεμψε, *miſit contra Quietum & Baliſtam:* quod non obſcure etiam Trebellius in Quieto adnotauit, *quaſi*, dicens, *Gallieni partes* (Odenathus) *vindicaret.* In Baliſta extremo idem ſimplicius, *in Gallieni* illum *gratiam interemtum fuiſſe.* Sed dum QVASI priori loco dicitur, etiam in Gallienis cap. III *quaſi Gallieni partes ageret;* ſimulationis Odenathus accuſatur, quaſi vafre illo titulo vſus, ſibi iam tum de principatu proſpexiſſet. Sed quoquo animo bellum id Odenathus geſſit, nobis hoc ſatis inprimis eſt, quum bellum iſtud gereretur, illum nomen imperatoris & augusti nondum vſurpaſſe. Non nego, priori victoria elatiorem factum, vt ſolent homines; aliquid altius, quam ſors priuati permittebat, animo volutaſſe, præſertim quum Gallienum magis atque magis contemni vndique cognoſceret. Plerique illorum, qui illo tempore imperium arripuerunt

Digitized by Google

digniores illo, quam Gallienus, erant, quod etiam Trebellius extremo Regilliano indicavit, *Vtinam*, dicens, *vel illi, qui arripuerant imperia, regnare potuiſſent, vel Gallienus in imperio diutius non fuiſſet.*

XVIII. In horum itaque numero, qui digni imperio tum ſibi tum aliis videbantur, non poſtremus, ſed facile princeps Odenathus fuit, etſi non prius, quam Perſis repulſis, & Quieto ſuperato, *Auguſti*, & *Imperatoris*, ſeu *ἀυτοκράτορος*, vt in Græcis eius nummis eſt, & *Cæſaris* nomen ſumſiſſe, ſupra abunde probauimus. Quieto autem & Baliſta debellatis, quum ſe non minorem ceteris putaret, qui Gallieno contemto purpuram ſibi ſumſerat; tantasque iam poſſeſſiones teneret, quantæ vel maximo regi & auguſtæ poteſtati ſufficerent, Meſopotamiam ſcilicet, & vniuerſam Syriam, & ex citeriori Aſia, quæ ditionis Macriani & filii Quieti fuerant, vſque ad Bithyniam; neque ſpes ex Europa ſupereſſet defendendi contra Perſas Orientis; etiam militum ac prouincialium voluntas accederet; ſumſit tandem inſignia imperii, quaſi relicta ſibi ab ignauiſſimo Gallieno, etiam virtute ac labore ſuo parta; nec ſibi tantum ſumſit, ſed filio etiam Herodi, ex priori coniuge nato, quem Trebellius dicit *cum patre accepiſſe imperium*: & nummus IMP. C. HERODES P. F. AVG. PRINCEPS IVVENTVTIS: & alius, IMP. C. HERODIANVS AVG. nam & hoc nomine appellatus fuit. An vero etiam Vaballathus ex eadem matre fuerit, vt Patinus cenſet p. 430. nolim equidem adfirmare. Vopiſcus certe Zenobiæ filium, natu maiorem, nominat in Aureliano cap. XXXVIII.

Sed

Digitized by Google

Sed de hoc plura inferius dicenda ſunt: neque enim ante obitum patris legitimè imperaſſe.

XIX. Sic poſſeſſor Orientis Odenathus factus, & imperatoris Auguſti honoribus auctus fuit, iure an iniuria, non facillimè diiudicatur. Diximus quæ impulerint forſan, ad tantos honores ſuſcipiendos: quæ ſane eiusmodi ſunt, vt plures Romanorum principes, de quorum legitima auctoritate nemo fere dubitat, non æquiorem cauſſam capeſſendi imperii habuerint. Sic Veſpaſianus dominante Vitellio; Valerianus & ipſe Gallienus, ſuperſtite ac imperante Aemiliano, vt Zonaras obſeruat, imperium occupauerunt. Et ſi etiam iniqui aliquid in primordio adfuiſſet, quod, Tacito cenſente annal. XIII. cap. XLIII, omne magnum exemplum habet; tamen maiore ac publica vtilitate penſatum fuit, quam Pollio in Vita Odenathi egregiè expoſuit: *Niſi Odenathus, feſſis reipublicæ Romanæ viribus, imperium ſumſiſſet, in Oriente res perditæ eſſent.* Immò fuerunt illæ & perditæ & deſperatiſſimæ, quas vt ſeruaret Odenathus, non Gallieno, qui dudum amiſerat, ſed Perſis & Quieto, qui poſſidebant, eripuit, vt vel hoc nomine ius omne Odenatho nolim denegare.

XX. Sed aiunt reſtituenda Romano principi fuiſſe, quæ Odenathus vindicauerat. Fuiſſent, fateor, ſi habuiſſet reſpublica, quem vt principem ac defenſorem veneraretur. At Gallienus eam deſeruerat, non fato vrgente aut aduerſis fortunæ caſibus, quos parentium fidem negamus poſſe diſſoluere; ſed ſuis vitiis, ſua ingenti culpa effecit *homo luxurioſiſſimus & ad omne dedecus paratus*, (ſic Pollio in vita cap. V extr.

Digitized by Google

deſcribit) vt omnia perderentur, quæ tanto maiores labore atque ſanguine apparauerant. Quum enim reipublicæ fuiſſet conſulendum, *res ille ineptas aut ridiculas agebat* (idem in Ingenuo) *vino* tantum *& popinis vacans*, (in Gallien. cap. x). imperii & publicæ rei negligentiſſime incurioſus. Melius itaque viſum omnibus fuit, prouincias Romanas conſeruare, quam barbaris & latronibus vaſtandas diripiendasque permittere, præſertim quum temporum ita conſuetudo ferret, vt principe rempublicam negligente, illam tuendam occuparent, qui cum ſibi, tum aliis meliores videbantur.

XXI. Sed quoquo iure ingreſſus Odenathus imperium fuit, illud tamen poſtea ab ipſis auguſtis Gallieno & fratre Valeriano, nec non a ſenatu populoque Romano conceſſum confirmatumque habuit. Pollio in Vita Gallieni cap. XII. *conſulto Valeriani fratris ſui & Lucilli propinqui, Odenathum participato imperio AVGVSTVM vocauit, eiusque monetam, qua Perſas captos traheret, cudi iuſſit, quod & ſenatus, & vrbs, & omnis ætas gratanter accepit.* Idem extremo Salonino: *conſtat poſt decennalia* (Gallieni) *cum Odenatho pacem factam.* Ab hoc tempore iuſtus legitimusque *imperator* Odenathus erat, eiusque vxor Zenobia *auguſta* vt Carolus Patinus etiam ad nummos eius adſcripſerit: *nomen Auguſtæ Gallienus Zenobiæ impertierat.* Nec adeptus honores indignum ſe illis Odenathus geſſit, vt multi, qui ad imperium proſilierant; ſed quem Orientis orbem conſeruauerat, clementer, iuſte fortiterque rexit, adeo vt *optimum* illum *imperatorem* Trebellius in Mæonio appellet, & quum

Digitized by Google

quum interfectus fuit, in Vita Odenathi cenſeat, *iratum Deum reipublicæ fuiſſe, qui interfecto* (capto voluit dicere) *Valeriano noluit Odenathum reſeruare.* Etiam hoc ibidem indicat de illo, ſi diutius ſuperſtes fuiſſet, *plane cum vxore Zenobia non ſolum Orientem, quem iam in priſtinum reformaverat ſtatum, ſed omnes omnino totius orbis partes reformaturum fuiſſe.*

XXII. Tam præclarus, tam vtilis reſtitutor Orientis indigniſſime a Mæonio, *conſobrino ſuo*, vt Trebellius vocat, ſeu *fratris filio* (ὑπὸ ἀδελφόπαιδος) vt Zonaras appellat, quum Emeſſæ natalitia celebraret. quod Zoſimus addit, ex inſidiis interemtus fuit. Cauſſa cædis *damnabilis inuidia*, vt idem Pollio notauit: parricida breui poſt a militibus interfectus, & quod idem auctor refert *homo ſpurciſſimus & per errorem* a quibuſdam *imperator appellatus.*

XXIII. Itaque Odenathus a Quieti & Baliſtæ interitu; poſt quam auguſtus & Imperator vocari cœpit, Orienti præfuit annos IIII vel V. In nummo eius exprimitur L. Δ. *annus quartus* imperii; & Pollio in Gallienis cap. x dicit, *Gallieno & Saturnino COSS. Odenathum, regem Palmyrenorum, obtinuiſſe totius Orientis imperium*, qui conſules decimum annum Gallieni aperuerunt, quod apprime cum eiusdem auctoris verbis, ſupra productis, conuenit, *poſt decennalia* (forte proximo ſeu vndecimo anno) *cum Odenatho pacem factam eſſe* quod omnino veri ſimilius eſt, quam XII *Gallieni anno Odenathum Perſas ita cecidiſſe, vt caſtra ad Cteſiphontem poneret*, quod in Euſebiano Chronico perſcriptum exſtat, niſi nouam expeditionem, nec memoratam ab hiſtoricis, vel fingere vel

Digitized by Google

fictam approbare velimus: ſaltem de prima & altera expeditione interpretari non poſſumus. Quum enim Valerianus quarto ſuo Gallieni anno (nam ſimul cœperunt imperare) captus & abductus a Perſis fuerit, quod idem Euſebius, & in Faſtis Caſſiodorus tradit; nemo perſuaſerit facile, octauo demum poſt anno Odenathum, vindicandi Valeriani cauſſa, contra Perſas bellum ſuſcepiſſe.

XXIIII. Mors Odenathi, vti ex nummis Zenobiæ ac Vaballathi, nec non Aureliani triumpho coniicitur, ſi non in vltimum Gallieni, tamen in proxime ſuperiorem annum incidiſſe videtur. Nam quod Euſebii & Caſſiodori calculo Aurelianus anno ſuo III triumphauit, cuius primus eſt Vaballathi & Zenobiæ quartus, quod itidem ex nummo apparet: & alius Zenobiæ nummus L. E. hoc eſt anno quinto eiusdem, qui ſecundus Aureliani eſt, percuſſus exſtat; neceſſe eſt, Odenathum aut XIV Gallieni anno, aut ineunte XV, qui ſupremus ipſi fuit, interfectum a Mæonio, vxori Zenobiæ ac filiis imperium reliquiſſe.

XXV. Exſtincto Odenatho Zenobia, vidua eius, imperium capeſſebat, quod filiorum nomine non vt fœmina, ſed virili animo & virtute adminiſtrauit. Omnium confeſſione fuit magno ſpiritu, multæque ſapientiæ, neque expers litterarum, ideoque non indigna, quæ rebus admoueretur, vt filiis imperium conſeruaret. Exoſum plerumque eſt muliebre imperium, nec vero omne contemnendum pœnitendumque. Neſcit virtus inter ſexum diſtinguere, & quanquam ſæpius in digniorem cadat, tamen nec ſequiorem reſpuit. De Zenobiæ laude, cuius pleni ſunt libri, nihil addo,

præ-

præter Aureliani, qui bello vicit, præclarum honeſtumque teſtimonium. Hic imperator litteris ad S. P. Q. R. datis, illam laudat vt *prudentem in conſiliis, conſtantem in diſpoſitionibus, erga milites grauem, largam quum neceſſitas poſtulet, triſtem quum ſeueritas poſcat.* Addit idem: *Poſſum dicere illius eſſe, quod Odenathus Perſas vicit, ac fugato Sapore Cteſiphontem vsque peruenit. Poſſum adſerere tanto apud Orientales & Aegyptiorum populos timori mulierem fuiſſe, vt ſe non Arabes, non Saraceni, non Armeni commouerent.* Magna certa laus eſt, tot populos bene rexiſſe, tot gentibus timori fuiſſe, vt ne ſe commouerent: etiam marito conſiliis & exhortationibus adfuiſſe, vt nobiliſſimam de Perſis victoriam reportaret.

XXVI. Generis ſui auctores Ptolemæos Cleopatras Aegypti reges, vel vere vel iactabunda, prædicabat, vt Trebellius Pollio in illius & Herenniani Vitis enarrauit. Quæ cauſſa, credo, fuit, vt plures illam Aegyptiam feminam appellarent: acceſſit, quod Aegyptiace non minus, quam Syriace loqueretur. Sunt vero, qui Romanæ originis faciant, & in his vir clariſſimus Petrus Seguinus in Selectis numiſmatis antiquis cap. III num. XXIII. Quod enim nummus eius oſtenditur ΣΕΠΤΙΜΙΑ ΖΗΝΟΒΙΑ ΣΕΒ. L. E. inſcriptus, ſuſpicatur vir doctiſſimus, ex familia *Septimia* Romana illam fuiſſe. Neutrum a vero abhorret, & vtrumque defendi non inepte poteſt. Fuit enim inter præcipuos aulicos Ptolemæi, qui Pompeium occiderunt, Septimius tribunus militum, vt Cæſar auctor eſt lib. III. civ. B. cap. CIIII. qui ſi adfinitate coniunctus Ptolemæis fuit, & Aegypto a Romanis ſubacta, in Syria no-

men familiamque propagauit; quidni Zenobia ex vtraque gente Septimiorum Romana, & Lagidarum Aegyptia genus ſuum potuiſſet deriuare? Quam religionem profeſſa fuerit, æque ſuboſcurum eſt. Habuit Palmyra ſuos patrios deos, ſupra ex Sponii marmore repræſentatos, quos Lunam & Solem eruditi, alii Bellum & Solem interpretantur: ſed an hos Zenobia gentili more coluerit, a multis dubitatur. Io Ludov. Schönleben in Annal. Carniolæ part. III p. 195, Zenobiam *Chriſtianam* dicit, *ſed malum nactam inſtructorem Paulum Samoſatenum.* Sed neque veram, neque hæreticam Chriſtianam facile dixerimus; Iudæis autem fauentiorem fuiſſe, aut plene addictam, non negamus. Athanaſius, ad ſolitariam vitam agentes libro p. 859 Ἰουδαία ἦν Ζηνοβία, *Iudæa*, inquit *erat Zenobia*: & addit, *Paulo Samoſateno* προέστη, *præſidio fuit*. Nicephorus Calliſtus lib. VI Hiſt. eccleſ. cap. XXVII τὰ Ἰουδαίων φρονοῦσαν, *iudaizantem* vocat, quam ad Chriſtum reducturus Paulus Samoſatenus, in errorem, qui notus eſt, illapſus ſit. Ex quibus nondum conſtare puto, vel Paulo illi hæretico, vel ſinceriori Chriſtiano alii ita deditam fuiſſe, vt eius ſenſa comprobaret. Iis temporibus fuit, quibus deorum cultus pedetentim contemni; Chriſtiani autem ritus propagari cœperunt. Fieri itaque potuit, vt nec Chriſtiana eſſet, neque, vt plurimi, deorum cultrix, ſed ſi Aegyptus vel genuit ipſam vel proximos etiam maiores, in Iudæorum ſenſus inclinaret, qui multi & celebres in Aegypto illis temporibus erant.

XXVII. Hæc relictum a marito imperium filiorum nomine adminiſtrauit, etiam, adiecta Aegypto, auxit

auxit, & tam contra Perſas, quam Romanos, qui repetebant, fortiter defendit. Itaque error inexcuſabilis eſt, quum Nicephorus d. l. ſcripſit: *Perſæ Romanis victis Zenobiæ τῆς Συρίας καὶ Φοινίκης ἡγεμονίαν παρέδωκαν, Syriæ & Phœniciæ præfecturam tradiderunt.* Neque enim victores Perſæ fuerunt, ſed victi ab Odenatho & Zenobia: neque Odenathus, antequam imperator fieret, ſuam ἡγεμονίαν a Perſis habuit, ſed a Gallieno, qui πάσης ἀνατολῆς στρατηγὸν, *totius Orientis ducem* illum conſtituerat, quod Zonaras p. 237 refert. Pacem poſtmodum cum Perſis initam & ſocietatem amicitiæ factam eſſe non negamus, & ipſa id Zenobia in ad Aurelianum litteris apud Vopiſcum, teſtatur, *Perſarum*, dicens, *auxilia non deſunt, quæ iam ſperamus*: mox Vopiſcus cap. XXVIII Aureliani: *auxilia, quæ a Perſis miſſa fuerant, intercepit.* Nec Auguſtam dignitatem a Perſis habuit, ſed partim a militibus, deuictis Perſis & Quieto; partim ex conſenſu Gallieni & Romani populi, vt ſupra declarauimus. Mortuo quidem Odenatho pœnituit pacti & conceſſionis Gallienum; ſeramque nimis vindictam patris cauſſatus, Heraclianum cum exercitu in Orientem miſit, qui vero a Palmyrenis, cauſſam aduentus ſuſpicantibus, ſuperatus atque deletus eſt, quem motum mors Gallieni diremit. Trebellius Pollio de hiſce conſulatur. Claudius, qui ſucceſſit Gallieno, paſſus eſt Zenobiam imperare vel probans priores pactiones, vel vt Oriens ſeruaretur, dum ipſe Scythico bello occupatus eſſet. Aurelianus iſtud anteceſſoris conſilium vulgauit epiſtola ad S. P. Q. R. ſupra laudata. *Diuus Claudius*, inquit, *Zenobiam paſſus eſſe di-*

Digitized by Google

citur imperare, idque occulte ac prudenter, vt illa ſeruante Orientales fines imperii, ipſe ſecurius, quæ inſtituerat, perpetraret.

XXVIII. Inturbata ſic Zenobia imperante Claudio, filiorum nomine, vt prædiximus, Orientem rexit. Quot autem filios Odenathus reliquerit, & ex quibus vxoribus, non leuis eruditorum eſt dubitatio. *Herodes*, qui & *Herodianus* dicitur, priore coniugio genitus, vna cum patre interfectus fuit, quod Pollio in Gallienis cap. XIII prodit. Ex Zenobia *reliquit paruulos Herennianum & Timolaum, quorum nomine Zenobiam, vſurpato ſibi imperio, rempublicam obtinuiſſe* auctor eſt Trebellius in Herenniano. *Vaballathus*, qui in nummis apparet, quibus natus ſit parentibus, magna eruditis controuerſia eſt. Flauius Vopiſcus, ex vetuſtis ſcriptoribus ſolus eius mentionem faciens, in Aureliano cap. XXXVIII Odenathi & Zenobiæ filium dicit. *Hoc*, inquit, *ad rem pertinere arbitror Balbati* (Babalati in Palatino; *Vaballathi* in nummis) *filii nomine Zenobiam, non Timolai & Herenniani, imperium tenuiſſe, quod tenuit.* Sed fallitur Vopiſcus, dum Timolao & Herenniano negat imperium, quod tribuit Pollio, & nummi confirmant, tam ſingulares alterutrius, quam coniunctus vtriusque. Prioris generis ſunt Græci apud Golzium, Occonem, Harduinum: ΑΥΤ. ΗΡΕΝΙΑΝΟϹ ϹΕΒ. L. Β. hoc eſt, *Imperator Herennianus Auguſtus, anno ſecundo.* Et alius: ΑΥΤ. Κ. ΤΙΜΟΛΑΟϹ ϹΕΒ. L. Β. quod eſt, *Imperator Cæſar Timolaus Auguſtus, anno ſecundo.* Alterius generis vnum Vrſinus profert ita vtriusque nomen exprimentem: HERENNIANVS ET TIMOLAVS AVGG. PRINC. IVVENT.

Quod

Quodſi ergo in his feſellit Fl. Vopiſcus, annon falli etiam de Vaballatho potuit? Ita ſane arbitrantur, qui ab Odenatho ex alia conjuge, quam Zenobia; vel ab Herode, Odenathi filio, progenitum exiſtimant.

XXIX. Non fuiſſe ex Zenobia natum, credunt inde manifeſtum eſſe, quod cum Aureliano contra Zenobiam ſteterit. Id vero ex nummis adſtruunt, quos Triſtanus primum produxit, qui quum Aureliani ſint, eiusque nomen præferant; in verſa parte Vaballathi nomen atque caput tenent. Vnum oſtendiſſe ſufficiat; ΑΥΤ. Κ. Λ. Δ. ΑΥΡΗΛΙΑΝΟϹ ϹΕΒ. L. Α. hoc eſt, *Imp. Cæſar. L. Domitius Aurelianus Aug. anno primo* Ex altera parte; ΑΥΤ. ΕΡΜΙΑϹ. ΟΥΑΒΑΛΛΑΘΟϹ ΑΘΗΝΟΥ L. Δ id eſt, *Imperator Vaballathus Athena, anno quarto.* Quodſi, aiunt, Zenobiæ filius fuiſſet, & a partibus eius in bello ſtetiſſet; non coniungi vno nummo cum Aureliano, Zenobiæ hoſte, potuiſſe. Id circo vel Odenathi filium credunt ex alia vxore; vel nepotem eiusdem ex filio Herode. Franciſcus Argeloni in Hiſtoria Auguſta ex nummis illuſtrata p. 273. quod vnum forſan nummum vidit, quo præter Aureliani nomen & effigiem, expreſſum eſt VABALATHVS V. C. R. I. M. D. R. putat non honori ita Vaballathi, ſed ſuo Aurelianum procudiſſe, vt oſtenderetur, quantum regem deuiciſſet & in triumpho cum matre duxiſſet. Litteras ſingulares interpretatur: *Regnum Inuicto Magno Domitu Reſtituit.* Nec Salmaſius, vir ſummo ingenio, in d. l. Vopiſci aliter ſentit, *filium Balathum potius, quam Zenobiam ipſam in nummis effigiari voluiſſe Aurelianum, quod feminæ mentionem minus ſibi glorioſam putaret.* Quin negat, ex Vo-

piſci

piſci mente alium Zenobiæ filium fuiſſe præter Vaballathum: præſertim quod nec Zoſimus duorum aut plurium, ſed vnius filii Zenobiæ meminerit.

XXX. Verum clariſſimi Græci nummi huic Angeloni, ignoti, credo, fuere nec illos oculis Salmaſius cum cura ſubieciſſe videtur, qui pro ΑΥΤ ΕΡΜΙΑϹ perperam legit *Ἀρμενίας*. Qui vero totam inſcriptionem inſpexit, & annum in ea primum Aureliani, qui victoriam anteceſſit; & quartum Vaballathi recte attendit; næ illum aliter, ac ſummi viri interpretati ſunt, ſentire oportet. Negat Vopiſcus Herenniani & Timolai nomine Zenobiam imperaſſe, quod ſupra confutauimus: non negat filios eos Zenobiæ fuiſſe. Ad Zoſimi lib. I. cap. LIX olim adnotauimus, eos auctores de regreſſu Aureliani & Zenobiæ ſequutum eſſe, qui, quod res erat, non perſpectum cognitumque habuerint. Quid multa? ex nummis ſupra approbatum fuit, & Vaballathum cuiuscunque etiam filius fuit, & Herennianum, & Timolaum imperaſſe, vt non ſit, quod cum magno viro Caſaubono ad Vopiſci c. I. dubitemus, an vnquam exſtiterit Vaballathus, *inauditus aliis omnibus*. Confirmandæ rei cauſſá, & vt orthographia ſimul reſtituatur, Latinum etiam nummum adiicimus, quem vir conſummatiſſimus Ezech. Spanhemius d. l. p. 597 ex Reginæ Suecorum theſauro ita ſignatum exhibet: IMP. VHABALLATHVS AVG. vbi H interponitur ad Græcam ſcripturam accuratius ſignificandam.

XXXI. Hunc Vhaballathum Bellorius ſupra laudatus ab Angeloni Numiſmata Notis p. 275 dicit *altero figliuolo di Odenato di vn primo letto*. Addit:

Queſti

Queſti conſeruando la fede a Romani fu da Claudio confermato nel regno. Triſtanus, & qui eum ſequitur Io. Harduinus (de numm. vrb. & pop. p. 374.) Herodis filium, nepotem Odenathi Vhaballathum credunt; ſed ſine veteri auctoritate, perinde ac Bellorius, ſolo ingenio & coniecturis fingunt. Quidni ergo & ipſum Zenobiæ filium fuiſſe cum laudatiſſimo Spanhemio adſeramus, quum non deſit Vopiſci auctoritas? nec *Athenus* nomen, quod alterum Herodiani Triſtanus credit, de ſententia dimouere poteſt, quum in nullo ipſius Herodiani nummo appareat. Cur autem a matre ad Romanos defecerit, & quando cum illis de imperio pactus fuerit, ſilente hiſtoria, quis exprimet? Si quis locus coniecturæ datur, dixiſſem, natu & prudentia maiorem filium, pacato vt plurimum Occidente, ac Gothis a Claudio ad internecionem cæſis, dubitaſſe de imperio Orientis, an defendi contra victores Romanos poſſit: matre autem pertinaciter repugnante ad eosdem ſe contuliſſe exceptumque benigne eſſe, vt exemplo ſuo ad deditionem eos, a quibus fugerat, permoueret. Quod ſi Pharnaces a parente ſuo Mithridate ad Romanos fugere potuit, cur non & alii & noſter Vhaballathus deficere ad eosdem, præſertim qui exemplis didiciſſet, non male haberi, qui ſe Romanis tradidiſſent.

XXXII. Sic digreſſo Vhaballatho a Zenobia, reliquorum filiorum nomine, Herenniani & Timolai, imperium continuauit, vt ita, ſi tempora diſtinguamus Trebellium Vopiſco conciliari poſſe, non deſperemus. Quum Aurelianus ab hac repeteret, quod conceſſerat Gallienus, tolerauerat Claudius, illa pa-

ctis

Digitized by Google

ctis & viribus nixa, bellum exſpectare, quam tradere quæ tenebat, virili auſu maluit: qua in exercitu parando & auxiliis vocandis occupata, Aurelianus in Aſiam profectus, Ancyram & Tyanam, & ceteras vrbes vſque ad Antiochiam recuperauit, iuxta quam, ſeu *apud Immas haud procul ab Antiochia*, vt Sex. Rufus ſcripſit, prœlio commiſſo, ſtratagemate ac ſimulata fuga Aurelianus vicit. Impar enim equitatu Palmyrenis, qui grauiter armato vtebantur, tamdiu ſuos iuſſit cedere, donec fatigatos inſequendo hoſtium equos animaduertiſſent. Zenobia tum Antiochiæ erat, quam vt ſaluam Zabas eius dux educeret, antequam ciues nuntium de prœlii euentu acciperent; ſemicanum hominem, Aureliano ſimilem, quaſi captum imperatorem, per vrbem duxit, atque ſic actu victus pari dolo Zenobiam liberauit, ne a ciuibus, de quorum fide dubitabat, Aureliano traderetur. Zoſimus hæc adnotauit cap. L, LI: addi poſſunt de loco pugnæ, quæ ad Sex. Rufi cap. XXIIII commentati ſumus.

XXXIII. Alterum, idque acerrimum prœlium apud Emeſam, Syriæ mediterraneam vrbem commiſſum, finem bello dedit, quippe victis Palmyrenis Zenobia Palmyram fugit, eiusque vrbis ſe mœnibus aliquamdiu defendit, indeque, invaleſcente obſidione, in Meſopotamiam euaſura, in ripa Euphratis capitur, & retracta Romam ad triumphum deportatur. Oroſius lib. VII cap. XXIII neſcio qua fide tradit, *prælii magis terrore, quam prælio* in poteſtatem Aureliani veniſſe. Sed aliter hiſtorici, qui iſtud bellum memoriæ prodiderunt. Vopiſcus Aureliano cap. XXV *Pugnatum eſt apud Emeſam magno certamine:* & Zoſimus cap.

LIII

λιαι τῷ ὄντι, *reuera* preſſos Romanos fuiſſe non diffitetur. Quid? quod ipſe Aurelianus epiſtola ad Mucaporem, quam Vopiſcus cap. XXVI ſeruauit, de virtute Palmyrenorum in ſuſtinenda obſidione ſcripſit; *Dici non poteſt, quantum hic ſit ſagittarum, qui belli apparatus, quantum telorum, quantum lapidum: nulla pars muri eſt, quæ non binis & ternis baliſtis occupata ſit: ignes etiam tormentis iaciuntur.* Non ergo in gynæceum aut contra imbelles feminas Aurelianus iuit, quum contra Palmyrenos expeditionem fecit.

XXXIIII. De captiuæ ſtatu rurſus diſſentiunt hiſtorici. Zonaras fuiſſe tradit, qui animi mœrore in itinere exſtinctam dixerint, antequam Romam perueniret, quam ſolam opinionem Zoſimus cap. LIX, quaſi verior eſſet, ſuæ inſeruit hiſtoriæ. Repugnat autem reliquus chorus hiſtoricorum, Eutropius, Rufus, Pollio, Vopiſcus, Euſebius ſiue Hieronymus in Chronico, Caſſiodorus in Faſtis, Iornandes de Succeſſione regnorum, & ipſe Aurelianus epiſtola ad Senatum Rom. apud Pollionem in Zenobia: qui omnes dicunt viuam illam in vrbem veniſſe, ac triumphalem Aureliani currum præceſſiſſe. Addit Eutropius cum Pollione, poſteros eius vsque ad ſua tempora (ſub Valente ſcripſit) Romæ exſtitiſſe: & Georgius Syncellus, ſenatori Romano nuptam fuiſſe, de quo ſilent aliarum hiſtoriæ; etiam de filiis poſt cladem matris & triumphum Aureliani. Franciſcus Angeloni d. l. pag. 237. de Vhaballatho: *Egli in compagnia della madre, ed vn altro fratello, fu da Aureliano condotto nel trionfo.* Verum ſupra ex nummis declaratum fuit, amicum Romanorum Vhaballathum, non hoſtem, nec

in

in triumpho ductum fuiſſe: de Timolao & Herenniano Trebellius ſcripſit: *Multi dicunt, eos ab Aureliano interemtos: multi, morte ſua eſſe conſumtos.* Zoſimus vnius mentionem fecit, quem ex naufragio ſeruatum dicit, quum ceteri captiui in Thraciæ freto ſubmergerentur.

XXXV. Sic Palmyrenum imperium, quod Odenathus cum Zenobia fundauerant, destructum tertio Aureliani anno fuit, poſtquam ſteterat minimum decem annos. Nummi enim Odenathi quartum; Zenobiæ, quæ pro filiis ſucceſſit, quintum annum numerant, qui in ſummam collecti, nouem ſunt. Zenobiæ non plures anni poſſunt adſignari, quia haud dubie cum Vhaballatho imperium ſuſcepit, cuius quartus annus eſt Aureliani primus, qui ſi tertio anno triumphauit, vt tradunt chronographi; ſexto ſuo Zenobiam anno & captam & in triumpho ductam, neceſſe eſt. Odenathi annorum nummerus, vt dictum ex nummo, non infra quaternarium eſt; an exceſſerit illum, in dubio hæret, quia incertum eſt, quo tempore poſt captum Valerianum cum Perſis pugnarit, aut vicerit Quietum. Tam breui ſpatio quinque auguſtos imperatores, cum auguſta Zenobia, Palmyra vidit, quorum ampliſſimum imperium fuit, cuius limites ſi deſignemus, non nullum fortaſſe pretium erit.

XXXVI. Initium huius imperii fuit *Syria*, nec ſola *Palmyrene*, cui XVI oppida Ptolemæus dat, ſed omnia, præter metropolim, obſcura; verum, quanta inter Euphratem & mediterraneum mare interiacet. Acceſſit primis victoriis *Meſopotamia*, deinde Quieto ſuperato *plurima pars Aſiæ*, quæ Pontico mari & medi-

ter-

Digitized by Google

terraneo continetur, vbi *Cappadocia, Phrygia, Galatia*, quarum principes vrbes *Tyanam* & *Ancyram* Zoſimus nominatim dicit Palmyrenis paruiſſe. Zenobiam, quum Claudius imperaret, *Aegyptum* adiecit, iam antea res nouas, Æmiliano duce, molitam. Victi primum in Aegypto Palmyreni, quod in Claudio cap. XI. Trebellius notauit: ſed breui poſt vicerunt, vt Zoſimus lib. I cap. XLIV & ſeq. docet, qui accurate id bellum expoſuit. *Arabum* quoque ſeu *Saracenorum* ſi non plurimam, (nam impatiens imperii natio) tamen magnam partem Odenatho paruiſſe, vel nomen illud oſtendit, quod priuato adhuc Procopius num. XIII ſupra tribuerat: ceteri, quamuis libertate vterentur, tamen fœdere coniuncti Palmyrenis erant. Zenobia Aureliano apud Vopiſcum cap. XXVII ſcripſit: *pro nobis ſunt Saraceni.*

XXXVII. De *Armeniis* difficilior res eſt. Salmaſius ad Vopiſci Aurelian. cap. XXXVIII *Armenii Zenobiæ ſuberant, aut certe ſocietate bellica cum ea tenebantur.* Dubie quidem loquitur, vt tamen in priorem ſententiam magis inclinet, inductus nummis, quibus ſcriptum ſit OYABAΛΛAΘOC APMENIAC. Verum ſupra oſtendimus, virum perſpicaciſſimum in his nummis falſum eſſe, quum AYT, quod *αὐτοκράτωρ* eſt ſiue *imperator*, cum prænomine illius principis EPMIAC componit, vt eliciatur *Ἀρμενίας Armeniæ.* Malim ergo ſocios & fœderatos, quam ſubiectos Armenios Palmyrenis fuiſſe, id quod ipſa Zenobia modo producta epiſtola fatetur. *Nobis*, inquit, *Perſarum auxilia non deſunt: pro nobis ſunt Saraceni, pro nobis Armenii.* Et Aurelianus ad Senatum epiſt. apud Pol-

C lio-

lionem in Zenobia: *Poſſum adſerere tanto timori mulierem fuiſſe, vt ſe non Arabes, non Saraceni, non Armeni commouerent.* Quibus non obſcure & Nomadas ſeu vagabundos Arabes, & Armenios ab imperio Palmyrenorum exemit.

XXXVIII. Tam vaſtum & tot regna complexum imperium cito corruit, Aureliano aduentante, quod fato publico imputandum eſt: partim etiam mobilitati populorum Orientis, qui gregatim a Zenobia ad Aurelianum deficiebant. Maior fides Palmyrenorum fuit, qui quamuis victi & principibus ſuis ſpoliati, quum diſceſſiſſet victor, *Antiocho* cuidam imperatorios honores impoſuerunt, quem reuerſus Aurelianus breui poſt, euerſa vrbe, cui priori victoria pepercerat, ad priuatum habitum reduxit, indignum ratus ſupplicio quem humilem inuenerat, & ad nouandas res minus idoneum. Hoc Zoſimus lib. I, cap. LX & ſeq. narrauit.

XXXIX. Tandem quæſtio reſoluenda reſtat, an Palmyrenum imperium *Romanum* dici potuerit, & qui præerant, *imperatores Romani*. Res, quam nomen explicatior eſt. Aderant cuncta, quæ Romani Imperatoris inſignia habebantur, nomina *Αὐτοκράτορος Imperatoris, Cæſaris, Augusti, Pii, Felicis*, & in filiis, *Principum iuuentutis*; nec non *purpura* & alia ornamenta: etiam *cultus* Romanus atque *ſtudia*, quibus imbui filios Zenobia curauit, in quibus ita Timolaus profecerat, vt cum *ſummo Latino rhetore* certare potuerit. Nec loci diuerſitas vel rem vel nomen impedire poteſt. Nam, quod bene Commodo, nouo principi, Pompeianus apud Herodian. lib. I. cap. VI.

præ-

præcipiebat, *Roma eſt, ubi eſt Imperator.* Non deſiit imperium *Romanum* & eſſe & vocari, quum Conſtantinus Chlorus Treuiris, Galerius Sirmii, Diocletianus Nicomediæ, Herculeus Mediolani ſederet & quisque partem ſuam regeret, etſi vrbes illæ nomen *Noua Roma*, vt poſtea Conſtantinopolis, non induiſſent.

II. DISSERTATIO
De
CN. POMPEII M. EXPEDITIONE IVDAICA,
Siue
INITIO ABLATI AB IVDA SCEPTRI,
habita A. 1693.

Quum propitio cœlo beatum iſtud ſæculum exortum eſſet, quo humani generis Seruator in conſpectum hominum prodiret, & homo ipſe factus cum hominibus verſaretur; *percrebuerat Oriente toto*, vt Suetonius Veſpaſiano cap. IV refert, *vetus & conſtans opinio, eſſe in fatis, vt eo tempore Iudæa profecti rerum potirentur.* Diuinum oraculum fuiſſe, ſacris illis litteris conſignatum, quarum Iudæi cuſtodes erant; nec Tacitus, profanus quidem at fide dignus homo, nos ſinit dubitare. Libro enim v Hiſtor.

Digitized by Google

cap. XIII, vbi idem vaticinium attingit, *antiquis* ait *ſacerdotum litteris contineri.*

II. Vir ſummus Iſaacus Caſaubonus in d. l. Suetonii ad illud Michææ v. refert, quod Matth. II. cap. repetitum ſcimus, *ἐκ σοῦ ἐξελεύσεται ἡγούμενος*, motus, vt apparet, hiſtoricorum conſenſu, quod vterque, Tacitus & Suetonius, eodem verbo *Iudaea profectos rerum potituros* tradidiſſent. Sane verbo *proficiſcendi ἐξέρχεσθαι*, quo LXX h. l. & Apoſtolus vſi ſunt, & ipſum, quod in fonte eſt, יצא, *exire*; non male nec coacte conuenire poteſt: quum vero & temporis notam oraculum illud expreſſam habeat, quæ in Michææ verbis non clare conſpicitur; originem rumoris, qui Orientem peruaſerat, aliunde demonſtrare, pretium, vt puto, non nullum operæ erit. Suetonius enim clare addidit EO TEMPORE, & Tacitus, EO IPSO TEMPORE fore, vt Iudæa profecti rerum potirentur. Hegeſippus quoque lib. v. cap. XLIV prædictum fuiſſe ſcribit, SECVNDVM ILLVD TEMPVS *futurum eſſe, qui de regione Iudaeorum imperium adſumeret in orbem terrarum.* Malim ad patriarchæ ſupremam vocem NON AVFERETVR SCEPTRVM DE IVDA, referre, quod ibi etiam ſecundum LXX interpretes *ἡγούμενος*, *dux & dominator*, Iudæis promittitur, qui ſit *Schiloh*, hoc eſt, vt Targum Onkeloſi vertit, משיחא *Meſſias*; aut Ionathanis & Hieroſolymitanum, מלכא משיחא *Rex Meſſias*: & ſimul tempus, quo venturus ſit, accurate definitur, *quum ſceptrum de Iuda ablatum fuerit.*

III. Iudæorum regnum a Babylonio monarcha deſtructum fuiſſe, & Perſas illis reddidiſſe quandam

rem-

Digitized by Google

rempublicam, nemo eſt qui ignoret. Qui ex Babylonia Iudæi reuerterant, magnis quidem immunitatibus, Perſarum indulgentia, fruebantur, non autem ita liberi penitus erant, vt nullum munus ſubiectionis liberatoribus deberent. Dario ſane, vltimo Perſarum regi, pontifex Iudæorum *ὅρκες ἐνδεδωκὼς, iureiurando obſtrictus fuit*, vt ipſe apud Ioſephum XI Antiq. Iud. cap. VIII fatetur: nec ab Alexandro, Perſarum victore, perpetuam, ſed ſeptimi tantum anni immunitatem (*ἑβδομαν ἔτος ἀνείσφορον*) petebat. Mortuo Alexandro, & diuiſis inter duces prouinciis, in Lagidarum, hoc eſt Aegyptiorum regum poteſtatem Iudæi venerunt, durius habiti a Ptolemæo primo, qui plures *αἰχμαλώτους, captiuos*, in Aegyptum deduxit, vt ibidem ſedem figerent, aut caſtella regia cuſtodirent, quod idem Ioſephus ineunte libro XII memorauit. Bellis autem inter Aegypti atque Syriæ reges exortis, Seleucidarum ditionis Iudæi facti, a Seleuco Philopatore, Antiochis Epiphane atque Eupatore, nec non a Demetrio Sotere aliisque multa & grauia damna acceperant.

IV. Num vero ſceptrum in his calamitatibus ſeruatum Iudæis fuit? Abſit, vt de oraculi veritate dubitemus; cui cum hiſtoria rerum omnino conuenire neceſſe eſt. Regalem quidem dignitatem & diadema, vt Ambroſius in Lucæ cap. III obſeruat, captis Iechonia & Zedekia vltimis regibus, tribus Iuda in tantum amiſit, vt nullo poſthac tempore recuperaret. Qui enim poſt captiuitatem Iudæis præfuerunt ſacerdotes Haſmonæi, ex alia, quam Iudæ tribu, ſuum genus deducebant, quibus deficientibus illuxit illud auſpi-

 ce-

Digitized by Google

catum tempus, quod votis & deſideriis ſancti patres exſpectauerant. Hæc vero vis oraculo illata, quum ſacerdotes rempublicam adminiſtrarent. Nam ſiue שבט *tribum*, vt multis placet, ſiue *ſceptrum* & regiam virgam interpretamur, bene diuinæ prædictioni & ſæcularis hiſtoriæ inter ſe conuenit, quod Iudæ poſteri, eſſi Aaronitis atque Leuitis permiſti, dignitatem & prærogatiuam tenuerunt, vt illorum nomen euileſceret, *Iudæorum* ſolum vbique valeret, & ipſi principes Haſmonæi ſe Iudæos appellare non erubeſcerent, quod Euſebius lib. III Demonſtr. Euang. p. 95 *θαυμαςῶς καὶ προφητικῶς*, *mirando & prophetico modo* ita factum dicit, vt aliæ etiam tribus imperantes ſub Iudæ nomine laterent, propter eximiam *βασιλικῆς φυλῆς*, *regalis huius tribus*, prærogatiuam, qua nomen ſuum toti genti eſſet impoſitura. Cetera priuilegia ipſe lib. VIII eiuſdem operis pag. 376 enarrat, quæ breuitatis ſtudio intacta nunc prætermittimus.

V. Quid? quod Iuſtinus Martyr, antiquiſſimus facile Chriſtianorum, qui poſt Apoſtolos aliquid litteris mandauerunt, Dialogo cum Tryphone Iudæo p. 272 vocabulum שבט (quod LXX *ἄρχων*, *Aquila σκῆπτρον*, Symmachus *ἐξουσία*, Hieroſolymitanus Targumiſta מלכין, iunior Ionathan מלכין ושלטונין *reges & dominatores*, verterunt) tam laxe interpretatur, vt non tantum *βασιλεῖς*, verum etiam *κυρίους*, *ἄρχοντας*, *ἡγουμένους*, aut quocunque nomine imperantes ſint, contineat. Sed non eſt noſtrum, oraculi verba interpretari, quod aliis relinquimus: ſufficit ex antiquorum monumentis oſtendiſſe, prædictionem hiſtoriæ noſtræ non repugnare. Vnum adii-

cimus

Digitized by Google

cimus Hugonis Grotii ex commentariis ſuffragium, quod forſan illuſtrandæ hiſtoriæ aliquid conferre poteſt. *Sub Haſmonæis*, inquit, *imperium penes Iudam fuit non minus, quam penes Romam Gallis aut Thracibus in imperium electis*. Interciſiones fuere breues, ſi ad ſpatium annorum prope MD comparentur, atque ita etiam LXX captiuitatis annos interpretatur, quibus, ſine ſceptro Iudæi, non autem ſine ſpe recuperandi, propheticis teſtimoniis ſuſtentata, vixerint. Prius de aliena tribu ex Euſebio hauſit Demonſtr. p. 373; poſterius ferme ex Iuſtino Martyre contra Tryphon. c. l. Adde Caſaubonum Exercit. in Baron. cap. II & III.

VI. Sed ſatis de iis, quæ hiſtoriis explicandis præmittenda videbantur, quas non longius, quam ab Haſmonæis ducibus in præſentia repetemus. Hos principatum cum ſacerdotio coniunxiſſe, & a Seleucidis vexatos, tandem in libertatem ſe vindicaſſe, percuſſo cum Romanis Spartaniſque fœdere, ex Maccabæorum & Ioſephi monumentis conſtat. Ex eo tempore Pontifices, fuerunt ſupremi principes, nemini mortalium ſubiecti, ſed ſine diademate ac regali dignitate, quam in hac gente primus poſt Babyloniam captiuitatem Ariſtobulus, Ioannis Hyrcani filius, adſumſit, huncque ſequuti frater Iannæus Alexander, & fratris huius filii Hircanus ac Ariſtobulus, ſed infelici hi diſcordia diſſidentes, conſtanter ſunt imitati. Mater horum Alexandra, Hyrcano ſacris præfecto, IX annis rempublicam rexit: qua defuncta Hyrcanus cum fratre minore controuerſiam habuit de regno, qui multorum ſibi ſtudium conſequutus maiorem fratrem & regno & pontificatu eiecit, quo ad Aretam, A-

 rabiæ

rabiæ regem, confugiente, victus ab Arabe Ariſtobulus, occaſionem dedit, vt libertas, qua vſi adhuc fuerant, ab Iudæis auferretur. Quæ plenius Ioſephus ſub initium xiiii libri enarrauit.

VII. Iisdem temporibus, Mithridate victo, Cn. Pompeius Magnus contra Armeniæ regem Tigranem bellum gerebat, vnde in Syriam, quam Tigrani ademit, Scaurum præmiſit, apud quem per legatos vtroque fratre, Hyrcano & Ariſtobulo, conquerente, Ariſtobulus Romanis copiis adiutus, fratrem & Aretam vno prœlio vicit, ſed Pompeio adueniente Ariſtobulus, quum pecunias, quas promiſerat, prohibitus ab Iudæis, exſoluere non poſſet, in cuſtodiam a Pompeio datus, & Hieroſolymis tum primum Romanus exercitus admotus fuit. Intus autem diſſidio exorto, qui Hyrcano ſtudebant, Romanos intra mœnia admiſerunt, ceteris in templum confugientibus, quod quia natura & arte muniſſimum erat, multum negotii Pompeio expugnanti fecit adeo, vt vix *περὶ τρίτον μῆνα*, *tertio menſe*, ſicut Ioſephus cap. viii d. l. ait, ſeu vt Ben Gorion cap. xxxix tradit, בחדש הרביעי *menſe quarto*, hoc eſt, poſt trimeſtrem obſidionem expugnarit, neque tum expugnare potuiſſet, niſi ſabbato die, quo Iudæi feriantur, nec repugnant obſidioni, valle aggeribus planata, in munitiones irruiſſet. Quod præter Ioſephum etiam Dio Caſſius lib. xxxvii notauit, atque ita Cn. Pompeius, vt idem ait p. 36, *τὸ ἱερὸν οὐκ ἀπόνως εἷλε*, *templum non ſine magno labore cepit.*

VIII. Captum templum Pompeius *victoriæ iure*, vt Tacitus ait lib. v Hiſtoriarum ix, *ingreſſus eſt*, & ea vidit,

quæ

Digitized by Google

quæ videre fas nemini erat, præter ſacerdotes, quod ægre Iudæi ferebant, prohibere autem non poterant. Nihil vero ex ſacris theſauris Pompeius abſtulit, & οὐχ ἥψατο δι' εὐσέβειαν, *ne attigit quidem pro pietate*, vt Ioſephus lib. XIIII cap. VIII iudicauit, quod Cicero pro Flacco cap. XXIIII alii cauſſæ tribuit. *Pompeius*, inquit, *captis Hieroſolymis, victor ex illo fano nihil attigit*; quod ait *ſapienter* factum, *ne ſermoni obtrectatorum* locum daret: non autem credit, *religionem Iudæorum impedimento*, ſed *imperatoris pudorem fuiſſe*. Quoquo autem animo intactam illam gazam reliquit, ſua laude non deſtituendus eſt; Craſſus e contrario vituperandus, qui contra iuſiurandum, cui ſe obſtrinxerat, omnia, quæ intus in templo erant, rapuit; de quo Ioſephus lib. XIIII Antiq. cap. XII conſulatur. Quum ergo tanta fuerit Cn. Pompeii continentia, mirari omnino ſubit, quo auctore Gorionides Ebræus d. l. ſcripſerit, Pompeium miſiſſe ante oppugnationem, qui *vaſa & lapides pretioſos* acciperet מהיכל יה אשר בירושלם *ex templo Dei, quod Hieroſolymis eſt*. Vetus enim & Græcum Ioſephus libro ſæpius dicto cap. VI nihil memorauit, niſi tamen Ariſtobulum promiſiſſe χρήματα, *pecunias*, & Gabinium miſſum fuiſſe a Pompeio ἐπὶ τὰ χρήματα; templi & ſacrorum nulla facta mentione.

IX. Quum vero inanem Gabinium Iudæi remiſiſſent, Pompeius Ariſtobulum, quaſi eluſus ab eo, ἐν φυλακῇ κατέστησε, *in cuſtodiam dedit*, & quod Ebræus Ben Gorion addit. ויאסרהו בנחשתים *& catenis eum conſtrinxit*. Tunc vrbem oppugnatum acceſſit, eiusque deditione facta, templum, quod Ariſtobuli fau-

fautores tenebant, vi expugnauit. Sic ſceptrum de Iudæis auferri cœpit, quum vterque rex & templum, quod eis ſanctiſſimum, in poteſtate Romanorum eſſet. Pompeius Hyrcano τὴν ἀρχιερωσύνην ἀπέδωκεν, *pontificatum reddidit*, vt Ioſephus XIV Antiq. cap. VIII adnotauit, nec idem lib. I. Belli Iud. cap. V plus dixit, quam Hyrcanum ἀρχιερέα, *pontificem a Pompeio* declaratum eſſe. An vero etiam *regnum* Hyrcano reſtituit? negant multi. Carolus Sigonius, vir eximius in antiquitate hiſtorica, lib. VII de Rep. Ebr. cap. IV, *Pompeius*, inquit, *Ariſtobulo rege capto, Iudæam occupauit, & in prouinciæ formulam redegit, illique ei procuratorem Antipatrum Aſcalonitam impoſuit.* Si coniecturæ locus eſt, Ammianum Marcellinum Sigonius ſequutus videtur. Is enim lib. XIV, cap. XXVI *Pompeius*, inquit, *Iudæis domitis & Hieroſolymis captis in prouinciarum ſpeciem, rectori delata iuriſdictione formauit.* Nec aliter Henr. Valeſius f. 43 Marcellini verba interpretatur, quam *Iudæam a Pompeio captam & in prouinciæ ſpeciem redactam eſſe*, eamque opinionem cum indignatione tuetur contra diſſentientes. Idem Sigonius in Sulp. Seueri lib. II f. 874 *Iudææ* (Pompeius) *procuratorem reliquit, ita tamen, vt prætori aut proconſuli Syriæ obediret.* Quod & Ioſephus videtur approbaſſe, *Syriam & Iudæam* Pompeium Scauro *diſtricte adminiſtrandam* dediſſe, libri de Bello cap. V. extr. profeſſus. Alii vero, & in his Caſaubonus maxime, ante Archelai relegationem, prouinciam Iudæam factam eſſe, ſtrenue negant, quando primus procurator Coponius eo anno fuit conſtitutus, quo Quirinius proconſul Syriæ factus fuit, quod ex Ioſe-

ſephi lib. XVIII ineunte manifeſtum eſt. Vbi enim reges & ethnarchæ relinquuntur, quos tamen ad extrema Auguſti toleratos ſcimus; prouinciæ Romanæ forma locum non poteſt habere. Scauro non eodem modo Pompeius Syriam & Iudæam commiſit, ſed illam, vt prouinciam: hanc, tanquam ex Syria, ſi opus foret, defendendam. Quid? quod *procuratoris* nomen, quoad libera reſpublica Romanorum ſtetit, in prouinciis auditum non fuit. Antipater amicus regis Hyrcani iam ante Pompeii aduentum fuerat, quo poſtea, per Pompeium reſtitutus, adminiſtro in rebus gerendis et plurimum vſus eſt. Vid. Ioſeph. lib. XIV cap. II & V. Sed longe diuerſa ratio illorum fuit, quos *procuratores* prouinciarum Cæſares vocauerunt.

X. Alii præter pontificatum, etiam *regnum* Hyrcano conceſſum fuiſſe non dubitant. Dio Caſſius d. l. clariſſime p. 37, ἥ τε βασιλεία Ὑρκανῷ ἐδόθη; *regnum Hyrcano redditum*, quum Ariſtobulus Romam abduceretur. Et ipſe Ioſephus vel ſolo cap. VIII lib. I Bell. Iud. ter quaterue Hyrcanum βασιλέα, *regem* vocat, poſt Pompeii diſceſſum, quum ciuili iam bellocum Cæſare certaret. Nec aliter R. Ganz in Zemach David p. 33 ed. Prag. וימלך פומפיוס את הורקנוס למלך על כל ישראל *Pompeius Hyrcanum Regem totius Iſraelis conſtituit*. Iacobus quoque Cappellus ſub finem Hiſt. Sacræ & Exoticæ. *Pompeius ſacerdotium & regnum reſtituit*. Caſaubonus quidem ad Baron. Exerc. I, num. XXX rem fatetur; nomen & externam dignitatem negat. *Palaſtina*, inquit, *Hyrcano permiſſa: verum honos regii nominis ademtus*. Sed Ioſephum nomen regis non ſemel

Hyr-

Digitized by Google

Hyrcano vltimis Pompeii temporibus tribuiſſe, ſupra ex lib. I. de Bello Iud. probauimus. Iacobus Vſſerius, Armachanus archiepiſcopus, in Annal. p. 261 eodem ferme modo: *Cum pontificatu principatum quoque ſuæ gentis* (Hyrcanus) *accepit: ſed diadema eum ferre Pompeius vetuit.* Velim vterque, vt fecerunt alibi, etiam heic adnotaſſent, quo veteri ſcriptore confiſi de Hyrcano ita ſentirent. Ioſephus lib. XIV cap. XVII Cæſaris dictatoris litteras, & decretum æri inciſum profert, quibus Hyrcanus *ἀρχιερεὺς καὶ ἐθνάρχης, pontifex & ethnarcha,* Pompeio iam exſtincto, vocatur & confirmatur. Et Cæſare interfecto Dolabella, quum Aſiæ præeſſet, litteris ad Epheſios magiſtratus, Hyrcanum non regem, ſed *pontificem ac ethnarcham* vocat, quod ibidem quoque Ioſephus recitauit. Scilicet *Ethnarchæ* nomen minus, quam *Regis* apud Romanos erat, & lib. XVII cap. XIII ineunte Ioſephus tradit, ab Auguſto Archelaum, Herodis filium, *οὐ μὲν βασιλέα, non regem,* ſed tantummodo *ἐθνάρχην* conſtitutum eſſe: promiſſum autem eidem, tunc *ἀξιώματι βασιλέως, Regis titulo* etiam ornatum iri, *ἄνπερ εἰς αὐτὴν ἀρετὴν προσφέροιτο, quum meruerit.*

XI. Sic cognouimus, quo in honore dictator Cæſar, & poſt eum Dolabella, Hyrcanum Iudæorum principem habuerint: quo loco apud Pompeium fuerit, tam liquido nobis non conſtat, niſi quod *βασιλείαν, regnum,* ei Pompeium reddidiſſe ſupra ex Dione adprobauimus. Qui Antiocho Commageno & multis aliis Romanorum clientibus *Regis* nomen relinquere non dubitauit; non puto eum parciori liberalitate erga Hyrcanum exſtitiſſe. Nec enim teſti-

monia

Digitized by Google

monia nobis deeſſe poſſunt, quibus probari videatur, etiam poſt decretum Iulii Cæſaris Hyrcano *Regis* nomen in gente ſua tributum fuiſſe. Supra ad libri II Ioſephi de Bello caput. VIII prouocauimus, quo ſæpe numero *Rex* Hyrcanus appellatur: nunc addo, quod ibidem amici Hyrcano ſubgeſſiſſe feruntur, niſi creſcenti potentiæ Antipatri reſiſtat, fore, vt *τοὔνομα μόνον βασιλέως, ἔρημον ἐξουσίας, nudum nomen Regis, vacuum poteſtate poſſideat.*

XII. De Antipatro, quem *prouinciæ* Iudææ, *procuratoris* nomine, Pompeium præfeciſſe, ſupra Sigonius dixerat, nunc vt diſpiciamus, non alienum erit a propoſito. Nec ſolus Sigonius, ſed ex veteribus etiam Sulpicius Seuerus lib. II cap. XXVI idem tradit, Antipatrum a Pompeio Iudææ procuratorem præpoſitum eſſe. Fuiſſe autem amicum Hyrcani, antequam Romani in Palæſtinam venirent, & legatione pro illo ad Pompeium functum eſſe, n. IX ſupra oſtendimus. In eo gradu amicitiæ manſit apud Hyrcanum, poſtquam ex Iudæa Pompeius diſceſſerat. Quum enim Scaurus, Syriæ primus Romanorum præſes, cum Areta Arabum rege bellum gerens, frumento deficeretur, *κατ' ἐντολὴν Ὑρκανοῦ iuſſu Hyrcani* Antipater & frumenta & alia neceſſaria attulit, Ioſepho lib. XIV cap. IX teſtante: quod idem lib. I de bello cap. VI dixit *δι' Ἀντιπάτρου, per Antipatrum*, ſiue miniſterio eius, Hyrcanum Scauro, quæ ad victum pertinent, ſuppeditaſſe. Antipater etiam Cæſari Aegyptum oppugnanti tria millia militum auxilio adduxit, ſed *ἐξ ἐντολῆς, ex mandato Hyrcani*, quod Ioſephus notat lib. XIX cap. XIV. Ergo tum ſubiectus Hyrcano

An-

Antipater fuit, eiusque in rebus gerendis adminiſter, quamuis ἐπιμελητὴς Ἰουδαίων, *Iudæorum procurator* ibidem & ſequenti capite dicatur, quod eo in adminiſtranda republica Hyrcanus ſemper vſus fuerat. Quum vero Cæſar Hyrcano pontificatum confirmaſſet; etiam Antipatrum ob rem ad Peluſium præclare geſtam, (reſtituta, quæ inclinabat, acie, & muro capiendæ vrbi perfracto, Ioſeph. dicto cap. XIV) Iudææ ἐπίτροπον, *procuratorem*, quod proprium eius muneris vocabulum eſt, declarauit; vt ibidem cap. XV extremo, & I de Bello cap. VIII narratur. Nec vero Hyrcano hoc modo imperium omne ſubtractum fuit, ſed ipſe Antipater eodem capite VIII Iudæis rerum nouarum cupidis, minatus dixit, ſi pergerent vana ſpe tumultuari, futurum eſſe, vt Hyrcanum ἀντὶ βασιλέως, *pro rege* tyrannum, & ſe ἀντὶ κηδεμόνος (quod molliſſimum procurationis verbum eſt) δεσπότην, *dominum* experiantur. Atque ita nec auctus honoribus, firmatusque a Cæſare, regiam dignitatem Hyrcano abiudicauit.

XIIII. Hæc ſunt initia ablati ſceptri ante Herodem, quæ vt illuſtriora faciamus, ex ſæpe laudati Ioſephi lib. XIV cap. VIII adiungimus, Pompeium Hieroſolyma ὑποτελῆ φόρου *ſtipendiaria* Romanis reddidiſſe, & breui tempore *plus quam decem millia talentorum* ab Iudæis Romanos exegiſſe, quibus immunitates & priuilegia primum a Pompeio conceſſa, deinde aucta ab Iulio Cæſare (vt ſupra ex decreto eius num. X. oſtenſum) nequaquam repugnant. Vmbra enim libertas fuit, quam Romani Iudæis reliquerunt; & regnum precarium, quo Hyrcanus & Herodes vſi ſunt, quum Tacito

cito

cito auctore Agricol. cap. xiv, *vetus & iam pridem recepta populi Romani conſuetudo fuerit, vt haberet inſtrumenta ſeruitutis & REGES.* Initium ergo ablati ab Iuda ſceptri in eo tempore ſtatuendum eſt, quo Pompeius templum expugnauit, Ariſtobulum catenis ſtrinxit, Hyrcanum rebus quidem præeſſe, ſed vt clientem Romani populi, permiſit. Ipſe Ioſephus, quum illam Pompeii victoriam deſcripſit, ſæpe dicto cap. VIII libri XIV hoc ingenue confeſſus eſt, *τὴν ἐλευθερίαν ἀπεβάλλομεν καὶ ὑπήκοοι Ρωμαίων κατέστημεν, libertatem* (Ariſtobuli & Hyrcani diſcordiis) *perdidimus, & Romanorum imperio ſubiecti ſumus.* Quod Ebræus interpres ſub finem cap. XXXIX expreſſius ita tranſtulit: ומאז ירדנו מגדולתינו והיינו כנועים תחת יד מלכות רומה *Ex eo tempore deiecti ſumus de dignitate noſtra, humiliati ſub poteſtatem imperii Romani.* Non poſſumus, quin Germanicam translationem adiiciamus ex p. 134 B. ed. Amſterd. vt elegantia ſermonis patrii, quo vtuntur hi homines, vna innoteſcat: Von demſelbigen Tag an und für baß da ſeyn wir genidriget von unſer Achbarkeit, und wir ſeyn geweſen unterthänig, unter dem Gewalt des Königreich Rom. Similia ferme in libro Iuchaſin p. 15. A. leguntur.

XIV. Hæc de Pompeii expeditione, qua ſe ſubiugatos fuiſſe ipſi Iudæi non diffitentur, vt adeo non audiendi ſint, qui demum ab Herode ſceptrum Iudæis ablatum exiſtimant. Euſebius Hiſt. Eccleſ. lib. I. cap. VI, facile princeps huius ſententiæ, *Quum Herodes,* inquit, *πρῶτος τὸ γένος ἀλλόφυλος, primus genere alienigena Iudaicæ gentis regnum obtineret, completa eſſe* vi-

videbatur Moſis prædictio, quæ ſic habet: NON DEFI-CIET PRINCEPS DE IVDA. Loquitur enim cum Græcis LXX, qui שבט verterunt non *ſceptrum*, ſed ἄρχων *princeps*. Sequuti ſunt Hieronymus in Matth. XXII, 16. & Sulpicius Seuerus lib. II cap. XXVII. Herodem vocantes *alienigenam*, & hic etiam *externum regem*, quaſi prius compleri vaticinium non potuerit, quam imperium gentis ad peregrinum hominem deuolutum eſſet. Quod ſi vero peregrinitas Herodis infringi potuerit, ſponte ruet, quod ei impoſitum eſt, de initio ablati ſceptri argumentum.

XV. Iuſtinus Martyr contra Tryphon. p. 272. Herodem *Aſcalonitam* vocat, & Euſebius Demonſt. Euang. lib. VIII p. 374. ac Sulpicius Seuerus c. l. patrem eius Antipatrum *Idumæum* appellat; quæ quidem minus forſan inter ſe conuenire videbuntur. Idumæa enim Iudææ ab Auſtro ſubdita, Arabiam Petræam attingit; Aſcalon autem ad mare ſita eſt vrbs in termino occidentali. Sed laxi tum fines Idumææ erant ad mediterraneum vſque mare protenſi. Plinius enim lib. v. cap. XII. quum oram maritimam a Peluſio per Oſtracinen deſcripſit, ſubiicit principio cap. XIII. *Mox Idumæa incipit:* & Ptolemæus lib. v. cap. XVI extremo Idumæam ponit ἀπὸ δύσεως, *ab occaſu* Iordanis fluminis, quod quidem ἀκύρως dictum, vt tamen occiduum Idumææ ſitum, quod ſatis nobis eſt, perſpicue declaret. Strabo clarius lib. XVI p. 523 *Iudææ* ἑσπέρια ἄκρα, *extrema occidentalia, Caſio monti proxima, attingunt Idumæi.* Aut Idumæus dictus fuit Antipater, quia pater eius eiuſdem nominis, Herodis auus, ab Alexandro & Alexandra, Iudæorum regibus,

conſtitutus

Digitized by Google

conſtitutus erat στρατηγὸν ὅλης Ἰδουμαίας, *præfectus militiæ per totam Idumæam*, Ioſepho prodente lib. XIV cap. II. Nicolaus Damaſcenus, vt ibidem refertur, genus eius deducit ἐκ τῶν πρώτων Ἰουδαίων, *ex primariis Iudæis*, qui ex Babylonia reuerterunt. Sed quia multa fecit ſcripſitque in gratiam Herodis Nicolaus, cuius amicus erat & ad Cæſarem legatus; fidem clariſſimi ſcriptoris quidem non ſugillamus, nec vero tuto ſatis in illa innitemur. Eſto ergo, Idumæum Herodem fuiſſe & Aſcalonitam, quam ciuitatem auus eius, quum Idumææ præeſſet, ſibi conciliauerat; tamen inde non probabitur, alienigenam Herodem & externum regem, quod Sulpicius cum aliis volebat, exſtitiſſe.

XVI. Etenim Idumæi iam olim adiuncti Synagogæ fuerant, admiſſo in ſe circumciſionis ritu, & aliis Iudæorum ceremoniis adſumtis, quum Hyrcanus Ariſtobuli, primi regis ex Haſmonæis pater, rebus Iudaicis præeſſet. Ex quo tempore factum eſt, ὥστε τὸ λοιπὸν Ἰουδαίους, *vt Idumæi impoſterum Iudæi cenſerentur*, Ioſepho fatente lib. XIII cap. XVII. Et Strabo lib. XVI p. 523 de Idumæis, προσεχώρησαν τοῖς Ἰουδαίοις καὶ τῶν νομίμων τῶν αὐτῶν ἐκείνοις ἐκοινώνησαν, *acceſſerunt Iudæis, etiam ſacrorum illorum participes facti*. Qua de cauſſa idem Strabo p. 526 Herodem, Antipatri filium, ἄνδρα ἐπιχώριον, *indigenam* vocat, non peregrini generis hominem: & Hieronymus d. l. *proſelytum regem*, quod quidem *alienigenæ*, quem ibidem vocauerat, conciliari non poteſt, *Quis* enim, (quod Scaliger dixit ad Euſeb. p. 161) *vetuſtiſſimos proſelytos vnquam legit alienigenas vocari?*

XVII. Vt ſuam ſententiam confirmaret, Euſebius dicto lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. VI. ex Africano admiſcet, quibus peregrinitatem Herodis manifeſtiſſime putat demonſtrari. Quæ quoniam ab Ambroſio Latine repetita ſunt (in Lucæ cap. III p. 52 ex eius interpretatione potius, quam Græce, recitabimus. *Fertur*, inquit Ambroſius, --- *quia Idumæi latrones Aſcalonem vrbem Palæſtinæ ingreſſi, de fano Apollinis, quod vallatum muris erat, Antipatrum, Herodis cuiusdam hieroduli filium, inter alios abduxere captiuum, quem pater redimere propter paupertatem nequiuit. Is igitur imbutus diſciplinis & myſteriis Idumæorum, Hyrcano Iudææ regi amicitia copulatur, quem pro ſe ad Pompeium Hyrcanus legatum direxit.* Sed fabulam eſſe, quæ Africanus de Antipatri genere ſcripſit, in odium Herodis confictam, cum Scaligero ad Euſeb. Chr. p. 161 cenſemus, quia Ioſephus omnia his contraria docet, Herodi genus clarum vsque ab auo, qui ſub Alexandro, pontifice & rege, Idumææ præfectus fuit, contigiſſe. De quo ſupra num. XV diximus.

XVIII. Sed aiunt, qui alienigenam Herodem credunt, multa pagano more potius, quam Iudaico egiſſe. At ſi ex moribus de origine iudicare liceret, quot quæſo ex longa auorum ſerie Chriſtianos poſſis gentilitatis arguere, quia peius quam pagani & gentiles viuunt? Deinde vrgent, Antigonum, quum ab Herode & Soſio obſideretur, populum admonuiſſe, ne Herodi vrbem & regnum traderent homini *Idumæo*, τυτ' ἔςιν ἡμιιυδαίῳ, *hoc eſt, ſemiiudæo*, apud Ioſephum lib. XIV Antiq. cap. XXVII. Sed hoc hoſtis iurati conuicium eſt; non veritatis, vt vidimus, argumentum, quum

a xc

Digitized by Google

à xc annis aut amplius omnes Idumæi Iudaicæ profeſſionis & vere Iudæi fuerint. Ioſephus pariter indignatione adductus lib. xiv extremo eundem dicit οἰκίας δημοτικῆς καὶ γένους ἰδιωτικοῦ, *plebeiæ familiæ & priuati generis.* Verum & hæc non aliter, niſi reſpectu ſacerdotalis dignitatis, quæ nobiliſſima apud Iudæos erat, intelligenda ſunt; quum claro Herodem loco natum fuiſſe, ſupra ex eodem Ioſepho probauerimus. Quid multa? Idem Ioſephus lib. xx cap. vi de Cæſarienſibus Iudæis refert, in certamine cum Syris ſibi primas partes popoſciſſe, quia Herodes conditor ciuitatis, τὸ γένος Ἰουδαῖος, *genere Iudæus* fuerit. & ipſe lib. xv cap. xiv Iudæos compellat, ἄνδρες ὁμόφυλοι, *viri eiuſdem generis.* Ergo Herodes non ἀλλόφυλος, id eſt alienigena ſiue peregrinus fuit.

XIX. Sic initium ablati Iudæorum ſceptri a Pompeii victoria, nec demum ab imperio Herodis cœpiſſe, ſatis, putamus, demonſtratum eſt. Licet vero per legem, quam ipſi nobis poſuimus, non poſtulari a nobis poſſit, vt vltra principium, ſeu Pompeii expeditionem, in narrandis rebus progrediamur: quod tamen initiis lux etiam non parua accedit, ſi illis quodammodo adiiciatur; quis medius ſtatus, qui finis tandem rerum fuerit, breuiſſime tantummodo & per ſumma capita de illis quoque differemus, vberiori deductione in aliud tempus & opportunitatem reſeruata.

XX. Initium, vt ſæpe dictum eſt, a capto templo numeramus, per cuius munimenta primus irrupit Fauſtus, Syllæ dictatoris filius, ob id egregie ornatus a Pompeio: quæ geſta ſunt M. Cicerone & C. Antonio coſs. quod Ioſephus obſeruauit lib. xiv cap. viii. Ex

eo tempore Hyrcanus reipublicæ vel vere vel titulo tenus præfuit, expulſus poſt xi annos ab Antigono, & auribus præciſis in Parthiam abductus, quod Ioſephus lib. xv cap. ix plenius exponit. Herodes, Romanorum ope eiectis, & Antigono ſecuri percuſſo, xxxiii annos rempublicam vexauit magis quam rexit, de quo Ioſephus lib. xvii cap. x conſulendus: quibus ſi ix annos Archelai adiicimus, poſt quos in Galliam relegatus & Iudæa in prouinciæ formam redacta fuit; veniemus ad alteram ablati ſceptri periodum, quæ ſtatum Iudææ prouincialem tenet. Tunc enim Iudæa Romanos præſides habuit, ſeu *procuratores* Cæſaris, vt Tacitus illos proprio vocabulo appellat lib. xv cap. xliv, vsque ad ſupremum tumultum, qui cauſſa fuit ruinæ atque euerſionis, quum Geſſius Florus ab Iudæis pelleretur. Tertia periodus habet Veſpaſiani Titique expeditionem, cum vrbis exſcidio & gentis diſperſione. Conſummata enim ſceptri ablatio fuit, quando Titus & vrbem & templum Hieroſolymitanum ſolo æquauit. Primam periodum Antigoni tumultus; ſecundam Agrippæ maioris imperium; poſtremum interrupit quodammodo, ſed breue & vix memorandum erat, quod ex tranſuerſo intercucurrit. DEI autem miſericordia eſt, quod ita ſenſim & pedetentim amouit, quæ vno impetu deſtruere potuiſſet.

ADDITAMENTVM.

QUum humani generis Seruator homo Bethlehemi naſceretur, *Cyrenium* quendam, ſiue, vt Romani vocant, *Quirinium* Syriæ ἡγεμονεύοντα fuiſſe, ex ſanctiſ-

ctiſſimis & indubitatis tabulis conſtat. Quis ille Quirinius fuerit, & quo officii genere defunctus eo anno, ſi quid aliud ex vetuſtis hiſtoriis, difficile admodum eſt explicatu. Ioſephus, diligentiſſimus rerum Iudaicarum ſcriptor, nihil de cenſu horum temporum aut de præſidatu Quirinii commemorauit: XII vero poſt annos, Archelao in Gallias relegato, Quirinium, quem mirifice laudat, in Syriam cum proconſulari imperio miſſum eſſe, & ſimul Archelai bona percenſuiſſe, idem ineunte lib. XVIII Antiquit. Iudaic. refert. Hic fuit P. Sulpicius Quirinius, quem Tacitus laudat III Ann. cap. XLVIII, qui *expugnatis per Ciliciam Homonadenſium caſtellis inſignia triumphi adeptus, datusque rector C. Caſari Armeniam obtinenti, Tiberium quoque Rhodi agentem coluiſſet.* At eo anno, quo mundi Salus in lucem prodiit, Sentius Saturninus Syriarum præſes ſiue proconſul erat, vt non tantum ex Ioſepho per ſucceſſionem præſidum inde a Pompeii victoria lucidiſſime conſtat, verum etiam Tertullianus, antiquiſſimus Chriſtianorum, qui latine ſcripſerunt, lib. IV contra Marcionem cap. XIX confirmat. *Cenſus*, inquit, *conſtat actos ſub Auguſto nunc in Iudæam per Sentium Saturninum, apud quos genus eius* (Chriſti) *inquirere pagani potuiſſent.* Cui eo magis decet nos fidem habere, quo diligentior fuit in hiſtoriis huius rei perſcrutandis, vt qui archiua etiam Romanorum perſpecta habuerit. Nam eodem libro cap. VII *archiua Romana* ait *cuſtodire cenſum Auguſti, teſtem fideliſſimum Dominicæ natiuitatis.* Quapropter cum magnis viris Iſaaco Caſaubono in Exercit. ad Baronii Annales, cum Iacobo Vſſerio in Annalibus mundi p. 531, cum Henrico

Digitized by Google

rico Noris, Vaticanæ nunc præfecto, in Cenotaphiis Piſanis p. 321 cenſemus, Quirinum virum conſularem, quod id temporis in Oriente degeret, ac bellum contra Homonadenſes feliciter confeciſſet, in Syriam cum extraordinario imperio miſſum fuiſſe, vt tum ibidem, tum in Iudæa, quæ gens erat ſocia & amica populi Romani, cenſum perageret. Atque ita vtrumque conſtabit, & quod Tertullianus habet, *cenſus actos per Sentium Saturninum*, & quod Euangeliſta docet, *deſcriptionem factam eſſe* ἡγεμονεύοντος Κυρηνίου. Nam ampliæ notionis hoc vocabulum eſt, & tam extraordinariis quam ordinariis, tam majoribus quam minoribus magiſtratibus conferri ſolet.

DISSERTATIO III.

De PRINCIPIO REGNORUM & HISTORIARUM, qua CTESIÆ CNIDII de Aſſyriorum Medorumque nec non Babyloniorum Regibus ſententia examinatur & vanitatis conuincitur,

habita A. 1694.

Cuſtos veritatis & conſeruatrix memoriæ eſt Hiſtoria, cum iccirco Tullius dixit lib. II. de Ora-

Oratore cap. IX *teſtem temporum, lucem veritatis, vitam memoriæ, magiſtram vitæ, nuntiam vetuſtatis,* qua voce oratoris immortalitati commendetur. Vtique dixit conſularis vir, quod res eſt, & quod omnes ab Hiſtoria ſperare decet. Nam niſi illa eſſet, omnia in tenebris immerſa iacerent, nec vitæ noſtræ ſuperaret, vnde lucem ſibi aut conſilium in dubiis rebus peteret. Hiſtoriæ enim monimentis, quidquid illuſtre vnquam fuit, ad poſteros propagatur, vt ex antiquis caſibus de nouis iudicare, & quid opus facto ſit, ſine offenſa quisque inuenire poſſit. Eſt tamen cauendum maximopere, ne fabulas pro hiſtoriis obtrudi patiamur, quod, ne pluribus eueniret, leges hiſtoriarum a maioribus noſtris latæ ſunt, quarum prima illa eſt, quam dicto libro Tullius cap. XV tradit, *vt ne quid falſi hiſtoria dicat:* ſecundum eam, *ne quid vere non audeat.* Bene cum litterarum ſtudiis & cum vitæ civilis inſtitutione ageretur, ſi ad has leges omnes hiſtoriæ compoſitæ informatæque eſſent, vt lucem ex illis & veritatem hauriamus, non errores confirmemus. Verum, vt cunctis temporibus non defuere, qui leges illas poſthaberent; ſic cumprimis ſunt antiquiſſima ſæcula, quæ hiſtoricorum vel oſcitationem, vel prauitatem ingenii ac ſubleſtam fidem poſſunt incuſare. Cuius vel ſola narratio, quam in præſenti examinamus, de primis in Oriente imperiis, exemplo luculento eſt.

II. Qui inde ab Auguſti æuo ad noſtra vsque tempora hiſtorias vel breui ſumma, vel iuſto elaboratoque opere tradiderunt, pæne omnes in eo conſentiunt, vt prima in orbe imperia ad Aſſyriam vel Babylonem referant, & quidem eo vsque per longiſſima tempora re-

ducant, vt illud ſæculum, quo orbis ſubmerſus iacuit, quam proxime contingatur. Magnum, quod intereſt, ſpatium longa regum ſerie, quos nominatim recenſent, tanquam certiſſimi de iis, adimplent: cuius rei certiores rationes plerique ſecuri prætermittunt.

III. Quum vero nihil in hiſtoriis pro vero acceptandum ſit, quod ex probatis teſtimoniis non approbari confirmarique poſſit; magna nos dubitatio inuadit, an, quæ *de initiis imperiorum* ſunt tradita, ab eiuſcemodi auctoris fide habeantur, vt de iis dubitare non liceat. Sub Auguſto Cæſare Diodorus Siculus & Trogus Pompeius idem tradiderunt, quod Tiberio imperante Velleius Paterculus iterauit, ſub Antonino Pio in ſummam contraxit Iuſtinus, quos duces Chriſtiani pæne multi ſequuti ſunt, Euſebius, Hieronymus, Auguſtinus, Oroſius, Iornandes, quorum veſtigiis inſiſtunt, quotquot hodieque hiſtoriarum breuiaria in lucem ediderunt. Nobis vero videtur de antiquis ita temporibus cenſendum, vt diuinæ ſcripturæ nihil aduerſum ac repugnans adſumatur.

IV. Nimrodum primum in Oriente regem fuiſſe, ſacræ litteræ; Belum vel Ninum, profanæ tradunt. Has vt conciliarent, diuinam & profanam fidem, clariſſimi viri non mediocrem operam dederunt, quibus vel idem Nimrod ac Belus eſt, & Ninus Beli filius; vel Nimrod & Ninus idem; aliis ſinguli diuerſi Nimrod, Belus, Ninus. Non ſumus ii, qui vel ſuperſtites cordatiſſimos viros, vel Manes defunctorum ſollicitemus: nec poſſumus tamen, quin veritatis cauſſa, ſed illorum bona pace ac ſalua exiſtimatione, quæ noſtra ſit ſententia, liberius, aperiamus. Sæpe enim meritiſſimi

viri

viri doctiſſimique cum vulgo ſentiunt, in re præſertim quæ tot ſæculorum conſenſionem habet. Si qui nominandi ſunt, cum honore nominamus M. Z. Boxhornium, cui diverſi ſunt Nimrod, Ninus, Belus; conjuncti tamen, & alter alteri ſuccedens. Ab hoc diſſentit Io. Conradus Dietericus, vir multæ doctrinæ & induſtriæ, cui Nimrod, ipſe Belus eſt; Ninus autem Beli filius: cui ſententiæ etiam Petr. Ioſephus Cantelius, in Iuſtinum Notis anno CIↃ IↃCLXXVII editis, & in Civili Hiſtoria Vlricus Huberus, uterque vir ampliſſimus, acceſſit. Alia opinione fuit Io. Vorſtius, multis ingenii monimentis, quæ condidit, præclarus, qui itidem in Iuſtini primordium, Nimrodum & Ninum eundem habet. Innumeros alios ſilentio præterimus.

V. Quæ ſuſpectam reddant hanc vulgarem opinionem, dudum etiam in *Hiſtoria antiqua* noſtra attulimus, obſtare *rerum* nempe *novitatem*; quum difficile ad credendum ſit, altero poſt cataclyſmum ſæculo tam potentes, tam populoſas nationes, numeroſoſque exercitus in Aſia fuiſſe, ac ab iis non ſolum vicinos, ſed Indos etiam, Aethiopes, & Libyos, & ipſos Sarmatas Europæos, immani bello petitos eſſe, quod omnes illos neceſſe eſt credere, qui Ninum ac Belum vel eundem ac Nimrodum, vel proximum illi ſucceſſione faciunt. Si quis enim apud animum expendit, quantum Diodorus lib. II cap. V exercitum Nino adſcribat, *πεζῶν ρο μυριάδας*, DCC *millia peditum*; *ἱππέων μιᾶ πλείους τῶν εἴκοσι μυριάδων* CCX *millia equitum*, & ferme MDC *ἅρματα δρεπανηφόρα*, *currus falcatos*; obſtupeſcendum ſane eſt & nimiopere demirandum, unde tam breui poſt diluvium tempore, tam paucis ex

aqua ſeruatis, infinita hominum multitudo enata fuerit. Ipſe Diodorus ἄπιστον, *incredibile* videri ait: ſed fidem putat haberi poſſe, ſi τὸ τῆς Ἀσίας μέγεθος, *amplitudo Aſiæ* conſideretur. Sed quod alia tempeſtate non indignum fide fuit; altero poſt diluuium æuo, qui credi poſſit, ſalua paucitate ſeruatorum; non equidem nobis apparet.

VI. Paganis ſcriptoribus ignoſci facile poteſt, ignorantibus quippe, quæ cum humano genere, tantum non inundatione deleto, diuinitus acta fuerant: Chriſtianos imitari nos, omnino eſt, quod admiremur. Sed quid non perſuadet inueterata opinio, adſenſu plerorumque, quos *Græcia* & *Latium* habuere, approbata? Quo autem illi auctore vſi fuerint, & cuius fide innixi; hoc demum eſt, quod excutere atque examinare nunc nos oportet. Diodorus Siculus, qui omnium copioſiſſime de hac re ſcripſit lib. II ſub init. non ſemel fatetur, quidquid de Aſſyriorum rebus tradat, ex *Cteſiæ* ſe monimentis depromſiſſe. Is Cnidius homo fuit, captus bello, quod Cyrus minor cum fratre Artaxerxe geſſit, & in Perſidem delatus, medicinam ibi per XVII annos exercuit. Hic quod inuidia aduerſus Herodotum Halicarnaſſenſem flagraret, hiſtoriam ſcripſit in pleriſque illi, quam Herodotus ediderat, contrariam, quæ eo cupidius a pluribus recepta fuit; quod ipſe, Diodoro teſte, dixit, ſe ἐκ τῶν βασιλικῶν διφθερῶν, *ex regiis membranis* ſua omnia edidiſſe. Hic vero, vt apud Photium Cod. LXXII eſt, viginti tres libros de rebus Perſicis reliquit, in quorum ſex prioribus τά τε Ἀσσύρια διαλαμβάνει, *res Aſſyriorum pertractauit*: in vltimo κατάλογον βασιλέων ἀπὸ Νίνου καὶ Σεμιρά-

μεως

μεως μέχρι Ἀρταξέρξου, *catalogum regum a Nino & Semiramide vſque ad Artaxerxem*, adiecit. Reliquos libros patriarcha Photius excerpſit ſatis verboſe: priores, de Aſſyriorum rebus, non attigit: ſummam vero eorum Diodorus & Euſebius non plane nos ſinunt ignorare. In duobus autem potiſſimum conſiſtunt, quæ contra fidem & probabilitatem ſcripſiſſe in iis fertur.

VII. Primum eſt, regi Nino tam *vaſtum imperium* exſtitiſſe, vt fines eius ab Indo ad Helleſpontum; & a Nilo ad flumen Tanaim prolati fuerint, quod cap. II Diodorus per ſingulas, quæ his terminis concludebantur, prouincias Aſiæ nominatim enarrauit. Alterum, quod ſuſpectæ fidei videtur, eſt *diuturnitas imperii* Aſſyriorum, quod vltra CIↃCCCC annos ſtetiſſe Diodorus ex eodem Cteſia cap. XXIII tradit, ſiue vt Iuſtinus habet lib. I. cap. II, *annos mille trecentos*; ſiue vt Auguſtinus lib. XVIII de Civ. Dei cap. XXI, *mille trecentos quinque*: Velleium, qui lib. I. cap. VI *mille ſeptingentos* habet, quod numerus ſuſpectus multis eſt, nunc prætorimus. Quod ſi illud eſt, oportet initium imperii in tempora illa incidiſſe, quæ terrarum diluuio admodum propinqua fuerunt. Hæc vero repugnare omnino ſibi videntur, ſi nouitatem omnium rerum, quam poſt diluuium neceſſe eſt exſtitiſſe, ad animum reuocamus. Aut enim tam vaſtum imperium Aſſyrii primi non habuerunt: aut a diluuio illius principium per aliquot ſæcula proferendum eſt. Quod ſi ſacræ ſcripturæ, vt par eſt, fidem ſequemur, non dubitamus vtrumque, quod poſuit, euerti poſſe.

VIII. De paucitate hominum, qui primo poſt diluuium æuo vixerunt, iam ſupra memorauimus, non

poſuiſſe

potuiſſe eius numeri eſſe, vt tot prouinciis frequentiſſime incolendis, & tot bellis, ac exercitibus, quantos Ninus collegiſſe fertur, vel mediocriter ſuffecerit. Qui ergo Ninus potuit vel ipſe Nimrod, vt quidam credunt, vel Nimrod ſeu Beli (nam pluribus idem Belus qui Nimrod) filius & ſucceſſor eſſe? In numero prouinciarum, quas Ninus tenuiſſe, fertur, Diodorus etiam Syriam & Phœnicen recenſet, nec non Aegyptum & omnem Aſiam citeriorem. At vero patriarcharum tempore non vnus monarcha erat Aſiæ, ſed Babylonia ſuum regem habuit; habuit & Elam ſiue Perſis: habuit Aegyptus, nec aliis regionibus ſui reges vel reguli defuerunt. Hi bella inter ſe mutuo geſſerunt, & omnia egerunt arbitrio ſuo, quod ſatis argumentum eſt, illos non ſatrapas aut vnius præpotentis in Aſia regis clientes fuiſſe, cuius ne nomen quidem vel ipſi vel ſancti patriarchæ, quantum ex ſacra hiſtoria conſtat, inaudiuerant. Ioſua Cananæis Palæſtinam eripuit, gentes illius ad internecionem cecidit; Amalekitæ, Moabitæ, Midianitæ quos tumultus, quæ bella excitarunt? quod prœlia David cum Syris ad Euphratem commiſit? nullus tum in Aſſyria ſupremus dominus fuiſſe legitur, qui tantos motus, in regno ſuo concitatos, comprimeret atque ſedaret, qui tamen, ſi fuiſſet, tantos tumultus, tot prœlia & ſuorum clades haudquaquam ferre debuiſſet.

IX. Aſiam antiquitus ſuos reges habuiſſe non negamus: hos vero plures vno tempore & ſingulos non maximarum regionum dominos fuiſſe, & res ipſa docet, & hiſtoriæ etiam ſacræ commonſtrant, e quibus illud vtique certum & extra omnem dubitationem eſt,

Aſſy-

Aſſyrios reges Euphratem non tranſiiſſe legi, antequam Ahaſi rogatu, Tiglatpileſar, Rezeno eiecto, finem regno Damaſcenorum attulit. Quod vero ad numerum annorum & diuturnitatem imperii pertinet; malumus cum Herodoto & Appiano Alexandrino facere, quam cum fabuloſo Cteſia, eiusque ſectatoribus, vanitate hominis imprudenter, vt videtur, deceptis. Herodotus, ſcriptor fide digniſſimus, lib. I. cap. xcv tradit, Aſſyrios regnaſſe vsque ad Medorum defectionem ἐπ' ἔτεα εἴκοσι καὶ πεντακόσια, *per annos quingentos & viginti*, quod cum Appiano in præfatione conuenit, quum Aſſyriorum, & Medorum, & Perſarum τρεῖς μεγίστας ἡγεμονίας, *tria maxima imperia* nondum tempus ἐνακοσίων ἐτῶν, DCCCC *annorum*, ait compleuiſſe. Noti ſunt anni Perſarum, CCXXXI, vt Scaliger computauit, nec dubii admodum Medorum, qui ſi demuntur, non vltra quingentos pro Aſſyriis relinqui neceſſe eſt. Quæ ſententia quod nihil habet, ſacris ſcripturis repugnans; omnino præferendam Cteſianæ & vulgari ducimus, tot difficultatibus & abſurdis rationibus implicatæ.

X. At magnam Cteſiæ auctoritatem apud Græcos fuiſſe, pæne multi obiiciunt. Non negamus, ſed eo facilius credimus, quod etiam errores atque fabulæ ſuos patronos inueniunt, quæ ſæpe tenacius apprehenduntur, quam ipſa ſimplex veritas. Minus de fide eius dubitaremus, ſi apud antiquos cordatiores conſeruare illam potuiſſet. Sed quam grauis fuerit, quam fide dignus; & Ariſtoteles, & Plutarchus, & Antigonus prodiderunt. Iſte lib. VIII Hiſtor. Animal. cap. XXVIII *Cteſias*, inquit, οὐκ ὢν ἀξιόπιστος, *non eſt fide dignus*,

dignus: illi in vita Artaxerxis pag. 1014 πρὸς τὸ μυθῶδες καὶ δραματικὸν ἐκτρεπόμενος τῆς ἀληθείας, *a veritate ad fabulas conuerſus* dicitur, cui etiam ibidem p. 1017 λαμπρὸν ψεῦσμα *manifeſtum mendatium* imputauit: hic, in Hiſt. Paradox. xvi, de Cteſia, αὐτὸν πολλὰ ψεύδεσθαι *eum multa mentiri*, non veritus eſt ſcribere. Qui ergo in aliis ſubleſtæ fidei fuit, num tuto illum in antiquiſſimis rebus ſequemur? in iis etiam, quæ vidit & quibus interfuit, diſſentit ſæpe numero ab aliis, qui pariter cum Perſis conuerſati erant, & omnium curatiorem notitiam habere potuerunt, vt de Xenophonte, qui Cyro minori militauit, à Photio d. l. obſeruatum fuit. Ait enim principio ex Cteſia Excerptorum: οὐχ Ἡροδότῳ δὲ μόνῳ τἀναντία ἱστορεῖ, ἀλλὰ καὶ πρὸς Ξενοφῶντα τὸν Γρύλλου ἐπ' ἐνίων διαφωνεῖ *non Herodoto ſoli contradicit, verum etiam in aliquibus a Xenophonte diſcordat*, quem vero vt peritiſſimum rerum Perſicarum omnes ſemper laudauerunt.

XI. Nec maior illius fides in locorum deſcriptione. Exemplo ſit *Ninus*, vrbs omnium quondam circuitu ampliſſima, ciuium numero maxima. Hanc Plinius lib. vi. cap. xiii ait *Tigri impoſitam fuiſſe*: perinde ac Herodoto lib. i. cap. cxciii παρὰ τὸν Τίγριν Νῖνος πόλις οἰκέαται, *Ninus vrbs ad Tigrim ſita eſt*: & Straboni ineunte lib. xvi ἐν τῇ Ατυρίᾳ, *in Aſſyria*, σσ pro more gentis in τ mutato, quod frequens in hoc verbo eſt apud Syrum & Targumiſtas: clarius Byzantio illi Stephano, populorum & vrbium diligentiſſimo ſcriptori, πόλις Ἀσσυρίων, *ciuitas Aſſyriorum*, quamquam & ipſe addit ἐν Ατυρίᾳ. Mirum vero,

Cte-

Digitized by Google

Cteſiam Cnidium, qui tot annos in Perſia verſatus fuit, *Ninum*, non Tigri, ſed *Euphrati* adpoſitam dixiſſe, vt apud Diodorum cap. III lib. II. eſt. Vir quidem ampliſſimus Vlricus Huberus Hiſt. Ciuil. lib. I. ſect. IV cap. III, vt in ceteris, ita & in hac cauſſa defendit Cteſiam, quod alia Ninus ad Tigrim, alia, & *vetus* cognomine, ad Euphratem ſita fuerit, cuius Philoſtratus lib. I. Vitae Apollonii cap. XIII, & Ammianus lib. XIV cap. XXVI meminerint. Eſt ita; Philoſtratus inter Antiochiam & Zeugma quandam ἀρχαίαν Νῖνον memorat, *Ninum veterem*, ſed Ammianus addit *Hierapolim* eſſe, quae id nomen antiquitus obtinuerit. Verba haec ſunt: *Prima poſt Osdroenam, Commagena clementer adſurgit, Hierapoli vetere Nino, & Samoſata, ciuitatibus amplis, illuſtris.* Vbi Valeſius p. 42 adnotauit: *Scribendum eſt abſque virgula*, HIERAPOLI VETERE NINO, vt eadem vrbs ſit, quae *Ninus* olim *cis Euphratem*, & *Hierapolis* appellata fuit. Hierapolis autem, quam Ptolemaeus lib. V cap. XV in Cyrreſtica ponit, ad Commagenem ab Ammiano refertur, quia in vtriusque confinio quaſi ſita fuit. Non autem illam Cteſias, vel Diodorus hunc ſequutus, intellexit, quia non ad Euphratem ſita fuit, ſed longius ab eo reducta, & quidem, vt Strabo lib. XVI pag. 515 tradit, ὑπέρκειται τοῦ ποταμοῦ σχοίνους τέτταρας διέχουσα, *ſita eſt trans fluuium* (venientibus ex Meſopotamia in Syriam) *quatuor ſchoenorum ſpatio remota.* Schoenus autem Herodoto lib. II cap. VI habet *ſexaginta ſtadia*, quae fere duo Germanica milliaria conficiunt, vt adeo Hierapolim octo milliariis noſtris ab Euphrate abfuiſſe oporteat. Praeterea vrbs haec, quamquam *capaciſſima* Ammiano Marcellino lib.

XXIII

Digitized by Google

XXIII cap. IV dicta, tantæ amplitudinis haudquaquam fuit, quantam Cteſias & Diodorus Siculus ſuæ Nino dant. Præſtat igitur errorem vtriusque ſcriptoris agnoſcere, quam *veteris Nini* mentione eoſdem excuſare.

XII. Ab vrbe ad regionem venimus. Supra dictum, Cteſiam Nini imperio omnem Aſiam ab Helleſponto ad Indum flumen ſubieciſſe, quod ita amplum ſucceſſores etiam poſſederint. Cum ſtupore enim legimus, quæ lib. II cap. II. Diodorus Siculus, imperii fines, & prouincias enarrans, tradidit. Aliter cordatiores de antiquis Aſſyriis ſentiunt. Dionyſius Halicarnaſſenſis principio operis: ἡ Ἀσσυρίων ἀρχὴ ὀλίγου τινὸς ἐκράτησε τῆς Ἀσίας μέρους, *Aſſyriorum imperium modicam quandam Aſiæ partem obtinuit.* Quænam illa fuerit, Herodotus lib. I. cap. XCV manifeſtauit. Ἀσσυρίων ἀρχόντων τῆς ἄνω Ἀσίης ἐπ' ἔτεα εἴκοσι καὶ πεντακόσια, πρῶτοι ἀπ' αὐτῶν Μῆδοι ἤρξαντο ἀπίστασθαι. *Quum*, inquit, *Aſſyrii in ſuperiori Aſia* DXX *annos regnaſſent, cœperunt Medi ab illis deficere.* SVPERIOR autem Aſia eſt ſeptentrionalis, ab auſtrali, hoc eſt Babyloniæ regno diſtincta, nec probari poteſt, Aſſyrios reges Babylonem ſemper in ditione tenuiſſe, quam ſæpius reges proprios habuiſſe conſtat. Eſt ergo *ſuperior Aſia*, quam Dionyſius Periegeta verſ. 1014 dicit ὑπὲρ Βαβυλῶνος, ἐπὶ πνοιὴν Βορέαο, *ſupra Babylonem, ad ventum aquilonis.* Neque Aſſyrii, ſed Medi fuerunt, qui ſuperioris Aſiæ fines, in occaſum verſus ad Halym vsque amnem prolatarunt, quod ex Lydorum hiſtoria, qui cum Medis de finibus certarunt, luculenter ab Herodoto proba-

tum

tum eſt. Vide lib. 1. cap. cxxx. Qui ergo Hieronymus in Hoſeæ cap. 11, & ipſe Cteſiam ſequutus, pro certo adfirmare potuit, *primum omni Aſiæ regnaſſe Ninum, idque omnes & Græcas & barbaras hiſtorias narrare?* Id OMNE enim hauſit ex Cteſia Græco, quem alii magno numero ſequuti ſunt; & ille ex barbaris Perſarum annalibus ſe ſua expromſiſſe ſcripſit.

XIII. Vix ergo aliquid certum de Aſſyriorum imperio habemus, præter pauca illa, quæ ſacris pandectis inſperſa videmus: quum nullæ antiquiores hiſtoriæ exſtent, & Græci demum ſub Perſarum imperio ad ſcribendum ſe contulerint. Nota ſunt omnia *Phul, Tiglatpileſar, Salmanaſſar, Senacherib, Aſarhaddon*: qui his adduntur, dubii omnes & incerti adeo, vt magnam illam Semiramidem, quam Diodorus & Iuſtinus cum Cteſia in cælum tollunt, illuſtris Voſſius lib. 1. de Idolol. cap. xxiii. vnquam fuiſſe dubitet. Herodotus quidem lib. 1. cap. CLXXXIV Semiramidem laudat conditricem molis, qua Euphrates, ne damnum Babyloni ferret, coercebatur; ſed hæc in Babyloniis regibus, non in Aſſyriis, numeratur, qui in Aſarhaddone, aut paullo poſt, videntur defeciſſe. Quod ſi omnino Aſſyriorum fuit, & alia ab illa Babylonia, non tamen tam antiqua fuit, vt ad Nimrodi tempora recedat, id quod ſupra euicimus. & olim etiam dubitatum fuiſſe, aut aliter creditum de ætate famoſæ illius Semiramidis, Porphyrius apud Euſebium Præpar. Euang. lib. 1. cap. vi p. 31. memorauit. Quum enim Σεμιράμεως τῆς Ἀσσυρίων βασιλίδος, *Semiramidis Aſſyriorum reginæ* meminiſſet, ſubiungit: ἢ πρὸ τῶν Ἰλιακῶν, ἢ καὶ αὐτοὺς γε

Digitized by Google

τὸς χρόνους γενέσθαι ἀναγέγραπται, quam Troianis temporibus vel antiquiorem, vel æqualem fuiſſe ſcripſerunt.

XIV. Miſſis itaque fabulis atque incertis traditionibus, de Aſſyriaco regno ſentimus ea, quæ ſacris ſcripturis ſunt probata, aut eiſdem non videntur repugnare. Quo etiam euerſionem eius regni referendam ducimus. Qui ad Nimrodi vetuſtatem reiectant, quamuis longam ex Cteſia regum ſeriem conſtituunt; tamen plerique Medorum defectionem ante reges illos ponunt, quos ſacræ nobis litteræ prodiderunt: quod earundem fide nobis aliter exiſtimandum eſt. Nam quum Salmanaſſar Iſraelitas in captiuitatem abduxit, בְּעָרֵי מָדָי *in vrbibus Mediæ* II. Reg. XVII, 6. locaſſe illos dicitur, quod infallibili argumento eſt, illo tempore Mediam in poteſtate Aſſyriorum adhuc fuiſſe. Nec aliter Ioſephus tradit, cum de Iſraelis deportatione ſub Salmanaſſare; tum de exſilio Damaſcenorum ſub Tiglatpileſare quam iſtos abductos fuiſſe εἰς τὴν Μηδίαν καὶ Περσίδα, *in Mediam & Perſidem*; lib. IX Antiquit. c. XIV; hos εἰς τὴν ἄνω Μηδίαν, *in ſuperiorem Mediam*, ibidem cap. XIII; & ex Media quoque reductos nouos colonos, qui in Samaria habitarent. Cuthæos enim, ſiue nouos Samaritanos, ait lib. X cap. XI πρότερον ἐνδοτέρω τῆς Περσίδος καὶ τῆς Μηδίας, *prius in interiore Perſide ac Media* fuiſſe.

XV. Tandem diſpiciendum eſt, quibus argumentis vtantur, qui Cteſiæ fauent & pro fide eius pugnant. Primum ducunt ex vrbis Nini antiquitate, quæ conditoris præ ſe nomen ferat. Ergo Ninum cum Semiramide ad prima vſque tempora, quæ dilu-

diluuium ſequuta ſunt, reducendum eſſe. Quibus Ninus eſt ipſe Nimrod, ſibi in hac cauſſa viciſſe videntur, quod facer ſcriptor a Nimrodo Ninum conditam *Gen. X. 11.* tradat: ceteri a Nimrodo cœptam ædificari, a Nino filio conſummatam nominatamque eſſe ſibi perſuadent. Nos antiquitatem vrbis non negamus, licet non certiſſimum putemus, eiusdem ætatis etiam nomen eſſe, quod ex anticipationis figura, vt ſæpe fit, dicto loco habuiſſe poteſt. Nec Niniuen a Nimrodo exſtructam eſſe apud omnes æque certum eſt, quum *Aſſur* ibidem Syro, Onkeloſio, & Hieroſolymitano, & R. Salomoni, ſit viri nomen, non regionis; quod quidem multis verbis doctiſſimus Bochartus lib. IV Phaleg cap. XII impugnat, cuius rationes non contemnendas ducimus; nec tamen inficias imus, intolerandam ellipſin vel ה localis, vel præpoſitionis ל videri, vt ſenſus eliciatur, *Nimrodum in Aſſyriam ex Babylonia profectum, vrbem Niniuen condidiſſe.* Adi Iac. Perizonii V. C. Diſſertat. II de Orig. Babylon. Sed quoquo ſe res modo habet, nec hiſtoriæ derogatur, neque vrbis antiquitati, ſiue Nimrod, ſiue Aſſur illam condiderit: nomen etiam poſterius eſſe poteſt, quamquam impoſitum ante Moſis tempora: quod illis etiam ſentiendum eſt, qui Nimrodum auctorem vrbis dicunt, Ninum autem ab Nimrodo vt filium diſtinguunt, vel Belum etiam interponunt.

XVI. Sed non eſt noſtri inſtituti, nouas dubitationes proferre, qui largiri etiam poſſumus, quæ vulgo prætenduntur, vt tamen ſententiæ noſtræ vix aliquid derogetur. Sit Nimrod Belus, ſit Ninus eius-

Digitized by Google

dem filius, & huius vel vxor Semiramis, vt vulgo creditur; vel filia, vt Conon apud Photium Cod. CLXXXVI tradit: ſint hi, qui & Babylonem, & Nineuen, & alias vrbes condiderint: neceſſe tamen, condidiſſe pro temporum illorum conditione; imperaſſe quoque, vt primo æuo potuerunt, non infinitis gentibus, quæ nondum enatæ erant; & belligeraſſe pro indole ætatis iſtius, quæ rudis ad reſiſtendum erat; non exercitibus immenſis vſos, qui necdum in orbe fuerunt; nec cum populis diſiunctisſimis, ſed cum gentibus vicinis, & vt temporum illorum ferebat ratio. Si enim Aſſyrii reges, orto Iſraelis regno, nondum limitem Euphratis transgreſſi fuerunt, quid de antiquis temporibus cenſemus, & de regnorum initiis, quæ ſemper parua ſunt, & longo die demum in ampliorem potentiam excreſcunt?

XVII. At opera, ſtupenda ſane, proſtabant, quæ de magnitudine conditoris vel conditricis teſtabantur, vt muri erant Babylonii, & ipſa vrbs ſplendidisſima Babylon & ampliſſima Ninus ſiue Nineue, & quæ alia ornamenta quondam Oriens tenebat, quæ Belo, Nino, Semiramidi a pluribus vindicantur. Verum nec hæcce nos de ſententia demouere poſſunt. Si fuerunt illi reges, qui vulgo laudantur; origo illis vrbium, non ſumma ornamenta debentur, quæ rudis illa ætas nondum capiebat. Vnam molem tentaſſe ſcimus, excelſam turrim ſiue munimentum, non autem perfeciſſe, Deo interuertente inſolentiæ conatum. Muros Babylonios, & hortos penſiles Semiramidi tribuunt, vt ipſam vrbem aut arcem Belo, quē Nimrodum putant. Ammianus Marcellinus lib. XXIII cap. XX. ed. Grut. *Babylon, cuius mœnia bitumine Semiramis ſtruxit: arcem enim antiquisſimus rex condidit Belus.* At Beroſus

roſus, vetus rerum Chaldaicarum ſcriptor, apud Ioſephum. lib. I. contra Apionem pag. 1045, *μέμφεται ἑλληνικοῖς συγγραφεῦσι, reprehendit Græcos hiſtoricos*, qui perperam credidiſſent & Babylonem, & ornamenta eius a Semiramide, Aſſyriorum regina, fuiſſe: ipſe Nebucadnezari & muros, & alia ornamenta adſcribit, quod Euſebio iudice lib. IX Præparationis Euangel. cap. XLI, cum *Daniel. IV. v. 27* conſentit: & ibidem ſub Nabonnedo, quem Darium Medum propheta vocat, *τὰ περὶ τὸν ποταμὸν τείχη τῆς Βαβυλωνίων πόλεως, istam partem murorum iuxta Euphratem* ait *conſtructam fuiſſe*. Hortos penſiles, *κρεμαστοὺς παραδείσους*, Abydenus, æque antiquus ſcriptor, apud Euſebium dicto loco, eidem Nebucadnezari, tanquam auctori, adſerit.

XIIX. His etiam abunde reſponſum ad cetera videtur, quæ pro Cteſiæ auctoritate adferri vulgo ſolent. In eo enim pleraque vertuntur, quod Nimrod idem qui Belus ſit, & Babylonis ac Nineues regna ſub idem tempus cœperint. Hæc enim de paruis regnis concedimus facile: de maximo & omnem Aſiam occupante, hoc eſt quod dubitamus. Aſſyriaco enim ampliſſimo regno, quod Cteſias deſcribit, quanta regna per Aſiam opponi poſſunt? Amraphelis in Babylonia, Elamitarum in Perſia *Gen. XIV. v. 1.* Pharaonum in Aegypto, Damaſcenorum in Syria, Lydorum in Aſia cis Halym amnem, quæ potentiſſima ſingula erant, nec ſubiecta monarchiæ Aſſyriorum, vt de minoribus etiam, quale Iſraelitarum fuit, & obſcurioribus, quæ circa Palæſtinam erant, ſupra num. XIX. luculenter probauimus. Non ergo vna

Digitized by Google

monarchia temporibus illis in Aſia fuit, nec qui Aſſyriacam ita appellant, negare poſſunt, cum Medos ab illa defeciſſe, tum Babylonios; quæ duo imperia ſatis diu & vnis quidem temporibus in Aſia floruerunt, quod ſufficit infringendæ appellationi vnius, ſolitarii & maximi in Aſia imperii. Qui ex ſacris monarchiarum nobiliorum numerum confirmant, vix habent, quos ante Nebucadnezarem, aut Babylonios antecesſores, allegent, licet his facile concedamus, & ante Babylonios illos reges, in Aſſyria fuiſſe, qui potentia & opum magnitudine Nebucadnezari non diſſimiles exſtiterunt.

XIX. Tum enim Babylonem Orientis poteſtas, quum Aſſyriorum decreuiſſet, collata omnis vel plurima fuit, auctore Nabonaſſaro, qui videtur Baladan eſſe, in ſacris voluminibus laudatus, a quo per ſucceſſores ad Nabopolaſſarum, Nebucadnezaris patrem, deuoluta fuit, cuius ſucceſſores ad Cyrum Perſam vsque, tam ex ſacris, quam ex Beroſi & Abydeni hiſtoriis, ab Ioſepho & Euſebio enucleatis, non poſſumus ignorare. Horum ſucceſſione, & quos alios hiſtoria certior enarrat, adoleſcentium mentes & ingenia maiori cum fructu, quam fictis Cteſiæ nominibus, exerceri erudirique iudicamus.

DISSER-

DISSERTATIO IV.

De

C. SILIO ITALICO POETA CONSVLARI,

habita ann. 1694.

EOrum, qui res geſtas memoriæ prodiderunt, vt ingens multitudo eſt, ſic pleriſque diuerſum ſcribendi conſilium. Alii primas origines, aut originibus proxima referunt, fabulis perſæpe admiſtis, vt fieri in antiquis ſolet, quo auguſtiora gentis, quam ſcribunt, initia videantur. Pars prolatum bellis imperium & per terrarum orbem late vagata arma commemorant, & id maxime agunt, vt campos cæſis hoſtibus conſtratos, maria victoriis infecta poſteritati oſtendant. Sunt, qui rempublicam domi adminiſtratam ſibi curæ habent, vt quæ in ſenatu conſultationes, quæ rogationes ad populum fuerint factæ, plane & perſpicue in lucem proferant, vt, in quo Principis cum ſenatu, aut huius cum populo rationes conueniant vel diſcordent, ſingulorum conſiliis excuſſis, manifeſtum omnibus fiat. Omnium horum, quamuis in diuerſa euntium, ego neque induſtriam reprehendo, neque damno prudentiam, vt potius vtramque ſummis laudibus efferendam eſſe exiſtimem. Sed tamen neſcio, quo pacto aliud genus ſcriptorum meo animo cum primis placeat. Eſt illud eorum, qui ſingulatim vitas illuſtrium virorum principumque ſcrip-

ſere, qui ideo mihi antecellere ceteris videntur, quod plus vtilitatis ex ſingulorum conſideratione, quam ex confuſa contemplatione omnium habemus, quum ſic in arcana cuiusque ſe propius inferre liceat. Quæ cauſſa eſt, vt in præſenti aliquid ex hiſtoriis diſputaturi, malimus præclari cuiusdam viri tum ſtudia, tum honores, & omnem peractam vitam examinare, quam multorum ſimul res geſtas & rationes intueri.

II. Is erit nobis *C. Silius Italicus*, vir clariſſimus & poeta conſularis, de cuius genere primum, deinde de ſtudiorum ratione: poſt de geſtis honoribus, aut cum otio honeſtiſſime commutatis: etiam de aliis rebus, quæ eius vitam atque mortem illuſtriorem reddiderunt, aliquid proferemus. Genus *Siliorum* vt antiquiſſimum, ita nobiliſſimum omnino fuit, quamvis non negemus, originem illorum, vt in aliis gentibus non paucis, quæ ad ſummam nobilitatem peruenerunt, plebeiam & humilem exſtitiſſe, quod doctiſſimus vir Fuluius Vrſinus de familiis Romanis pag. 264 ex Liuii lib. IV. cap. LIV probauit. Ibi enim quæſtoriis comitiis plebem ait ita vltum iuiſſe iniuriam in tribuniciis acceptam, vt inter quatuor quæſtores vnum tantummodo ex patricio ordine crearet, *tres autem plebeios, Q. Silium, P. Aelium & P. Pium, clariſſimarum familiarum iuuenibus prætulerit*. Sed quum ſemel huic familiæ ad honores via patefacta fuit, clarum vtique nomen conſequuta progreſſu temporum, ad ſummæ nobilitatis gradum adſcendit. Vt ex multis tantum vnum exemplum adferamus, ſub Auguſto *C. Silius tertium conſul* fuit, eo anno,

quo

quo is teſtamentum condidit, hoc eſt proximo antequam ex vita demigraret, auctore Suetonio cap. CI.

III. *Italici* nomen plus negotii nobis faceſſit, ab aliis alia interpretatione expoſitum. Sunt qui fuiſſe *Hiſpanum* adfirment, ex *Italica* Bæticæ vrbe, Traiani patria, oriundum, quam ſententiam Petro Crinito & Ludouico Carrioni Dausqueius tribuit, quamquam prior dubitanter id retulerit. Nec vero peregrinitas impedimento erat, quo minus Hiſpania elegantiores poetas proferret. Etſi enim Ciceronis & Luculli ætate *Cordubæ nati poetæ pingue quiddam: atque peregrinum ſonarent*, vt Cicero pro Arch. cap. x. extr. tradit; tamen alia cultura prouinciæ fuit poſt Auguſti tempora, vt Lucani & vtriusque Senecæ ingeniis manifeſtum eſt. Habet vero Claudius Dausqueius, quæ principio commentarii in Silium huic opinioni de Hiſpanica patria opponat. *Qui ex Hiſpania,* inquit, *Italica,* ITALICESIVS *audiebat, aut* ITALICENSIS. Stephanus de Vrbibus: ἔστι καὶ Ἰταλικὴ πόλις Ἰβηρίας, τὸ ἐθνικὸν, Ἰταλικήσιος, *eſt & Italica, vrbs Iberiæ; gentile, Italiceſius.* Gellius Noct. Attic. lib. XVI. cap. XIII. *D. Hadrianus in oratione, quam de Italicenſibus, vnde ipſe ortus fuit, in Senatu habuit.* Addit antiquam inſcriptionem, quam etiam Gruterus pag. 385. n. 1. exhibuit.

COLONI, ITALICENSIS IN PROV. BAETICA.

Quod ſi ergo ex Hiſpania hoc nomen eſſet, *Italicenſem* potius, quam *Italicum*, appellandum Silium fuiſſe autumat.

IV. Eſt quidem diſcrimen huiusmodi terminationum, vt alius *Hiſpanus* ſit, alius *Hiſpanienſis*. Martialis

aliis epiſtola ad Priſcum, quam libro XII præfixit, extrema: ne *Romam non Hiſpanienſem librum mittamus, ſed Hiſpanum.* Soſipater Chariſius lib. I. pag. 84 poteſt interpretis loco eſſe. *Quum dicimus,* inquit, HISPANUS, *nomen nationis oſtendimus: quum autem* HISPANIENSES, *cognomen eorum, qui prouinciam Hiſpaniam colunt, etſi non ſunt Hiſpani.* Tacito etiam *Hiſpanienſes exercitus* ſunt Annali I. cap. III, qui in Hiſpania militant, ex aliis nationibus conſcripti. Feſtus Pompeius quoque in *Corinthienſes* non diſſimiliter ait: *Romanenſes, & Hiſpanienſes, & Sicilienſes negotiatores dicimus, qui in alienis ciuitatibus negotiantur:* niſi in voce *alienis,* ambiguitas ineſt, quæ extra Hiſpaniam ciuitates ſignificet. Nam quod Chariſius diſcrimen docet, nequaquam eſt perpetuum, & Plinius quoque *Hiſpanienſem Oceanum* dixit lib. XXXVII cap. X, qui Hiſpaniam adluit: & *ſpumam* (argenti) *Hiſpanienſis,* lib. XXXIII. cap. VI. Neglexit itaque Plinius, quam Grammatici inculcant, differentiam, vt adeo, ſi ceterum conſtet de origine ex Hiſpania; vix ex eo illa conuelli poſſit, quod *Italicus* noſter, non *Italicenſis* appelletur. *Italiceſii* nominis, quod pure Græcum eſt, nulla habetur ratio. Si fuit autem in Hiſpania natus, non tamen & barbarus, aut ex antiquis Hiſpanis fuit, quia *Italica* colonia Romana erat, Scipionis opus, qui in illam debiles ac vulneratos exercitus ſui milites collocauit, vt Appianus Alexandrinus in Hiſpanicis p. 463 tradit, eamque ἀπὸ τῆς Ἰταλίας Ἰταλικὴν ἐκάλεσεν, *ab Italia Italicam appellauit,* quia Itali erant, quos in coloniam illam deducebat. Huic de Silii ortu ſententiæ & altera

tera propius quodammodo accedit, quam iidem Petrus Crinitus commemorauit: *Sunt alii*, inquit, *qui per ſuos maiores Romanum fuiſſe dicant, ſed generis initium traxiſſe ab Hiſpanis*, hoc eſt, maiores Silii ex illa Hiſpanienſi colonia fuiſſe: ipſum vero vel Romæ vel in alio Italico municipio & natum & educatum eſſe, vt ita nihilominus *Italici* nomen ab *Italica* Hiſpaniæ habuerit.

V. Ab his ſententiis, quæ vel noſtrum Silium vel maiores eius ex Hiſpanienſi colonia deducunt, diſcedit illorum opinio longius, qui eiusdem *Italicum* nomen ex Corfinio, Pelignorum in Italia vrbe principe, eliciunt. Ger. Io. Voſſius, vir magno ingenio, & Claud. Dausquejus, de Silio præclare meritus, inprimis illorum numerantur. Iſte tam de Poetis, quam de Hiſtoricis Latinis (nam in horum etiam, quamuis poetam, cenſum refert) id clare profitetur, gemino argumento inductus, quæ antequam diſpiciamus, de Corfinii nomine nouo aliquid adferendum eſt. Quod ſæpe ab Italiæ populis poſtulatum fuerat, vt in ciuitatis Romanæ ſocietatem reciperentur; ſæpius autem ab Romanis abnegatum: id Sex. Iulio Cæſare & L. Marcio Philippo coſs. in bellum funeſtum erupit, quod *Marſicum* dicebatur, quia Marſi populi cum Picentibus & Pelignis præcipui & primi auctores erant; & *Sociale*, quia, qui Romam impugnabant, ſocietatis fœdus inter ſe inierant: & *Italicum*, quia vniuerſa Italia contra Romam arma ceperat. Qui itaque a Romæ commercio ſeceſſionem fecerant, Corfinium elegerunt, quod caput Italorum, abdicata Roma, eſſet, cui nomen *Italica* impoſitum voluere. Strabo lib.

lib. v. Geograph. p. 167 Κορφίνιον, τὴν τῶν Πελιγνῶν μητρόπολιν, κοινὴν ἅπασι τοῖς Ἰταλιώταις ἀποδείξαντες πόλιν, ἀντὶ τῆς Ῥώμης, ὁρμητήριον τοῦ πολέμου, μετονομάσασαν Ἰταλικήν. *Corfinium, Pelignorum caput, communem omnibus Italis, loco Romæ, vrbem deſignauerunt, belliqueʼ arcem, & ITALICAE nomen indiderunt.* Præter hunc & Velleium Paterculum, de quo poſtea dicemus, non habemus, qui huius nouæ appellationis mentionem fecerint.

VI. Primum celeberrimi Voſſii argumentum eſt idem, quod ſupra num. IV attulimus, ab Hiſpanica vrbe *Italicenſem* potius, quam *Italicum*, dicendum fuiſſe, quod Gellius dicto loco *Italicenſes* eius colonos appellaret. Salua tanti viri auctoritate inuerti, quod obiicit, & ab altera etiam parte vſurpari poſſe videtur. Si enim ab *Italica* Hiſpaniæ non licet *Italicus* formare, ſed tantummodo *Italicenſis*; qua lege conſtitutum eſt, vt ab *Italica* Italiæ, quod plane idem nomen eſt, non *Italicenſis*, ſed *Italicus* dicamus? aut ſi alterum de Pelignorum vrbe non improbandum eſt, cur non idem liceat de vrbe Bæticorum? At vſum ita ferre inquiunt, qui inſtar legis ab omnibus cenſeatur. Eſt ita, vt a Bætica vrbe *Italicenſis* & Gellius d. l. & auctor belli *Hiſpanienſis* & Africani, ſiue Hirtius fuit, ſiue Oppius, quod malunt alii; & laudata inſcriptione ipſi prouinciales deriuarint: an vero prohibitum fuerit alterum, id tribus exemplis, quæ contra ſunt, non ſufficit oſtendiſſe. De Pelignorum autem vrbe nullus vſus, nullum exemplum adferri poteſt, vtrum *Italicus*, an *Italicenſis* ex ea deflexum fuerit: & ſi de Bætica probatum ſatis eſt, *Italicenſes* ſuos, non *Itali-*

cos

cos appellaſſe; idem etiam de Peligna vrbe facilius, quam alteram formam, *Italicus*, crediderim.

VII. Deinde vrgetur a laudato Voſſio, *ſi Hiſpanus fuiſſet* Silius, *non hoc nos ignorare ſiuiſſet Hiſpanus Martialis, qui ſæpius ad eum ſcribit, vt per amicum. Non hoc reticuiſſet, quod ad Hiſpania ſua decus magnopere pertineret.* Vtique fatemur, non leuiter hoc argumento probari, in Hiſpania non natum Silium noſtrum fuiſſe: & credimus ipſi, Martialem, tot Italico epigrammata inſcribentem, non præteriturum fuiſſe, quod ſibi & ſuæ patriæ non vulgarem laudem adferre potuiſſet. Non autem exinde id ſequi putamus, quod exiſtimauit Voſſius, Pelignum fuiſſe Italicum, quia non fuerit Hiſpanus. Potuit enim ex maioribus eſſe, qui in Hiſpanica illa vrbe habitauerint, ipſe forte in quouis Italiæ loco, extra Pelignorum agrum, in lucem editus: potuit etiam *Italici* nomen ex caſu quodam vel ſuo vel maiorum habuiſſe, vt ſolenne in aliis quam plurimis cognomentis eſt.

VIII. Sententiæ quoque clariſſimorum virorum repugnat cum breuitas illius Socialis belli, tum appellationis nouæ raritas, quæ tentata potius, quam conſeruata in vrbe Pelignorum fuit. Strabo quidem *μετονομασθεῖσαν ita vere appellatam* dixit: aliter Velleius Paterculus, qui propius res Italicas cognouit, quam Amaſienſis Strabo, homo Aſiaticus, quamuis diligentiſſimus in ceteris rebus. Is autem lib. II. cap. XVI ait: *Caput imperii ſui Corfinium legerant, quod appellarent Italicum.* Quum dicit, APPELLARENT, conatum & propoſitum ſignificat, non quod in vſum illud transductum receptumque fuerit, quod quidem

nec

nec potuit facile, ſi breuem moram belli ſeu tumultus intuemur. Eutropius lib. v. cap. 11 *Quadriennio,* inquit, *hoc bellum tractum eſt: quinto demum anno finem accepit.* Quod ergo in tantillo ſpatio tentatum nouum nomen fuit, vix receptum aut vſu retentum poſt victoriam videtur, quum is euentus belli eſſet, vt Romani, non Itali, viciſſe cenſerentur. Quis ergo crederet, inuiſum victoribus nomen & ignominiam illorum, durante bello, inuentum, poſt victoriam a victis conſeruatum & in poſteritatem fuiſſe traditum? præſertim quum ſtatim, nondum finito bello, deſierit eſſe rerum ſedes vrbs Corfinium, quod Diodorus Siculus lib. xxxvii, vt in excerptis eius libri eſt, perſpicue oſtendit. Τὴν κοινὴν ἐκλείπουσι πόλιν τὸ Κορφίνιον, *Nouam,* inquit, *vrbem Corfinium deſerunt, tranſlatis ſedibus in Samnitum vrbem Aeſerniam.* Vnde eſt, quod Cæſar de Ciuili Bello *Corfinium* ſæpe numero memorauit, & Cicero in epiſtolis; ſed cognomen *Italicum* ne ſemel quidem attigerunt, quod nec poſteriores Plinius, Seneca, Frontinus, Lucanus, Ptolemæus, & quotquot Corfinii meminerunt, agnoſcunt; nec ipſe, qui inde nomen ſuum habuiſſe fingitur, poeta noſter Italicus, qui lib. viii Corfinium laudat, ſed quod patriam ſuam vel ſuorum proderet, nihil omnino adiicit, neque vllum veſtigium oſtendit *Italici* cognominis. Ait tantummodo v. 522.

Corfini populus, magnumque Theate trahebat.

Quare ita ſentimus atque ita animum inducimus, Silium poetam neque in Hiſpania natum fuiſſe, quia Martialis, vbi maxime poterat, nihil memorauit: neque in Pelignorum vrbe Corfinio, cuius *Italicum* nomen

men incertum, quamdiu durauerit, aut an vnquam deuenerit in vſum populorum: ſed ex quocunque alio casu vel cauſſa potuiſſe *Italici* cognomen habere ab Italia potius, quam a ſingulari aliquo oppido deductum: quanquam iis, qui maiores poetæ ex Bætica deriuant, nolimus repugnare, nec vero, quod dubium eſt, pro certo adfirmare.

VIII. Satis de ipſo cognomine: facíliores in prænomine ſumus, quo aliis *Publius* eſt, vt Modio in Nouantiquis, & Glandorpio in Onomaſtico Hiſt. Romanæ; nobis *Caius*, quia hoc frequens in gente Siliorum fuit, quod Dausqueio etiam, vt certius, adprobatur, qui initio commentariorum poteſt conſuli. *Studia* ergo Italici noſtri contemplamur, de quibus Martialis lib. VII epigram. LXIII

Sacra cothurnati non attigit ante Maronis,
Impleuit magni quam Ciceronis opus.

Bene factum, quod imitaturus, optimum quemque delegit, cuius ſequeretur veſtigium. Præſtantiſſima ſtudiorum; eloquentiam ad reipublicæ vſum; & poëſin, & publicam & ſuam oblectationem ſectabatur; quanquam neque hæc altera a communi vtilitate ſeparari debet. In vtraque ideam ſibi propoſuit, ad quam ſe conformaret, vt meliorem proponere ac æmulari non potuerit. Quod enim Quinctilianus cenſet lib. x. cap. 1. *ille demum in eloquentia ſe profeciſſe ſciat, cui Cicero valde placebit:* qui & ipſe non ſuo ingenio ſibi eloquentiam finxit; ſed Græcos æmulando ad artis excellentiam peruenit. Idem dicto loco Quinctilianus: *Mihi videtur M. Tullius, quum ſe totum ad imitationem Græcorum contuliſſet, effinxiſſe vim Demoſthe-*

moſthenis, copiam Platonis, iucunditatem Iſocratis. Quod eleganti figura S. Hieronymus procemio Quæſtion. in Geneſ. f. 478 expreſſit, *repetundarum accuſari a Græcis Ciceronem.*

IX. Magna ſane hæc laus eſt, non ſibi ſapere, aut artem ex ſuo confingere ingenio, ſpretis veterum tam præceptis quam exemplis; ſed ductorem optimum ſequi, & quod aliis bene ceſſit, imitari; quia etſi in philoſophia ingenium valeat & nouitas inuentorum afficiat; diſpar tamen res oratoriæ eſt, nec in ea proficitur bene, niſi ex imitatione antiquorum. Auctor dialogi de cauſſis corruptæ eloquentiæ, qui Quinctilianus fortaſſis eſt, aliis Tacitus cap. xxviii poſt alias rationes præcipue memorat *inſcitiam præcipientium & OBLIVIONEM MORIS ANTIQVI.* Bene igitur ſuis ſtudiis conſulere cenſemus, qui veterum ſcriptorum lectionem non negligunt, ſine qua ad ſolidam eruditionem nunquam peruenitur. Silii ætate præſtantes oratores non defuerunt, quos ita coluit æſtimauitque, vt omnibus tamen Ciceronem, quem præcellebat, anteferret. Quo conſequutus eſt, vt ſummus orator euaderet, ipſe multum in foro, multum in centumuirali iudicio cum gloria verſatus. Martialis dicto epigrammate de eodem:

Hunc miratur adhuc centum grauis haſta virorum,
Hunc loquitur grato plurimus ore cliens.

X. Poeticen iuuenis didicit & ſenior, defunctus conſulatu, magis excoluit, Virgilium præ ceteris imitando, non minus principem in ligata oratione, quam Cicero fuit in ſoluta. Huic ergo etiam, qui

optimus

optimus erat, quam alium, ſectari maluit, egregio exemplo admonens, quales ad imitandum auctores eligere conueniens ſit. An adſequutus Maronem fuerit, noſtrum non eſt iudicare. Plinius lib. III epiſt. VII *Scribebat*, inquit, *carmina maiore cura quam ingenio*. Nec vero idcirco ingenioſus parum fuit: ſed, Martiale iudice lib. XI epigram. XLIX, Maronis villa coemta,

Silius & vatem, non minor ipſe, colit,

vt Lipſius lib. I Quæſt. epiſtolic. cap. V emendat, argutum ſane præ illo vulgato:

& vatem non minus ipſe tulit.

Durius de Silii carmine Caſp. Barthius cenſet Adverſ. lib. VIII cap. III extremo; & lib. X. cap. XXIV ineunte; & lib. XIII cap. VII p. 723; ſed ipſe ſibi vir nobiliſſimus non conſtat, quia lib. XXII cap. VII ſententias eius nimiopere laudat, vt *nemo feliciſſimorum poetarum rotundius, Latinius, neruoſius, ſapientius unquam extulerit.* Agit de aurea illa lib. XIII v. 663.

Ipſa quidem virtus ſibimet pulcherrima merces;
Dulce tamen venit ad manes, quum gloria vitæ
Durat apud ſuperos, nec edunt obliuia laudem.

Huic ſimiles ibidem plures laudator ex eiusdem Italici libris congeſſit.

XI. Sit vero cum nonnullis non comparandus Silius; vt

ſtet gloria prima Maroni;

tamen ſecundam aut tertiam palmam ſi conſequutus poeta ſit, non poenitendum eius ingenium eſt, neque ſtudium mediocre. Nam quod Tullius ait Oratore ad Brutum cap. I, etiam *honeſtum eſt, prima*

Digitized by Google

ſequentem in ſecundis tertiisue conſiſtere. Si quo inferius eſt Italici ingenium, quam Virgilii aut æqualis; id excuſationem temporis habet, quod poſt Auguſtum deficere cœpit quanquam perparuo, tamen aliquo modo, vt veteres quoque, Quinctilianus & alii, conqueſti ſunt: & ſi quid deeſt antiqui nitoris, id maiori vtilitate in aliis rebus compenſauit. Hiſtoriam enim egregie illuſtrat, ideoque in hiſtoricis etiam a Voſſio laudatus, cui etiam Marcus Velſerus I. Rer. Boic. p. 8. conſentit, *pleraque Silii ad hiſtoricam fidem ſcripta eſſe* pronuntians, quod ſane vtilius exiſtimamus, quam fabulis lectorem, vt vulgus poetarum ſolet, ſine fructu detinere. *Parce fingit, propior ſemper veritati, non neglectis tamen coloribus, digreſſionibus, ſimilitudinibus, & ceteris poetarum floſculis*, quod Olaus Borrichius, vir clariſſimus, Diſſert. de Poetis p. 61 recte de Silio iudicauit.

XII. Eſt & aliud, quod Silius ceteros fere omnes antecellit, locorum, gentium, antiquitatum tam illuſtris explicatio, vt, niſi ille fuiſſet, multa ſane in geographia, & in rerum & antiquitatum hiſtoriis obſcura nobis & incognita eſſent. Sane Italiam, Siciliam, Africam, Hiſpaniam & alias regiones tam diſtincte, tam illuminate in ſingulis partibus ante oculos proponit, vt neque id clarius poſſint, quibus vnicum hoc ſtudium ac labor eſt, vt orbis terrarum deſcriptionem exhibeant. Rurſus Barthium, non æquiſſimum alioqui cenſorem noſtri, audiamus, ex lib. XXI Aduerſar. cap. XV dicentem: *Solet is poeta* (Silius) *ad origines familiarum, vrbium, & populorum tam frequenter ſtilum flectere, vt non minus eius gratia rei, quă*

belli

belli Punici, poema inſtituiſſe videri poſſit. Laudent ergo, qui volunt, in aliis fictiones atque fabulas; nos in noſtro vtiliora æſtimamus & admiramur: nec Ariſtoteli adſentimur, libro de Arte Poetica cap. XI tradenti; Δῆλον, ὅτι τὸν ποιητὴν μᾶλλον τῶν μύθων εἶναι δεῖ ποιητὴν, ἢ τῶν μέτρων, *manifeſtum eſt poetam eſſe oportere magis fabularum effectorem, quam metrorum,* quaſi contra poetices officium ſit, rem narrare ſicut geſta fuit; aut figmentis atque fabulis abſtinere. Sed ſatis de illo ſtudio, quod honoribus defunctus maiori cura in ſeceſſu & otio, de quo poſtea dicemus, ſuſcepit Silius: nunc de ipſis honoribus diſſeremus.

XIII. Honores & multos & amplos geſſiſſe Silium, non eſt quod dubitemus, quia conſul Romanus fuit, ad quam dignitatem ordinatim & per gradus adſcendebatur. Plinius lib III epiſt. VII *Vt nouiſſimus a Nerone factus eſt conſul, ita poſtremus ex omnibus, quos conſules fecerat, deceſſit. Illud etiam notabile: vltimus ex Neronianis conſularibus obiit, quo conſule Nero periit.* Ex quo & annum ſatis aperte intelligimus. Semel an ter conſul fuerit, non leuicula diſputatione dubitatur. Petrus Crinitus de Silio: *Ter conſul fuit: & in primum eius conſulatum (quod lætiſſimum fuit fauſtiſſimumque P. R.) ſæuiſſimi teterrimique Neronis mors auſpicatiſſime incidit.* Accinunt magni viri, Iuſtus Lipſius & Io. Liuineius, vterque in Plinii Panegyr. cap. LVIII, cuius verba, *Erat in ſenatu ter conſul, quum tu tertium conſulatum recuſabas,* de Silio Italico interpretantur. Liuineius haud dubitabundus: *Potius ſit, vt C. Silium Italicum capiamus, qui tertium conſul ex cal. Iuliis ſuffectus cum Statilio Laterano. Adi Faſtos.* Quod

ad Faſtos attinet, ipſe Lipſius in h. l. fatetur: *Reuera pars hæc Faſtorum in ſuffectis conſulibus tenebroſa, nec acie ingenii (abſque monimentis ſit) facile illuſtranda.* Variant enim, laceri, inconſtantes ſunt, & quos vidimus, Laterano, ex cal. Iul. ſuffecto; Nonium Aſprenatem, non Silium collegam dant. Quod ſi iter fuiſſet conſul, id Plinius, qui vitam & mortem eius deſcribit, nec quidquam laudis prætermittit, vtique non tacuiſſet. Quin potius Martialis lib. VII epigram. LXIII, poſt conſulatum, quem, quum Nero periret, geſſerat, a republica receſſiſſe & otio ſe honeſto dediſſe adſeuerat. Verba ſunt:

Poſtquam bis ſenis ingentem faſcibus annum
Rexerat, adſerto qui ſacer orbe fuit:
Emeritos Muſis & Phœbo tradidit annos,
Proque ſuo celebrat nunc Helicona foro.

XIV. De quouis igitur alio, quam de Silio, Plinii panegyricum interpretandum, ducimus. Cauſſa vero, quæ doctiſſimos viros in illam opinionem adduxit, ex alio Martialis epigrammate natam eſſe exiſtimamus, quod LXVI eſt lib. VIII, in quo trium conſulatuum fit mentio, ſed ita diſtributorum, vt primus patris Silii fuerit, alter filii maioris, quem Plinius quoque dicta epiſtola *florentem & conſularem* dixit; tertius voto a poeta præſumitur pro minore filio, qui vero non conſequutus eſt, ſed ante patrem deceſſit. Hi maxime verſus, opinamur, errorem induxerunt:

Bis ſenos iubet en redire faſces
Nato conſule,

id eſt filio conſule; vbi quidam libri, ſed minus caſti-

Digitized by Google

ſtigati, *noto conſule*; quaſi de patre, non de filio intelligitur. Nos vero malumus Vincentio Colleſſo, nobiliſſimo iuris conſulto, quam Liminæo aut Lipſio, accedere, qui ante hos XIIII annos ad hoc epigramma commentatus eſt: *Silius pater ſemel tantum conſul fuit, eo anno, quo periit Nero.* Sic bene Martiali cum Plinio conuenit; nec ſine cauſſa ille addidit,

Sillus frequentes
Mauult ſic numerare conſulatus.

MAVVLT SIC, hoc eſt eodem Colleſſo interprete: *Mauult duos filios gerere conſulatum, quam ipſe ter eſſe conſul.* Alter illorum adeptus eſt conſulatum, de quo Martialis gratulatur patri; de altero, *gaudenti ſuperſ* erat *adhuc quod optet*

Felix purpura, tertiusque conſul.

XV. Non ſtatim a conſulatu in otium litterarium ſeceſsit, ſed Romæ aliquamdiu ſubſtitit, & *in Vitellii amicitia ſapienter ſe & comiter geſſit*, quod Plinius dicta epiſtola refert. Vere autem *ſapienter* dixit, quia ſummæ prudentiæ eſt cum malo principe verſari ita, vt neque iſte offendatur, neque famam & conſcientiam noſtram lædamus. Erat enim Vitellius *præcipue luxuriæ ſæuitiæque deditus*, vt Suetonius cap. XIII notauit, ſiue vt Eutropius lib. VII cap. XII, *grauiſſimæ ſæuitiæ notabilis, & qui Neroni ſimilis eſſe vellet, atque id præ ſe ferret.* Caute ergo cum huiuſmodi homine ac ſingulari prudentia viuendum erat. Quum que moris apud Romanos fuerit, vt perfuncti vrbano magiſtratu, ad regendas prouincias mitterentur; noſtro *Aſiam proconſularem* obtigiſſe idem Plinius d. l. enarrauit. *Ex proconſulatu*, inquit, *Aſiæ glo-*

Digitized by Google

riam reportauerat. Honor amplus, Aſiam pro conſule regere, hoc eſt Attalicum regnum adminiſtrare, quod Romani in prouinciæ formam, teſtamento nacti, redegerant. Fuit prouincia ſenatus atque populi ex Augusti (apud *Strabonem* lib. ult.) diſtributione, & prætoria primum, niſi belli ratio proconſulem poſtularet. Quod erudite Henricus Noris, Italorum facile doctiſſimus, in Cenotaph. Piſan. Diſſert. II cap. XI demonſtrat. Intra Aſiaticam diœceſin erant Ionia, maior ac minor Phrygia, Lydia, Myſia, Caria, ac Pergamus; de quibus terminis, eorumque mutationibus, vir illuſtris Iac. Vſſerius, in libro *de Aſia Proconſulari*, pleniſſime diſſeruit. Ampliſſima ergo prouincia, eiusque populi Græca libertate antiquitus imbuti; vt ſane prudentem fuiſſe oporteat, qui, vt noſter Secundo teſte, ex adminiſtratione illius *gloriam reportauit*.

XVI. Redux ex Aſia videtur otium potiiſſe, *annis* quoque, vt Plinius ait, *ſuadentibus*, quod in more poſitum Romanis erat, vt ſi ſenectutem attigiſſent, e republica in honeſtum otium ſecederent, quod ex multis eiusdem Plinii epiſtolis liquet, lib. II, XIV, lib. III, I extr. lib. IV, XXIII extrema. Hanc quietem, noſter in Campania inuenit, vbi plures villas poſſidebat, & in ſingulis earum, quod Plinius addit, *multum librorum, multum ſtatuarum, multum imaginum* habebat, quæ vndique ornamenta coemit, vsque etiam *ad reprehenſionem emacitatis*. Erat enim Φιλόκαλος, hoc eſt honeſtiſſimarum rerum ſiue dignæ ſupellectilis ſtudioſus. Quid vero honeſtius, quam inſtruere bibliothecas, & quos alii in inanes

res

res ſumtus faciunt, optimis quibusque libris comparandis irrogare? quid dignius laude, quam illorum imagines atque ſigna amare, qui in laude vixerunt præclaris virtutibus conſpicui? Pulchrum enim & magna laude dignum eſt viros laudatos colere, & virtutem illorum, vt meruerant, admirari, adeo, vt rurſus Secundus lib. I. epiſt. XVII. *ipſum plurimis virtutibus abundare* indicet; *qui alienas ſic ſtatuis & imaginibus amat.* Stimulant enim imagines & exhortantur, vt eorum virtutes æmulemur, quorum ipſæ memoriam æternam facie præ ſe ferunt. Quod etiam ædes, villæ, aliæque clarorum virorum poſſeſſiones, ſi ſubimus aut inhabitamus, in nobis efficiunt.

XVII. Ex villis idcirco potiſſimum, illas magnopere Silius emebat, quæ eos dominos quondam habuerant, quos ipſe imitatus eſt plurimum: puta Ciceronis atque Virgilii, illius nempe Academiam, huius, quæ ſepulcrum domini continebat. De vtraque ita cum laude Silii Martialis lib. XI. epigram. XLIX canit:

Silius hæc magni celebrat monimenta Maronis,
Iugera facundi qui Ciceronis habet.
Heredem dominumque ſui tumulique larisque
Non alium mallet nec Maro, nec Cicero.

Sicut ergo, ante conſulatum, Ciceronem in cauſſis agendis, docliſſimisque orationibus æmulatus eſt; ita Maronem poſtea in primis habuit, quem imitaretur, quum in otio ad carmina ſcribenda ſe contuliſſet. Cuius memoria etiam ita ei ſacroſancta fuit, vt *natalem illius religioſius, quam ſuum, celebraret,* & mo-

Digitized by Google

monumentum eius adire, ut templum, ſoleret, quod ci-tidem Secundus epiſtola ſæpius laudata obſeruauit. Nec ex Campania diſceſſit poſtea; ſed vſque ad LXXV ætatis annum ibidem perſeuerauit, & in Neapolitano mortem obiit.

XVIII. Hanc non fatalem habuit, quamlibet ſenex admodum, ſed inedia vitam finiuit, more illis temporibus recepto, vt ſi inſanabilem morbum ſentirent, aut alio malo, quod ſuperare deſperarent, adfligerentur; ipſi homines ſponte ſua ex vita abirent. Hoc Pomponius Atticus fecit apud Corn. Nepotem; hoc Corellius Rufus apud Plinium lib. I epiſt. XII; procul dubio ita ex Stoicorum diſciplina inſtituti, quibus dignum ſapiente videbatur, quandocunque liberet, ex hac vita egredi, nec fatalem horam expectare. Seneca epiſtola LXIX *Exeunte te, ... & ſi ita res ſuadebit, neceſſe ... nihil, ... ad nos veniat, an ad illam nos.* At non perinde eſt, nec eiuſdem iuris, pati mortem, & eandem aduocare. Quam enim non damus nobis vitam, eam nec arbitrio noſtro auferre poſſumus, ſed exſpectandum eſt, donec auctor illius nos vocet, cuius iniuſſu non licet emigrare: nec fortis viri eſt, quæ prædicat ſapientia, ex vita aufugere, ſed quidquid fortuna attulerit, patienter ferre, nec niſi Deo imperante, ex vita hac excedere.

XIX. Voluntarium ergo exceſſum peruerſæ philoſophiæ, quæ illis temporibus vigebat, hoc eſt, errori imputamus, non excuſamus; vt Cicero Catonem Vticenſem lib. I Offic. cap. XXXI, alienus quamuis a Porticu, ex grauitate eius excuſat, quaſi aliis exitus

illius

illius virtutem dedecuiſſet. Aliud etiam eſt, quod gloriæ noſtri Poëtæ videtur derogare. Nam quod Plinius refert, *laeſerat famam ſuam ſub Nerone: credebatur ſponte accuſaſſe*. Omnis accuſatio hominis vel mediocri ſpecie honeſti, ſub malo principe ſuſpecta eſt, etiam imperata; magis, ſpontanea. Principes enim mali, quum aliquem perditum cupiunt, nec tamen aperte audent adgredi; vt declinent inuidiam, ſubornant alios, qui accuſent ac perdant. Qui accuſatores eodem cenſu ſunt, quo delatores, *genus hominum*, vt Tacitus ait Annal. IV cap. XXX, *publico exitio repertum, & pœnis quidem numquam ſatis coercitum: quos nihilominus per præmia* Tiberius *eliciebat*. Vir bonus autem & ſapiens inhoneſta & turpia iuſſus, abnuit, etiam cum periculo ſuo; ſi manifeſta ſit turpitudo, vt eſt innocentium accuſatio. Exemplo ſit Iulius Græcinus, qui a Caio Cæſare *iuſſus M. Silanum accuſare, quia abnuerat, interfectus fuit*, vt Tacitus refert in filii Agricolæ vita cap. IV. Nec imperium in atroci ſcelere excuſare poteſt, vt Grotius lib. II I. B. & P. cap. XXVI n. 3 demonſtrauit. Non autem certa erat huius accuſatio, ſed CREDEBATVR; & ſi fuit, *maculam laudabili otio* & optimis ſtudiis *abluit*, quibus fama integratur, in tantum etiam, vt *perpetui* laudem promereatur, hoc eſt immortalis memoriæ atque gloriæ, apud Martialem lib. VI epigr. LXIV, & lib. VII epigr. LXII, vbi Colleſſus ad interpretandum adhibeatur.

Digitized by Google

monimentum eius adire, vt templum, ſolebat; quod itidem Secundus epiſtola ſæpius laudata obſeruauit. Nec ex Campania diſceſſit poſtea; ſed vſque ad LXXV ætatis annum ibidem perſeuerauit, & in Neapolitano mortem obiit.

XVIII. Hanc non fatalem habuit, quamlibet ſenex admodum, ſed inedia vitam finiuit; more illis temporibus recepto, vt ſi inſanabilem morbum ſentirent, aut alio malo, quod ſuperare deſperarent, adfligerentur; ipſi homines ſponte ſua ex vita abirent. Hoc Pomponius Atticus fecit apud Corn. Nepotem; hoc Corellius Rufus apud Plinium lib. I epiſt. XII, procul dubio ita ex Stoicorum diſciplina inſtituti, quibus dignum ſapiente videbatur, quandocunque liberet, ex hac vita egredi, nec fatalem horam exſpectare. Seneca epiſtola LXIX: *Exhortor te, vt mortem & excipias, & ſi ita res ſuadebit, accerſas. Intereſſe nihil, an illa ad nos veniat, an nos ad illam.* At non perinde eſt, nec eiuſdem iuris, pati mortem, & eandem aduocare. Quam enim non damus nobis vitam, eam nec arbitrio noſtro auferre poſſumus, ſed exſpectandum eſt, donec auctor illius nos euocet, cuius iniuſſu non licet emigrare: nec fortis viri eſt, qui præditus ſapientia, ex vita aufugere; ſed quidquid fortuna attulerit, patienter ferre, nec niſi Deo imperante, ex vita hac excedere.

XIX. Voluntarium ergo exceſſum peruerſæ philoſophiæ, quæ illis temporibus vigebat, hoc eſt, errori imputamus, non excuſamus; vt Cicero Catonem Vticenſem lib. I Offic. cap. XXXI, alienus quamuis a Porticu, ex grauitate eius excuſat, quaſi alius exitus

illius

illius virtutem dedecuiſſet. Aliud etiam eſt, quod gloriæ noſtri poetæ videtur derogare. Nam quod Plinius refert, *læſerat famam ſuam ſub Nerone: credebatur ſponte accuſaſſe*. Omnis accuſatio hominis vel mediocri ſpecie honeſti, ſub malo principe ſuſpecta eſt, etiam imperata; magis, ſpontanea. Principes enim mali, quum aliquem perditum cupiunt, nec tamen aperte audent adgredi; vt declinent inuidiam, ſubornant alios, qui accuſent ac perdant. Qui accuſatores eodem cenſu ſunt, quo delatores, *genus hominum*, vt Tacitus ait Annal. IV cap. XXX, *publico exitio repertum, & pœnis quidem numquam ſatis coercitum*: quos nihilominus *per præmia* Tiberius *eliciebat*. Vir bonus autem & ſapiens inhoneſta & turpia iuſſa, abnuit, etiamtum periculo ſuo, ſi manifeſta ſit turpitudo; vt eſt innocentium accuſatio. Exemplo ſit Iulius Græcinus, qui a Caio Cæſare *iuſſus M. Silanum accuſare, quia abnuerat, interfectus fuit*; vt Tacitus refert in filii Agricolæ vita cap. IV. Nec imperium in atroci ſcelere excuſare poteſt, vt Grotius lib. II I. B. & P. cap. XXVI n. 4 demonſtrauit. Non autem certa erat hæc accuſatio, ſed CREDEBATVR; & ſi fuit, *maculam hanc laudabili otio* & optimis ſtudiis *abluit*, quibus fama integratur, in tantum etiam, vt *perpetui* laudem promeritus ſit, hoc eſt immortalis memoriæ atque gloriæ, apud Martialem lib. VI epigr. LXIV, & lib. VII epigr. LXII, vbi Colleſſus ad interpretandum adhibeatur.

Digitized by Google

DISSERTATIO V.

De
ORIGINE LINGVÆ ITALICÆ
ex
BARBARORVM INCVRSIONIBVS NATÆ,

habita A. 1694.

LAtinæ Linguæ ea gloria & maieſtas fuit, Romano Imperio per orbem ſe proferente; vt neque Græco ſermoni, qui primas diu tenuerat, deinceps quidquam concederet. In libera republica vſus illius non quidem fuit ampliſſimus, quando *Latina exiguis finibus contenta erant; Græca in omnibus fere gentibus legebantur*, vt Cicero pro Archia cap. x indicauit: at ſub Cæſaribus in prouincias illata, longe lateque ſuum vſum diſſeminauit. Tum in Hiſpania, Gallia, Africa, Britannia non minus Latinitas, quam in ipſo Latio & Italia florebat, ſcholis etiam vbique inſtitutis, in quibus rhetores Latini eloquentiam Romanam prouinciales edocerent. Tacitus id in Agricola cap. xxi de Britannis refert: de Gallis clarius rhetor Eumenius panegyrica pro reſtaurandis ſcholis oratione: Hiſpania ſtatim poſt Auguſti tempora poetas & oratores Latinos tulit, nec multum ſterilior in ingeniis proferendis fuit Africa, in Punicæ locum Latinam admittens elegantiam. Ipſa Græcia, ſermonis ſui tenaciſſima, Romano

no tandem aliquid conceſſit, præſertim rerum ſede ex Italia Conſtantinopolim translata, ex quo Latinitas inter ipſos ita percuľta atque exercita fuit, vt quum in Italia barbarorum dominatus exſpiraſſet, ex Græcia illius nitor cum aliis bonis artibus ante trecentos ferme annos reuocandus eſſet.

II. Non autem ſemper is cultus Latinitatis fuit, quem poſteritas admiratur; ſed modo ſplendidior illa, modo ſordibus erat contaminata, pro temporum & ſtudiorum diuerſitate. Horridior in principio ſermo fuit ſine decore, ſine elegantiis, quæ demum a Punico bello ſecundo induci in illum cœperunt, quum *Ennius*, Catoni & Scipioni carus, ad Græcum morem Latinis verſibus operam daret. Sequuti ducem magno numero poetæ, *Lucilius*, *Pacuuius*, *Accius*, *Neuius*, *Cecilius*, aliique, quorum ſola fragmenta ſuperſunt ex variis, qui vſi ſunt, ſcriptoribus collecta, ſtudio potiſſimum Roberti Stephani, quæ filius Henricus poſtea vulgauit. Horum ſæculum Samuel Bochartus, vir doctiſſimus, *ſemibarbarum* dixit Epiſtola de Aeneæ in Italiam aduentu, quod durum nobis & iniquum quodammodo videtur; nec vero adſenſum plenum damus clariſſimo viro Olao Borrichio, qui ſub initium Analectorum eoſdem aureo æuo ad vnum omnes adſcribit. *Ante quidem*, inquit, *Latine loquuti ſunt, ſed non ea cura aut religione, atque adeo ſine Muſa; poſtea a poetis cœptum vt Muſarum ſacerdotibus. Fuerit rudior moneta Ennii, Accii, Lucilii, Næuii, Cæcilii, auream tamen fuiſſe vel is antiquus litterator oſtendit, qui aurum ſe ex Ennii ſtercoribus colligere profitebatur.* Ductus eſt præterea tam Porcii Licinii, quam ipſius Ciceronis

nis auctoritate, vt hanc ſententiam tueretur. Ille apud Gellium lib. XVII cap. XXI.

Pœnico bello ſecundo Muſa pinnato gradu
Intulit ſe ſe bellicoſam in Romuli gentem feram.

Hic de Claris oratorib. cap. XXXIV ſub Pomponii perſona, *Aetatis*, inquit, *illius iſta fuit laus, tanquam innocentiæ, ſic Latine loquendi: nec omnium tamen, nam illorum æquales, Cæcilium & Pacuuium, male loquutos videmus.*

III. Non autem hæc tanti teſtimonia ſunt, vt noſtram ſententiam propterea refugiamus. Ex quo aurum eruimus, non omne eſt aureum, ſed multis ſordibus & ſtercore, vt loquuntur, commixtum. Et ipſi fatemur, a Punico ſecundo bello ingenia coli, & linguæ ornatum adquiri cœptum eſſe; perfectam pulchritudinem ante Ciceronem inductam fuiſſe, hoc eſt quod dubitandum, aut, vt planius loquamur, negandum omnino ducamus. Non vnius temporis aut ætatis eſt limare linguam & ad perfectionem adducere; ſenſim creſcit ornatus illius, & ſæculi ſæpe aut longioris ſpatii res eſt, eo vsque illam perpolire, vt in ſumma pulchritudine conſiſtat, nec addi ad eam a poſteritate poſſit. *Perfectum* enim *opus*, vt Plinius ait lib. v epiſt. XI, *non fit ſplendidius lima, ſed atteritur.* Ipſe Tullius vt ſimplicitatem; vt innocentiam iſtiusmodi ætati dat; ita etiam ſimplicem & inadfectatam puritatem, non autem ornatus perfectionem, quam aliud tempus ſibi poſtulabat. Si itaque Ennius, ſit Lucilius & his æquales ex aurei æui matutino quaſi tempore: maior tamen claritas & quaſi lux meridiana eſt circa Ciceronis & Auguſti æuum, cuius exortu ſummum ſplendorem ac-

Digitized by Google

accepit, qui poſt Auguſti exceſſum ſenſim imminutus fuit, quanquam ad Traiani vſque exitum, aut paullo amplius, lucem ſuam ſatis nitentem retineret. Idem ſenſus, qui nobis eſt de ſæculo iſto, etiam Aurelio Macrobio fuit lib. VI Saturnal. cap. III extremo: *Nemo,* inquit, *ex hoc viles putet veteres poetas, quod verſus eorum ſcabri videntur. Ille enim ſtilus Enniani ſeculi auribus ſolus placebat: & diu laborauit ætas ſequuta, vt magis huic molliori ſtilo adquieſceretur.* Etſi enim, vt eſt apud Martialem lib. V epigram. X,

Ennius eſt lectus ſaluo tibi, Roma, Marone:

non tamen pœnitendum eſt Naſonis iudicium, quod de eodem fert, & quidem veriſſime, vt nobis videtur, lib. II. Triſtium v. 424.

Ennius ingenio maximus, arte rudis.

Ingenium enim illius & pulcherrimas inuentiones ipſe Virgilius æmulatus eſt, vt multis exemplis Macrobius dicto VI libro, cap. I obſeruauit.

IV. Ab Auguſti exceſſu in Hadriani imperium non incorrupta quidem Latinitas erat, tamen ſi conferatur cum Auguſtei æui nitore, non difficulter intelligimus, non nihil, neſcio quo fato, a veteri gloria receſſiſſe. Tiberius proximus ab Auguſto erat: at quanta diuerſitas ſcribentium ſub vtroque, vel ſub vno etiam Tiberio? Dignus Cornelius Celſus eſt, qui in aureo ſæculo cenſeatur: non autem Scribonius Largus, itidem auctor medicinalium rerum, quod incuriæ tribuimus, perinde ac ſtilum Vitruuii ſub ipſo Cæſare Auguſto. Sub eodem Tiberio ingenia intenderunt Velleius Paterculus, Valerius Maximus, Pomponius Mela, Annæus Seneca pater, ſed inæqualiter & impari ſucceſſu. Nimium

qui-

quidem videtur, quod iſte M. Seneca præfatione Controuerſiarum de ſuis temporibus conqueſtus eſt. *Quicquid*, inquit, *Romana facundia habet, quod inſolenti Græciæ aut opponat, aut præferat, circa Ciceronem effloruit. Omnia ingenia, quæ lucem noſtris ſtudiis attulerunt, tunc nata ſunt. In deterius deinde quotidie data res eſt.* Nimium, inquam, id multis videtur, ab eo præſertim dici, cuius adoleſcentia in Auguſti æuum incidebat. Ait enim ibidem: *Nec Ciceronem quidem ætas mihi eripuerat, ſed bellorum ciuilium furor, qui tunc totum orbem peruagabatur, intra coloniam meam me continuit.*

V. Sed vtcunque ſupra, quam res eſt, tum ſua contemſit tempora, tum miratus eſt ſuperiora; non tamen, quod dixit, fictum omne eſſe res ipſa, ſi expendatur, docebit, quæ cuilibet intuenti diſcriminis aliquid oſtendit. Qui medio inter Auguſtum & Traianum tempore erant, Lucius Seneca, C. Plinius, Moderatus Columella, Fabius Quinctilianus, minus quidem ſibi permiſere; cuncta ad veterum normam curatius exigentes; nec vero vbique illam exprimunt. Circa Traiani ætatem, quando vberrimus ingeniorum prouentus erat, aliam quodammodo faciem Latinitas induebat, ſed nitidam illam & elegantem, dum breuitati ſtuderent, qui principes ingenio erant, Corn. Tacitus & Plinius Cæcilius, non autem obſcuræ neque ingratæ, ſed acumine ſenſuum exaſciatæ, rationis luce illuminatæ, vt paucis ſelectisque verbis res multas & magni ponderis complecterentur. Antoninorum temporibus & deinceps non gradu, ſed præcipiti curſu a virtute ſermonis deſcitum, ad vitia eiuſdem tranſ-

curſum

Digitized by Google

curſum eſt. Cauſſa repentinæ mutationis non vna. Confluxerant Romam & in Italiam multi inquinate loquentes ex diuerſis locis & prouinciis, quos qui emendarent ad antiquitatis regulam, pauci relicti fuerant, ſtudiis fato quodam ſeneſcentibus, quum deeſſent, qui fouerent illa atque ſuſcitarent. Qui enim rerum potiebantur augusti principes, plerique non ex Italia, ſed ex prouinciis orti erant, Thraces, Pannonii, Africani, Syri, Arabes, Galli, Dacæ, Dalmatæ, & aliunde profecti, ſaltem diu in prouinciis iſtis commorati, quo factum eſt, vt imperium nacti quisque gentiles in aulam vocaret, eorumque miniſterio rem ſuam & publicam gubernaret: quorum vſu & conſuetudine in dies Latina lingua corruptior deteriorque facta fuit.

VI. Iuris conſulti tamen & poetæ aliquamdiu reſtiterunt, ne peſſum omnis lepos & elegantia abiret: illi, tanquam veterum legum ſectatores & interpretes, quibus cum priſcis earum conditoribus & loquendum & ſentiendum ſemper fuit: hi, quod metro alligati veterum flores amabant, eosdemque imitando, quantum licuit, diligenter expreſſerunt: quod ad Honorii tempora & barbarorum incurſionem ita ſeruatum fuit, quanquam vterque ordo etiam ex ſeculo contraxit, cuius pœniteat, poetæ tamen parcius, qui diutius etiam, quam iuris periti, purioris ſermonis cuſtodes fuere, quum liquido conſtet, quantum Codicis Latinitas ab ea, quæ in Digeſtis eſt, recedat. Hæc barbarorum inuaſio eorumque manſio diuturna in Romano imperio illud præcipitium eſt, ex quo Latinus ſermo tam graui ruina prolapſus fuit, vt per multa ſecula inſtaurari non potuerit.

VII.

VII. Quæ ex ſeptentrione Italiam & prouincias barbaræ gentes inuadebant, Viſogothi erant, Heruli, Hunni, Vandali, cum ſuis ſociis Alanis atque Sueuis, Franci, Oſtrogothi, Langobarti; ſed ex his quidam prouincias ſolas attriuerunt, intactam relinquentes Italiam: quidam transeuntes illam & breui tempore vaſtantes, in aliam ſedem diſceſſere: ſoli Oſtrogothi & Langobardi diuturno illam imperio tenuerunt. Ex quibus pronum nobis ad credendum eſt, non priores illos, ſed alteros Gothos & Langobardos præ ceteris fuiſſe, qui linguam Latinam infuſcarint, vt alia, quam Italicam appellamus, exinde naſceretur. De vtraque gente inquirendum eſt, ſub quo cœlo nata, & qua dialecto in patria vſa fuerit, vt de miſtura linguarum facilius nobis conſtare poſſit.

VIII. Iornandes, ſiue vt aliis appellandus videtur, Iordanes, epiſcopus Rauennas, vt libri præ ſe ferunt, (quanquam hoc negat Chriſtophorus Sandius Animaduerſ. in Voſſ. de Hiſt. Lat. p. 22.) notarius certe ante conuerſionem ſui, vt ipſe de ſe cap. I ſcripſit, cui eo magis credendum in iis videtur, quæ tradituri ſumus, quod ex illis barbaris fuit, qui communem patriam cum Gothis habuerunt, etiam ipſe cum Gothis multum diuque verſatus eſt. Hic, inquam, Iornandes de Rebus Geticis cap. IV ex magna illa peninſula, quæ ſinu Codano & Finnico ac Oceano occidentali continetur, & inſula eſſe illis temporibus credebatur, tum Gothos, cum alias gentes egreſſas eſſe commemorat. *Ex hac*, inquit, *Scanzia Inſula* (Scandia vel Scandinauia) *quaſi officina gentium, aut certe velut vagina nationum, cum rege ſuo Gothi quondam memorantur*

vantur egreſſi: qui vt primum e navibus exeuntes, terras attigere, illico loco nomen dederunt: nam hodie illic, vt fertur, Gothiſcanzia (Inſula Gothland) *vocatur. Vnde mox promouentes ad ſedes Vlmerugorum, qui tunc Oceani ripas inſidebant, caſtra metati ſunt, eosque commiſſo prælio propriis ſedibus pepulerunt, eorumque vicinos Vandalos iam tum ſubjugantes ſuis applicuere victoriis. Ibi vero magna populi numeroſitate creſcente, etiam pene quinto regnante, poſt Berig, Filimer, Filegud, Arigis conſilio ſedit, vt exinde cum familiis Gothorum promoueret exercitus, qui aptiſſimas ſedes locaque dum quæreret congrua, pervenit ad Scythiæ terras.* Hæc de origine illorum & antiqua migratione ex Ablabio, Gothorum gentis hiſtorico, confirmat. Scythiæ autem intelligit eam partem, *qua Pontico mari vicina eſt.*

IX. Philippus Cluuerius lib. III Germ. Antiq. cap. XXXIV, Taciti *Gothones* interpretans, quos ille de Mor. Germ. cap. XLIII laudauit, magno conatu contendit, Germanicam gentem *Gothos* fuiſſe, a Getis & Dacis, qui Thracicæ originis ſint, diſtinctam admodum. Quo adſerto, Iornandem caſtigat, qui ex Scanzia has gentes, & alias, exiiſſe credat, quod poſt tot ſæcula nemini certo, neque Ablabio, ad quem prouocat, cognitum eſſe potuerit, Gothos ergo ipſos Taciti *Gothones*, & antiquitus Germanos fuiſſe, & prope Viſtulam habitaſſe, operoſe probat: qui inde ad Pontum & Mæotim migrarint, in quo tractu in Oſtgothos & Weſtgothos pro ſedis poſitione diuiſi, poſt per Thraciam & Illyricum in Italiam & Hiſpaniam ſe effuderint.

Digitized by Google

Hinc eſſe ait, quod, quos Tacitus ad Viſtulam locet in Germania, Byzantius Stephanus intra Mæotim, ſed alio ſeculo, conſtituat. Verba illius Vrbium & populorum ſcriptoris ſunt: Γότθοι, ἔθνος πάλαι ῴκησαν ἐντὸς τῆς Μαιώτιδος, ὕστερον δὲ εἰς τὴν ἐντὸς Θρᾴκης μετανέστησαν, *Gothi, gens, quæ olim intra Mæotim habitabat, poſtea in Thraciam demigrauit.* Procopius etiam lib. IV Goth. cap. V Gothos τὸ παλαιὸν, *antiquitus* iuxta Mæotidem & os illius habitaſſe tradit.

X. Ab hac ſententia, quam Cluuerius tuebatur, clariſſimi viri diſcedunt Io. Loccenius Antiquit. Sueogoth. cap. I, & M. Zuer. Boxhornius Hiſt. Vniverſ. p. 217, quibus vir ſummus Hugo Grotius prolegom. Hiſt. Goth. & Vandal. in pleriſque conſonat. Aiunt non ſolum in Scandia peninſula Gothorum veſtigia eſſe, vt amplam regionem, quæ *Gothia* hodieque dicatur; & ipſum regnum Suedorum *Gothorumque*, & inſulam in mari Suedico *Gothlandiam*: ſed hos etiam eosdem eſſe, qui *Getæ* olim appellati fuere: in cuius rei fidem præclaram auctorum conſenſionem habent, qui idem olim tradiderunt, quod nec Cluuerius negat, ſed ab vno, Iornande aut ſimili, inductos ceteros in errorem credit: quod quam vero conſimile, ex ipſis auctorum teſtimoniis elucebit. Procopius lib. I. Goth. Bell. cap. XXIV Γετικὸν ἔθνος φασὶ τοὺς Γότθους εἶναι, *Geticam gentem Gothos eſſe aiunt.* Aelius Spartianus in Antonino Geta cap. VI, cædem & funus Getæ auguſti deſcribens: *Quo tempore Helvius Pertinax, filius Pertinacis, recitanti Fauſtino pratori & dicenti,* SARMATICVS MAXIMVS ET PARTHICVS MAXIMVS *dixiſſe dicitur: adde &* GETICVS

CVS MAXIMVS, *quaſi Goticus*. Quod dicterium nihil valeret, niſi, qui *Getæ* fuerant, tunc iidem eſſent, qui *Gothi* dicebantur, vt a cæde fratris Getæ ad victoriam, quaſi de Gothis relatam, ſalſe quidem, non minus autem vere, potuerit adludi. Quod idem Spartianus in Caracalla cap. x ita clarius expreſſit: *Quum Germanici, & Parthici, & Arabici, & Alemannici nomen adſcriberet, Heluius Pertinax, filius Pertinacis, dicitur loco dixiſſe: Adde, ſi placet, etiam* GETICVS MAXIMVS, *quod Getam occiderat fratrem, & Gotti* GETAE *dicerentur*. S. Hieronymus Quæſt. Ebr. in Geneſim ad cap. x pag. 318 *Certe Gotthos omnes retro eruditi magis Getas, quam Gog & Magog, appellare conſueuerunt*. Et Paullus Oroſius lib. I cap. XVI *Getæ illi, qui & nunc Gothi*. Quæ ſatis euincunt, non temere Iornandem in his, quæ diximus, reiiciendum eſſe, licet omnia eius non adprobemus. Recentiorum auctoritatem præterimus, aut ſi iniuſtum illud eſt, paucorum tantum attingimus. Caſaubonus ad priorem Spartiani locum: *Getæ dicebantur tum, qui poſtea Gothi vel Gotti*. Dan. Heinſ. in panegyrico Guſtaui magni laudibus adſcripto! *Recentiores geographi a Gothis Getas, antiquitate inuita, diſiunxerunt*.

XI. Sed obiicit veteres Cluuerius, qui Getas eſſe Thracas tradiderint. Herodotus in Melpomene ſiue lib. IV cap. XCIII οἱ Γέται Θρηΐκων ἐόντες ἀνδρειότατοι καὶ δικαιότατοι, *Getæ Thracum fortiſſimi & iuſtiſſimi*. Et Strabo lib. VII pag. 204. οἱ Ἕλληνες τοὺς Γέτας Θρᾷκας ὑπελάμβανον, *Græci Getas exiſtimauerunt eſſe Thraciam gentem*. Sed ex his nihil probari poteſt, quam *Getarum* apud Græcos nomen & notius & antiquius fuiſſe, quam *Gothorum*: non autem ne-

Digitized by Google

gari, origine & primo ortu fuiſſe gentem eandem. Largimur antiquitatem *Getarum* nominis, & nouitatem *Gothorum*; ſed quantum diſcriminis intereſt inter *o*, *a*, *e*, præſertim ſi ad diuerſas dialectos, diuerſasque locorum regiones attendimus? At vero antiquiſſima ſedes Getarum inter Hæmum & Iſtrum fuit in Thraciæ ora: quod etiam Zonaras Tom. II p. 161 teſtatur, & quidem πάλαι, *antiquitus*, eos incolas & Mœſos & Getas appellatos eſſe. Gothos autem ſerius in illas terras ex Germania aut ſeptentrione commigraſſe. An vero vna tantum vnius gentis migratio fuit? fatemur poſteriorem, quam Romani ſcriptores deſignant: nec vero inde ſequitur, vt antiquiorem omnem pernegemus. Quando autem prima migratio facta fuerit, incertum eſt, cuius tempus quidem Albert. Krantz. Hiſt. Suec. lib. I. cap. I, & Vandal. lib. XII. cap. XXIII determinare conatus eſt, ſed diuinationes ſunt, ſine fundamento certiore.

XII. Maxime autem vrgetur linguarum, quæ Gothis ac Getis fuerit, diuerſitas. Straboni certe dicto libro pag. 211 ὁμόγλωττοί εἰσιν οἱ Γέται τοῖς Δάκοις, *Getæ & Daci eadem lingua vtuntur*. Dacorum autem linguam nimis horrendam fuiſſe, ac non *barbaris* modo, ſed *feris vocabulis* refertam, etiam Plinius lib. VII epiſt. IV ad Caninium dixit. Quod Ouidius quoque, vel quiſquis illud diſtichon, quod Heinſio ſuſpectum eſt, Ouidianis intruſit, lib. V. Triſt. eleg. XII confirmauit:

Omnia barbarica loca ſunt, vocisque ferinæ,
Omnia ſunt Getici plena timore ſoni.

Hunc ergo ſermonem diuerſum putant a Gothico Germanicoque exſtitiſſe. Aliter ſupra laudatis do-

ctiſſi-

ctiſſimisque viris, Io. Loccenio & Marco Zuer. Boxhornio, videtur, qui inde ab Herodoti temporibus argumenta congeſſerunt, quibus vtriusque linguæ conſenſus adprobetur. Vnum ex iis in præſenti nobis ſufficiat. Ita autem Loccenius, & ex illo Boxhornius, eadem verba repetens: *Herodotus lib.* IV. *cap.* XCIV *quendam deorum a Getis* Γεβελεΐζιν *nominatum eſſe refert. Hoc mere Gothicum, vt hodie Gothi loquuntur, eſſe dicas, quaſi* GIFUA LIISA, *id eſt, dare pauſam vel requiem a curis: quod Getæ defunctos ad eum commeare credebant, atque relliquos curisque mundi ſolutos omnium bonorum compotes fieri, vt Herodotus ibidem refert. --- Nobiliſſimus & eruditiſſimus Stiernhielmius in ſuis ad me literis per vocem* GEBLIZIN *ſignari Iouem tonantem volebat, in qua ſententia etiam fuere Ioannes Magnus lib. 1. Hiſt. Suec. cap.* XII, *& Olaus Magnus rerum Septentrional. cap.* VII. *Si vero concedamus eſſe a* Bliz, *nihilominus erit Gothicum:* addo, & Germanicum.

XIII. Sed quoquo modo ſe res antiquiſſimæ linguæ habet, quam, vt in aliis gentibus, non integram ſemper manſiſſe, ſed temporum progreſſu mutatam varie aut interpolatam fuiſſe credibile eſt: nobis in præſentia de illa Gothorum Langobardorumq; lingua diſputandum eſt, quæ medio illo æuo, quum in Italiam hæ gentes irruperunt, in vſu illis vulgari fuit: quanquam non penitus ita exſtingui aut deleri vetus lingua potuit, vt nulla eius veſtigia ſequuto tempore ſupereſſent. Ipſe Cluuerus in hac parte noſter eſt. Ait enim pag. 627, *Gothos Germanicam fuiſſe gentem tam certo ex moribus, ac* SERMONE, *& propriis ſingulorum hominum vocabulis conſtat, vti id nemo vnquam*

Digitized by Google

in dubium vocare auſus ſit. B. Hieronymus non tantum idem confirmat, ſed etiam *Geticum* ſermonem in Germania ſuo tempore, quo Getæ *Gothi* nominabantur, obtinuiſſe teſtatur. Ex quo ſimul illud elucet, Getas Hieronymo non alios eſſe, quam Gothos Germaniæ, atque ita eundem populum. Quum enim ex Germaniæ oris a Sunia & Fretela litteras accepiſſet, quibus de Pſalmorum ſenſu, vbi Græca & Latina, aut illa inter ſe diſcreparent, ex Ebræorum fontibus hauriendo, rogabatur; reſpondit ineunte epiſtola cxxxv admirabundus, *Quis hoc crederet, vt barbara Getarum lingua Ebraicam quæreret veritatem, & dormitantibus, immo contendentibus Græcis, ipſa Germania Spiritus Sancti eloquia ſcrutaretur?*

XIV. Sic Gothicam linguam, quæ in Italiam illata fuit, intelligimus Germanicam, ſaltem illi admodum adfinem, ſiue Gothi illi ex ſeptentrione vltimo, ſiue ex Germania, ſiue ex Thracia & his vicinis terris aduenerunt. Non itaque clariſſimo viro Matthæo Prætorio ſubſcribimus, in Orbis Gothici lib. I. cap. III num. VI dicenti: *Lingua Slauonica cum Sarmatica & veteri Gothica eadem eſt, vti eſt lingua Vendorum, Bohœmorum, Caſſubiorum.* Et interiectis paucis: *In prædictis oris* (inter Viſtulam & Viſurgim) *lingua Teutonica nunquam in vſu fuit: bene tamen fuit Gothica, quæ ab antiquis quoque Germanica audit, ſemperque viſa eſt cum Sarmatica convenire.* Non poſſumus de Slauonica lingua ſubſcribere, quam cum ipſis Slauis demum, ſiue Sclauenis, ex Scythia & ſeptentrione in cultiorem Europam migraſſe vero plane eſt ſimile. Hi vero ſexto Chriſtianorum ſæculo, quum pæne deletæ in Italia res Gothorum eſ-

ſent,

Digitized by Google

ſent, ex aquilone in Illyrii partes, & in Sarmatiæ fines ac Germaniæ venerunt, tria regna condituri, Slauonicum, Polonicum, & Bohæmum, vti non obſcure ex Procopii lib. III Goth. cap. XXXVIII & XL demonſtrari poteſt. Quum vero Gothi in Italiam inuadebant, non putamus iis locis, quibus nunc eſt, Slauonicam linguam in vſu fuiſſe, quia Slaui vel Σκλαβηνοὶ, *Sclaueni*, eo tempore in luce Europæ nondum viſi nec forſan auditi fuerant.

XV. Sic Gothorum linguam habemus in Germanica, ſiue antiquos illos, ſiue mediorum temporum Gothos homines intuemur: & vti vel in prima ſede inhabitant, vel relicta illa in alias oras commigrarunt. Id enim vltro largimur, vt ſolet in cunctis linguis, ita in hac Gothica quoque pro locorum & temporum diuerſitate diuerſas dialectos exortas eſſe. Quo tempore autem, quod *Getarum* antea erat, in *Gothicum* nomen mutatum fuerit, reſtat vt disquiramus. Migrationem poſt Taciti æuum ſub Marco Antonino in hac gente contigiſſe, ex Dionis lib. LXXI ſeu Theodoſii fragmento coniicitur, quia eadem de *Aſtingis* tradit in Daciam venientibus, quæ Iornandes refert de Aſtingorum gente Gothica. Hos vero, addit Dio, a Marco imperatore ſedem petiiſſe, qui ſe daturum reſponderit, ἄν γέ τι κακὸν τοὺς τότε πολεμοῦντας οἱ δράσωσι, *ſi hoſtibus, contra quos tum pugnabat, cladem intuliſſent*. Nomen vero *Gothorum* in illa hiſtoria nondum apparet: nec ſub Caracalla id certum eſt; quia in ſalſo Pertinacis ioco, quem ſupra referebamus, non ipſe Heluius Pertinax, ſed Spartianus *Gottorum* verbum interpretaturus videtur adieciſſe.

XVI. Prima itaque, quantum memoriæ ſuccurrit, *Gothorum* mentio fit ſub Decio Traiano, Philippi Arabis ſucceſſore, in quo Aurelius Victor memorat, *Lucio Priſco, qui Macedonas præſidatu regebat, delatam dominationem eſſe* GOTHORVM *concurſu, poſtquam direptis Thracia pleriſque illo peruenerant.* Sub Gallo, Decii ſucceſſore, Zoſimus lib. I. cap. XXVII *Gothos* Europæ ciuitates prædando infeſtaſſe: & ſub Galieno Eutropius lib. IX cap. VI *Graciam, Macedoniam, Pontum, Aſiam vaſtatam per Gothos* ſcribit: qui vbi cap. VIII dicti libri in Claudio, quem *Gothicum* hiſtoriæ ex victoria vocant, *Gothos Illyricum Macedoniamque vaſtaſſe* dixit, id Pæanius metaphraſtes, ſuppreſſo Gothorum nomine, ad *τὰ ἔθνη, ἃ προσῴκει τὸν Ἴστρον, gentibus, quæ Danubium accolebant,* applicat. Poſt hæc tempora ſatis notum eſt nomen *Gothorum*, vt nouis exemplis declarare nihil opus ſit. Eſt tamen, vbi in horum temporum hiſtoriis generali *Scytharum* voce ſcriptores adquieſcant.

XVII. A Gothis ad Langobardos tranſimus, horum in regno Italico ſucceſſores. Antiqua gens, & ſi hiſtoricis credimus, Gothorum æque ſoboles atque Vandalica. Paullus Diaconus, Warnefridi Langobardi filius, lib. I. cap. II, de Reb. Langobardicis: *Langobardorum gens, quæ poſtea in Italia feliciter regnauit, a Germanorum populis originem ducens, — ab inſula, quæ Scandinauia dicitur, adventauit.* Nec aliter Proſper Aquitanus, Rhegienſis epiſcopus, in Chronico ad annum CCCLXXX. *Langobardi*, inquit, *ab extremis Germaniæ finibus Oceanique protinus litore, Scandiaque inſula magna egreſſi,*

Digitized by Google

egreſſi, nouarum ſedium auidi, Iborea & Aione ducibus, Vandalos primum vicerunt. Nominis rationem Paullus ille Warnefridi lib. I. cap. IX hoc modo interpretatur: *Certum eſt, Langobardos ab intacta ferro barba longitudine, quum primitus Winili dicti fuerint, ita poſtmodum appellatos.* Nomen genti iam tum Taciti ætate adhæſit. Ita enim cap. XL Germaniæ: *Langobardos paucitas nobilitat, quod plurimis & valentiſſimis nationibus cincti non per obſequium, ſed prœliis & periclitando tuti ſunt.* Immo ſub Auguſto illorum Strabo, & ſub Tiberio Velleius hoc ipſo nomine meminerunt. Ille enim poſt initium lib. VII. Μέγιστον μὲν τὸ τῶν Σουήυων ἔθνος. διήκει γὰρ ἀπὸ τοῦ Ῥήνου μέχρι τοῦ Ἄλβιος, μέρος δέ τι αὐτῶν καὶ πέραν τοῦ Ἄλβιος νέμεται, καθάπερ Ερμόνδοροι καὶ λαγκόβαρδοι, *Maxima Sueuorum natio, quæ a Rheno ad Albim pertingit: pars & trans Albim habitat, vt Hermunduri & Langobardi;* hic lib. II cap. CVI de Tiberii Germanica expeditione: *Fracti Langobardi, gens etiam Germanica feritate ferocior.*

XVIII. Anguſtis finibus circumſcriptos olim fuiſſe ex Corn. Tacito cognouimus. Sedem illis Cluuerius cap. XXVI eiuſdem libri III adſignat in Marchia Noua & parte Ducatus Magdeburgici, idque coniectura ductus, quam ex Tacito elicuit. Creſcente numero hominum gens contineri non potuit, quin fines ſuos tranſiliret, laxiorem habitationem petitura. Tam populoſa enim natio, quæ Italiam inundauit, non ex prima ſede, anguſtis limitibus circumſepta, venit, ſed variis locis vagata tandem in Pannonia conſedit, vnde a Narſete, Gothorum victo-

Digitized by Google

ctore, Auguſtæ ignominiam vlturo, euocata, Italiam prope omnem occupauit. Paullus Langobardus lib. II a cap. V id late perſequutus eſt; qui dignus omnino, vt conſulatur.

XIX. Inſtituti memores de *lingua Longobardorum* quæritamus. Strabo, Velleius, Tacitus, Ptolemæus in Germania ponunt, & plerique in illa parte, quæ, ſi Matthæi Prætorii opinio valet, Slavonicam, non Teutonicam linguam habuerit, quod vero ſupra a nobis reiectum fuit. Relinquitur ergo, vt Germanicam linguam Langobardis vindicemus, quam & nomen illorum arguit, & alia tam propria, quam communia iſtorum vocabula, ex quibus vnum produxiſſe ſatis ſit, quod Diaconus ille Paullus lib. I de Geſtis Langobard. cap. XX ineunte adfert. *Egreſſi*, inquit, *Langobardi de Rugiland, habitauerunt in campis patentibus, qui ſermone barbarico* FELD *appellantur*. Non minus ergo Germanice loquuti ſunt, quam Gothi, quam Vandali; nec aliam migrationis ſuæ cauſſam habuerunt, quam vtriusque generis Gothi, numeroſam ſcilicet multitudinem ſuorum hominum. Tam validæ enim hæ nationes fuerunt, quum Romanum imperium inuaſiſſent, vt exiguis finibus, quos Tacitus dat, contineri illæ non potuerint. Quo factum eſt, vt Gothos non in ſola Germania, ſed in Dacia, ad Pontum, in transmarina Suedia, & forſan aliis quoque locis inueſtigemus. Quod ſi etiam in Langobardis admittemus, tanquam non vna ſede contentis; non eſt, quod multitudinem, cui Italia ſuccubuit, quaſi incredibilem, quisquam admitteretur.

XX. Sic vtramque linguam & Gothicam illorum tem-

Digitized by Google

temporum, & Langobardicam, in Germania natam vidimus, immo ipſam eſſe Germanicam. His itaque gentibus in Italiam infuſis & longo tempore imperantibus, non potuit fieri, quin ſermo illorum qui Teutonicus erat, de ſuo genio Latinitati adfricaret, quæ quod cultores cuſtodesque fere nullos habebat, inertia illorum temporum manifeſtante; eo magis illa vetus lingua corrupta & dilacerata fuit, dum tirones illius diſcendæ, hoc eſt Gothi & Langobardi, ad ſuæ illam modulum & menſuram detorquerent. Vir ſupra laudatus Olaus Borrichius Diſſertatione de Cauſſis diuerſitatis linguarum, poſt alias in primis vrget *commercia*, *migrationes*, & hominum etiam *incuriam*. vide num. XII, XIV, XVI. Omnes in Italia conueniebant. Migratio enim notiſſima, quæ non poterat ſine commercio eſſe, præſertim quod aduena populus, oppreſſo indigena, ſumma rerum potiebatur, ad cuius nutum ac genium componere ſe debebant, qui in poteſtatem redacti fuerant. Viſogothorum imperium in Italia ſtetit LXX annos; Langobardorum annos CCVI; vtrumque ex computatione Caroli Sigonii, viri in hoc litterarum genere conſummatiſſimi, adſeueramus, quem legas licet de Regno Italiæ lib. I ineunte, & lib. III extremo. Tria ergo pæne ſæcula quantum vſu ſuo & commercio immutare in ſermone poſſunt?

XXI. Acceſſit incuria & fatalis inſcitia illorum temporum, quibus non erant, qui obuiam barbarici irent, quæ non iam adrepebat, vt antea, Latino ſermoni, ſed prorſus ei potentatu & dominatione inſultabat. Exploſum hinc declinandi per caſus artificium, quo Germani fere carent; & ſextus caſus

pro

Digitized by Google

pro principe adſumtus, & vnice quidem, fuit, forſan quod Germani præpoſitiones, huius caſus ſigna, vbique adiiciunt, quas Latini ſolent ſupprimere. Verborum etiam coniugatio ad Germanismum inflexa, receptis verbis auxiliaribus *havere* & *eſſere*, quibus Tempora finguntur, & forma paſſiua exprimitur. Quis enim negat Germanicam indolem redolere, v. g. Perfectum compoſitum, *Io ho amato*, & his permulta alia? Infelici igitur ſtudio barbarorum, qui Latina diſcebant, aut corrumpebant potius; & incuria Italorum, qui tum omnes litteras negligebant, effectum tandem fuit, vt aliam linguam Italia haberet, quæ vocabulis quidem videretur Latina, ſed illorum deprauatione & noua flexione, admiſtis etiam nouis, peregrinam faciem indueret. Quæ autem ex vitio peregrini populi efficta lingua fuerat, poſtmodum ingenia excoluerunt, Petarchi, Aligherii & ſimilium, poſtquam inertiæ torpor Italiam cœpiſſet deſerere: vt noua Italica lingua ſuum etiam nunc nitorem ac maieſtatem poſſideat.

DISSERTATIO VI.

De
GENTIS SAMARITANÆ HISTORIA ET CEREMONIIS,

habita, An. 1694.

Digitized by Google

[illegible]
[illegible]

DE gente diſputaturi ſumus, quæ valida olim fuit, nunc tenuis nimium & ad paucos redacta eſt: Iudæis ſemper exoſa, Deo autem, perinde ac Iudaica & ceteræ, vsque adeo cara, vt mulierculam ex illa colloquio ſuo diuino non indignam habuerit: nec minus in ea, quam in populis ceteris, conuocari ſibi voluerit, quos cæleſtium munerum & perpetuæ ſalutis participes præſtaret. Non ergo indignum ſit ſtudiis noſtris, de his hominibus disquirere, quos negligi optimus maximusque Deus noluit: qui etiam ſæculorum decurſu tot fata habuerunt, miranda ſane ac obſtupeſcenda, ut ex iis non minus, quam ex nobiliſſima quaque natione nobis liceat perdiſcere, quæ vſui & e republica ſint, vt faciamus; aut quæ inceptu turpia, vt euitemus.

II. Initium nobis ex *nomine* gentis faciendum eſt, quod quidem non obſcurum eſſe poteſt, ſi ad diuinas hiſtorias reſpicimus: admodum vero controverſum, ſi ex vſu tam Chriſtianorum, quam ipſorum Samaritarum illud æſtimamus. Se ipſos vocant [illegible] *Samaraos* vel *Samaritas*, & [illegible] *Samaritas Ebraos*, in epiſtolis ad Europæos exaratis. Nominis rationē in litteris ad Anglos an. Chriſtiano CIƆIƆCLXXI datis necdum Samaritice editis, interpretantur ita poſt initiū

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

Hoc eſt ex Latina verſione, quam ante hos ſex annos vna cum binis litteris, quas anno CIↃ IↃC LXXXV iidem Sichemitæ Samaritani ad ſummum virum Iobum Ludolfum dederunt, Cizenſi prelo vulgavimus: *Porro vos certos facimus, o fratres noſtri filii Iſrael, nos addictos eſſe profeſſioni Moſis prophetæ, in veritate, atque cultores eſſe Legis ſacræ, vocari vero SAMARITAS.* Nec aliter de nomine ſuo cenſuerunt in vtraque epiſtola ad laudatiſſimum modo virum, quatuordecim poſt annos ſcripta, & anno CIↃ IↃC LXXXVIII, vt diximus, publice iuris Samaritice & Latine facta. Aiunt enim, ࠃࠏࠅ ࠀࠇࠉࠍࠅ ࠊࠉ ࠀࠍࠇࠍࠅ ࠁࠍࠉ ࠉࠔࠓࠀࠋ ࠔࠌࠓࠉࠌ ࠏࠌ ࠒࠃࠔ ࠈࠄࠅࠓࠉࠌ ࠒࠃࠔࠉࠌ ࠔࠌࠓࠉ ࠕࠅࠓࠕ ࠌࠔࠄ ࠁࠍ ࠏࠌࠓࠌ: *Scitote, o fratres noſtri, quod nos ſimus filii Iſrael, Samarai, populus ſanctus, puri, ſancti, obſeruatores Legis Moſis, filii Amram.* Ex quibus luculenter apparet, nomen ſuum Samaritas non aliunde, quam a ࠔࠌࠓ, quod *cuſtodire* & *obſeruare* eſt, deductum velle, quaſi ſoli ipſi ſint Legis Moſaicæ obſeruantiſſimi cultores.

III. Non autem noua hæc vocis origo eſt, ſed a priſcis etiam Chriſtianis vſurpata, quanquam ad aliam illi, quam Legis diuinæ cuſtodiam ſeu obſeruationem referunt. Epiphanius lib. I. Hereſi IX pag. 24 *ἑρμηνεύονται Σαμαρεῖται Φύλακες, διὰ τὸ ἐν τάξει φυλάκων τετάχθαι ἐν τῇ γῇ. Vox SAMARITAE Cuſtodes ſignificat, quod ii quondam in illa terra tanquam cuſtodes collocati ſunt.* Et Sulpicius Seuerus Hiſt. Sacr. lib. I. cap. XLIX, *Salmanaſſar*, inquit, *popu-*

Digitized by Google

populum vniuerſum in regnum ſuum abduxit, Aſſyriis in hoſtili ſolo ad cuſtodiam poſitis. Exinde ea pars Samaria appellata, quod lingua Aſſyriorum cuſtodes Samaritas vocant. Quod autem de Aſſyriorum lingua dicit Sulpicius, non eſt eiusmodi, vt facilem adſenſum apud φιλογλώττυς mereatur. Nam Aſſyriorum lingua quam vocat, haud dubie vel Syram notat, vel huic adfinem Chaldaicam, a quibus abeſt verbum שמר quod *cuſtodiuit* Ebræis eſt, eiusque loco adſumtum נטר, quod itidem eſt *ſeruauit*, & *cuſtodiuit*.

IV. Propius etiam Epiphanius dicto loco ad recentium Samaritarum mentem accedit, quando verbis ſupra adlatis dubitanter adiecit, ἢ ἀπὸ τῦ φύλακας αὐτὺς εἶναι τῆς κατὰ τὸν νόμον Μωϋσέως διατάξεως, *aut* (dici Samaritas) *propterea, quod inſtitutorum ſecundum Moſaicam Legem obſeruatores ſint*: quæ ſane eſt ipſa ratio, quam Sichemitæ epiſtolarum auctores attulerunt. Ad alterutrum S. Hieronymus intendit, quum in Amos IV fol. 103 ait: *Samaria quoque cuſtodia dicitur*: & in Epitaphio Paullæ (quæ XXVII epiſtola eſt) cap. VI, *recogitat clementiam Samaritæ, id eſt cuſtodis*, ad parabolam Luc. X reſpiciens. Videtur ex Euſebii ſui id Chronico accepiſſe, cuius Græca ipſe num. MCCLXX ita Latine vertit: *Rex Chaldæorum ad cuſtodiendam regionem Iudæam accolas miſit Aſſyrios, qui æmulatores legis Iudææ facti, Samaritæ nuncupati ſunt, quod Latina lingua exprimitur CVSTODES*: niſi cum Scaligero, Animadv. in h. l. cenſere lubeat, Hieronymum de ſuo addidiſſe: *quod Latina lingua expri*

mitur

mitur Cuſtodes. Sane Euſebium hæc Græce adieciſſe, nemo facile crediderit, qui animo aduertit, quam parce Græci aliquid Latine interpretentur, præſertim quum in ſua lingua habent, quo idem poſſint æque commode, ac Latino vocabulo, exprimere. Sed quamuis adimantur hæc vltima verba, ſuperſunt tamen in ipſis Euſebianis, quæ alterutram rationem, ſi non vtramque, ſatis nobis approbare poſſunt.

V. Habet quidem hæc verbi interpretatio, quod poſſit ad adſenſum fortean mouere, ſi nude illud, citra hiſtoriæ ordinem, intueamur: quem vero ſi ad animum reuocamus, tum demum manifeſte obſeruatur, pro more ſuo ſanctos viros adluſiſſe, genuinam originem, quam diuinæ litteræ prodiderunt, vel minus indagaſſe, vel, vt obuiam omnibus, intactam prætergreſſos eſſe, *allegoria*, vt ſæculi conſuetudo poſtulabat, potius vel vnice delectatos. Quis enim ita ignarus eſt omnium hiſtoriarum, vt neſciat, *Samaritanum* & regnum, quod Iſraelis erat, & populum, ſiue *Samaritas*, ab vrbe *Samaria*, quæ primaria regni erat & ſedes regum Iſraeliticorum, nomen ſuum habuiſſe? *Schomron* autem (שמרון) Ebræis eſt, quam Græci Σαμάρειαν dixere, vnde Latinorum *Samaria* eſt, & *Samarita*, & *Samaritanus*; vt adeo mirari ſubeat, cur recentes Samaritani hoc auguſtum regiæ vrbis nomen, & ſui inde originem, vel ſtupide ignorent, vel ſaltem ſe nunquam audiuiſſe ſimulent. Supra enim laudatis ad polyhiſtorem Ludolphum litteris ſatis inerudite ſcribunt, de Samaria interrogati,

[illegible]

neſcimus, quid ſit nomen Schomron. VI.

Digitized by Google

VI. Fuit autem vrbs Samaria non antiquiſſima regum Iſraelis ſedes, ſed *Thirza* prima regia erat, Samaria demum ab Omri, ſexto rege, condita, qui nouam vrbem nominauit על שם שמר אדני ההר שמרון *de nomine Schemer, poſſeſſore montis Schomron*, a quo emtionis iure acceperat, vt proditum eſt 1. Reg. xvi. 24. Sub idem tempus vel regia quoque erat vel ſeceſſus tantum regius in *Iezrael*, quod ex Ahabi hiſtoria liquet; quam Hieronymus in Hoſeæ I. fol. 37. *fuiſſe metropolim regni Samariæ* ait, ſitam eo fere loco, quo tunc *Maximianopolis* erat: qua de cauſa, quum ibidem & *Samariam* memorauit, addidit, *quæ & ipſa altera vrbs fuit, metropolis decem tribuum.* Euerſa poſt triennem obſidionem eſt a Salmanaſſare, Aſſyriorum rege, quod quidem in ſacra hiſtoria apertis verbis expreſſum non eſt, non obſcure autem ex diuini Micheæ prædictione, quam I. capite reliquit, ita colligi & approbari poteſt, vt dubitationibus omnis locus præcludatur. Prædixit enim, euerſum iri Samariam, vt יְסֹדֶיהָ *fundamenta eius* detegantur, lapidibus ex monte cui vrbs impoſita fuerat, in vallem proiectis, quod de alia expugnatione intelligi non poteſt, quam quæ facta fuit, vt Aben Eſra ad eum locum adnotauit, על ידי אשור *per Aſſyrios.* David Kimchi quoque ad II. Reg. xvii. 24 commentatus eſt: שמרון החריבה מלך אשור עד היסוד *Samariam rex Aſſyriæ funditus diruerat.* Quod & Sulpicius lib. I. cap. xlix confirmauit, *vrbem*, dicens de Salmanaſſare, *excidit*, puta regni primariam, quæ regibus Iſraelis ſedem præbuerat, hoc eſt, ipſam Samariam.

VII. Reſtitutam ſequuto tempore fuiſſe, quum noui coloni ex Aſſyria reducti eſſent, non ſinit nos Io-

Digitized by Google

ſephus dubitare, qui Ioannem Hyrcanum, Iudæorum principem Maccabæum, Σαμάρειαν, πόλιν ὀχυρωτάτην, ἐνιαυτῷ πολιορκήσαντα, ἑλεῖν καὶ ἀφανίσαι, *Samariam, vrbem munitiſſimam, integri anni oppugnatione cepiſſe & funditus deleuiſſe* tradit lib. XIII. Antiquit. Iudaic. cap. XVIII. A quo tempore diruta iacebat, ſaltem male habitata, vsque ad Romanorum in Syria dominatum; quorum quartus a Pompeii victoria præſes *Aulus Gabinius* (vt ſeriem Iſaacus Caſaubonus Exercit. I. Baron. pag. 98. ordinauit) cum aliis vrbibus etiam *Samariam* inſtaurari iuſſit, quod idem Ioſephus lib. XIV Antiquitat. cap. X, & lib. I de Bello Iud. cap. VI memoriæ prodidit. Vnde nomen ei *vrbis Gabinii* aliquamdiu hæſit. Georgius Cedrenus, ſcriptor quidem XI ſæculi, at ex optimo quoque antiquorum ſua depromens, fol. 151. de Herode Agrippa (ſed rectius patri eius tribuiſſet) τὴν τῶν Γαβινίων πόλιν, τὴν ποτε Σαμάρειαν, ἐπικτίσας, Σεβαστὴν αὐτὴν προσηγόρευσε, *Gabiniorum vrbem, quæ olim Samaria erat, inſtaurans, Sebaſten appellauit.* Ex Iulio Africano hoc Cedrenum deſumſiſſe, doctorum coniectura eſt, in quo illuſtris Scaliger Elench. Trihæreſ. Serarii cap. II. exiſtimat legendum eſſe Γαναίων pro Γαβινίων, qua ex Rabbinico גנאי *turpis, obſcenus*, deriuatum, vt Samaritarum, quos pro immundis & profanis Iudæi habebant, intelligatur ciuitas. Quum vero Ioſephus prædictis locis perſpicue adfirmet, Samariam & Scythopolim, & Azotum a Gabinio Syrorum præſide ἀνακτισθῆναι, *reſtitutas eſſe*, & facilius ſit in numero vel caſu erraſſe Cedrenum vel Africanum, quam in integra voce; malumus cum clariſſimo viro Samuele Petito lib. II. Variar. Lect. cap. V. Γαβινίου legere

quam

Digitized by Google

quam illud alterum coniecturæ Scaligerianæ noſtrum facere.

VIII. Sic nulli dubitamus, Samariam ab Ioanne Hyrcano euerſam, primum ex ruinis ſurrexiſſe Gabinii ope, Romani in Syria proconſulis: amplius autem ædificatam & maioribus ornamentis illuſtratam ab Herode Antipatri filio, (non Antipa vel Agrippa, vt perperam Cedrenus adnotauerat) & ex Auguſti Cæſaris nomine *Sebaſten* ſiue *Auguſtam* nominatam fuiſſe, itidem Ioſephus auctor eſt lib. xv. Antiquitat. cap. xi. extremo. *Tunc*, inquit, *Herodes Samariam adgreditur munire*, *τήν τε προσηγορίαν ὑπήλλαττε, Σεβαστὴν καλῶν*, *& nomine eius mutato Sebaſten appellauit:* quod Scaliger Animaduerſ. ad Euſeb. pag. 170. putat eodem anno factum eſſe, quo Cæſarea ab ipſo ornata fuit, hoc eſt, xvii a captis Hieroſolymis. Idem confirmat Hieronymus in Hoſeæ i. pag. 37. *Samaria poſtea ab Auguſto Cæſare appellata eſt Auguſta*, *id eſt* Σεβαστή. Nam *Sebaſten*, idem nomen eſſe, quod *Auguſta*, rurſus Hieronymus auctor eſt Epitaphio Paullæ cap. vi. *In honorem*, inquit, *Auguſti Græco ſermone Auguſta eſt nominata.* Solum ergo nomen poteſt argumento eſſe, quando ſplendore quantisque operibus eam Herodes exornauerit, quum *Auguſtæ*, aut *Cæſareæ* nomen nullis ciuitatibus impoſitum legatur, niſi magnifice & pro Romani imperii maieſtate condecoratis. Rurſus Ioſephus dicto loco de magnitudine vrbis tradit, tantum ſpatium, præter veterem ambitum, complexum Herodem fuiſſe, *ὥστε μηδὲν ἀποδεῖν τῶν ἐλλογιμωτάτων πόλεων* *vt nulli celebrium vrbium cederet.* nam xx *ſtadia ambitu continebat*, quod idem dicto loco adnotauit.

IX. Quantamcunque autem dignitatem vrbs Samaria Auguſti auſpiciis, Herodis ſumtu atque ſtudio accepit; ſeruare tamen illam, quum nouum lumen in illa regione oriretur, diutius & per ſæcula non potuit. Sub Veſpaſiano enim quum Neapolis ſurgeret, Sebaſte ſenſim obſcurari cœpit. Præter Ioſephum quidem Antiquitatis ſcriptorem, & Hieronymum inde repetentem, memorauit etiam Strabo lib. XVI p. 523. tanquam ab Herode nouo nomine *Sebaſtes* inſignitam: & Plinius lib. V. cap. XIII. Samaritanæ regionis oppida recenſens, Neapolim, quaſi nobiliorem præponit Sebaſtæ. *Intus*, inquit, in Palæſtina *ſunt Samariæ oppida, Neapolis quod antea Mamortha dicebatur: Sebaſte in monte, & altiore Gamala.* Qui poſt eum litteris aliquid tradiderunt, crebram Neapolis mentionem; nullam fere, aut admodum raram Sebaſtes fecerunt. Ammianus Marcellinus lib. XIV cap. XXVI Palæſtinæ vrbes egregias, quæ ſuo tempore erant, cum cura enumerans, *Cæſaream*, *Eleutheropolim*, *Neapolim*, *Aſcalonem*, *Gazam* & *Iuliam* recenſet, *Sebaſtes* vel *Auguſtæ* nullam prorſus rationem habet. Laudat Neapolim etiam Spartianus in Seueri vita cap. IX, & Procopius lib. V de Aedific. cap. VII, & Itinerarium Antonini p. 44. ed. Suritæ, iter a Bemmari, Syriæ oppido inter Zeugma & Batnas ſito, *Neapolim*, tanquam ad nobiliorem terminum, deſtinat. Nummi quoque, claritatis urbium argumentum, Neapolitanorum non pauci exſtant in honorem Titi, Domitiani, Antonini Pii, M. Aurelii, & Fauſtinæ iunioris, percuſſi, de quibus præter Golzium & Seguinium, etiam diligentiſſimus antiquitatis ſcrutator Ioh. Harduinus de Nummis vrbium conſulatur pag. 340, apud quem vel ſolus

lus Marci Antonini nummus Græcæ ΦΛ. ΝΕΑ. ΜΗΤΡΟΠΟΛ. inſcriptus ſummam dignitatem Neapoleos oſtendit, quæ alterius Sebaſtes nitori obſcuritatem videtur induxiſſe. Eccleſiaſtica tamen prærogatiua aliquamdiu ſeruata fuit, vt in multis aliis, quamuis in ruina iacentibus oppidis; & in Nicena ſynodo ac Hieroſolymitana ſubſcripſit epiſcopus Σεβαστηνός, *Sebaſtenus*.

X. Sic & nominis originem, & fata vrbis Samariæ quodammodo perluſtrauimus, quam perperam nonnulli cum *Neapoli* confundunt, cuius modo mentionem fecimus, & hodieque ex præcipuis Palæſtinæ ciuitatibus eſt. Recentiores tacemus: Stephanum ſolum Byzantium illum & vrbium & populorum explicatorem notamus, cui Σαμάρεια, πόλις Ἰουδαίας, ἡ μετονομασθεῖσα Νεάπολις, *Samaria vrbs Iudaa eſt, qua poſtea Neapolis vocata fuerit.* Diſtinxit autem Plinius Sebaſten, id eſt Samariam, a Neapoli, vt ſupra notauimus: diſtinxit Ioſephus ſæpe numero: diſtinguit etiam medio æuo ſiue ſæculo XII celeberrimus peregrinator, Beniamin Iudæus Tudelenſis, pag. 38. Itinerarii, quamuis forſan ſola rudera & ruinas eius oppidi, a paucis habitatas inuenit, quia eiusdem temporis ſcriptores Belli-Sacri, ſiue Francorum expeditionis in Palæſtinam, parum de illa memorauerunt. Sic autem Iudæus ille, ומשם יום לשבשת היא שמרון ועדין ניכר שם ארמן אחאב מלך ישראל והיא היתה עיר בצורה בהר מארובה מעיינות וארץ נחלי מים וגנות ופרדסים וכרמים וזיתים ואין שם יהודים : ומשם שני פרסאית לנבילש היא שכם בהר אפרים ואין שם יהודים והיא יושבת בעמק בין הר גריזים

Digitized by Google

גרזים והר עיבל: Quod Conſtantinus l'Empereur ita Latine vertit: *Vnde die vno Sebaſte me contuli, dictam ab antiquis Samariam, hodieque Achabi, Iſraelitarum regis, aulæ dignoſcuntur veſtigia. Vrbs in monte quondam munitiſſima, fontibus eſt irrigua, regioque aquarum riuis, hortis, pomariis, vinetis & oliuetis diues eſt, a nullis tamen Iudæis habitata. Hinc duabus paraſangis diſtat Neapolis, olim dicta Sichem, intra montes Ephraim condita; nec vlli heic Iudæi. In valle iacet inter montem Garizim & montem Ebal.*

XI. Sed ſatis de nomine *Samareorum* vel *Samaritarum*. Alia ſuperſunt nomina, itidem a loco habitationis vel antiquæ, vel recentis & ad noſtra tempora durantis, deſumta. Iudæi illos כותים *Cutheos* vocant a *Cuth*, eo loco Aſſyriæ vel Perſidis, vnde, decem tribubus deportatis, noui coloni in Samariam deducti ſunt. Plures quidem gentes in coloniam illam reductæ memorantur, II Reg. XVII, 24, *Auæi, Hamathæi, Sepharvini*; ſed, vt bene Hugo Grotius ad hunc locum obſeruauit, *maior pars eius coloniæ, quæ in Samariam & vicina loca deducta eſt, ex ea regione fuit*, quam *Chutha* Ioſephus lib. IX Antiq. extremo vocat. Vnde *factum, vt, qui ibi viverent, κατ᾽ ἐπικράτειαν dicerentur* כותים *Χουθαῖοι, Cuthæi*. Eadem ſententia Iudæorum eſt, quam Rabbi Elias Germanus in Tisbi pag. 34. ita expoſuit, נקראו כותים יותר משאר שמות האומות הנזכרים בפסוק אולי לפי שהם היו הרבים לכך נקראו כלם כותיים *Dicuntur Cuthæi potius, quam a ceteris gentium commemoratarum in ſacra ſcriptura, forſan ideo, quod illorum fuerunt plures: vnde vniuerſi Cuthæi appellantur.*

XII.

Digitized by Google

XII. *Cuthaeorum* autem nomen eiusque prima origo ex oriente eſt, Aſſyriaca aliqua vel Perſica regione. Ioſephus dicto lib. IX ſub finem ideo Cuthæos appellatos tradit, διὰ τὸ ἐκ τῆς Χουθᾶς καλεμένης χώρας μεταχθῆναι. ἄυτη δ᾽ ἐςὶ ἐν Περσίδι, *quia ex regione qua Chutha vocatur, transducti ſunt. Hæc autem eſt in Perſia.* Nec aliter Chroniei Alexandrini auctor ed. Raderi pag. 254, iisdem pæne verbis vſus, quibus Ioſephus, aut eum potius imitatus, qui & *Chutam* regionem ἐν τῇ περσίδι *in Perſia* ponit, quocum & Zonaras conſentit, *Cuthai*, dicens Tomo I. fol. 77. καλέμενοι ἐκ τῦ τόπυ ἐν ῷ κατῴκουν τὸ πρὶν ἐν Περσίδι, *vocantur ab regione, quam antea coluerant in Perſide.* Cenſent eruditi, *Cutham* illam regionem eſſe, quæ *Coſſea*, & incolæ eius *Coſſai* dicebantur. Nam Byzantio chorographo Κοσσία μέρ☉ Περσίδ☉, *Coſſea pars Perſidis* eſt: Ptolemæo lib. VI cap. III *Coſſai* κατέχοντ☉ τῆς Συσιανῆς τὰ πρὸς τῇ Ασσυρίᾳ, *qui Suſiana partes, ad Aſſyriam vergentes, tenent.*

XIII. Hæc ideo ſuffragiis multorum probari voluimus, quod miramur, viro ſummo Ioſepho Scaligero in mentem veniſſe, vt ex Colchide potius & ſeptentrione, quam ex Aſſyria aut Perſide, quæ Iudæis orientales regiones ſunt, Cuthæos hoſce & nouos Samaritas arceſſeret. Commentario enim ad Propertii lib. I eleg. I ſcribit de Medeæ patria: *Eſt* Κυταία *vrbs, in quam deportata decem tribus a Salmanaſſare Aſſyrio. Vnde Samaritani hactenus ab Iudæis* Κυταῖοι *dicti, Cuthai.* Omnis autem eruditorum chorus, recentium, antiquorum, aduerſum tenet, præeunte diuino ſcriptore II Reg. XVII, 9, a quo adſeritur, decem tribus אשורה *in Aſſyriam* deportatas eſſe, &

collocatas בערי מדי *in vrbibus Medorum.* Nec Scaligero fortaſſe amplitudo regni Aſſyriorum ſubuenire poteſt, quaſi *Colchis* quoque in poteſtate illorum fuerit. Ante enim Medorum defectionem, aut horum poſteriores reges, in Ponticam regionem, qui vlteriori Aſiæ præerant, ſuos fines protuliſſe adeo e nullo fide digno auctore probari poteſt, vt contrarium potius ex Herodoto manifeſtiſſimum fit. Neque circumciſionis ritus tantam rem poteſt efficere. Diodorus Siculus enim lib. I. cap. LV perſpicue tradit, τὸ τῶν Κόλχων ἔθνος τὸ γένος Αἰγυπτιακόν ἐστι. σημεῖον εἶναι τὸ περιτέμνεσθαι τοὺς ἀνθρώπους παραπλησίως τοῖς κατ' Αἴγυπτον· διαμένοντος τοῦ νομίμου παρὰ τοῖς ἀποίκοις, καθάπερ καὶ παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις. hoc eſt: *Colchorum natio ab Aegyptiis oriunda eſt, cuius argumentum habetur, quod Aegyptiorum ritu circumciduntur, qui mos in colonia hac, perinde ac apud Iudaeos, permanſit.* Videtur hoc Diodorus ab Herodoto accepiſſe, qui in Euterpe ſiue lib. II cap. CIV his ſimilia nobis tradidit. Non ergo ex Colchis, & illarum vrbe *Cytaa*, ſed ex alia Perſarum Medorumque gente noſtros *Cuthaos*, ſiue Samaritanos deductos fuiſſe exiſtimamus.

XIV. Tantum etiam de Iudaico nomine, quod dubito, an Samaritæ noſtri temporis æquo animo ferant, nec potius calumniam interpretentur, quia ex Ebræorum gente omnes ſe deriuant, & Aſſyriorum coloniam, quæ in illas oras deducta ſit, aut ignorant, aut diſſimulant. Supereſt aliud a loco petitum nomen, *Sichemitarum*, & hoc etiam non minus antiquum, quia Ioſephus quoque Σικιμίτας, *Sichemitas* non ſemel appellitat, vt vel ex libro XI extremo luculentum eſt. Agit

git ibi de Alexandri M. temporibus, quibus Σίκιμα *μητρόπολιν*, *Sichem metropolim* Samaritarum fuiſſe ſignificat. Σίκιμα enim Ioſephi eſſe ipſam vrbem *Sichem*, ex ſitu planiſſime probari poteſt, quia vt idem dicto loco addit, *κειμένη πρὸς* Γαριζὶν ὄρει, *ad montem Garizim poſita fuit*, quod etiam de Sichem tam Tudolenſis, quem ſupra numer. x produximus, quam recentes Samaritæ in epiſtolis ſuis confirmant. In prima enim Ludolfiana ſubſcripſerunt ita, [Samaritan script]
Scripſimus hoc in vrbe Sichem ſancta, e regione montis Garizim, domus Dei. A ciuibus Sichemi Samaræis.

XV. Supereſt, vt diſquiratur, cur *Sichem* Ioan. IV 5. Συχὰρ vel Σιχὰρ vocetur, littera M in R mutato. B. Hieronymus errori tribuit & lapſui ſcribarum. Nam Epitaphio Paullæ cap. VI ait: *Tranſiuit Sichem, non vt plerique errantes legunt, Sichar; quæ nunc Neapolis appellatur.* Et quæſt. in Geneſ. cap. XLVIII, 22, *Sicima iuxta Græcam & Latinam conſuetudinem declinata eſt: alioquin Ebraice Sichem dicitur, vt Ioannes quoque euangeliſta teſtatur, licet vitioſe vt Sichar legatur, error inoleuit: & eſt nunc Neapolis, vrbs Samaritanorum.* Sed conſenſus librorum Græcorum omnium, etiam Syri & Arabis interpretum, erroris ſuſpicionem prohibet, & aliam cauſſam mutatæ litteræ doctiſſimus Lightfoot Diſquiſit. Chorograph. Ioannis pag. 938 coniecturat, quæ vel dialecti diuerſitas fuit, quam multis exemplis circa litteram R confirmat: aut malitia Iudæorum, qui hoc nomine vel ad שֶׁקֶר *mendacium* vel שכר *mercenarius*, adluſerint: vel denique ex Talmudico שׁוכר *ſepulcrum*, ipſi Samaritæ

 hoc

Digitized by Google

hoc nomine gloriati fuerint, *ob ſepultos illic duodecim patriarchas*. Vtrumque poſſumus ex epiſtolis Samaritarum illuſtrare. Et primum quidem de permutatione ק & כ, notum eſt Iudæos Hieroſolymam vocare בית המקדש *domum ſanctuarii*: Sichemitæ vero vtraque epiſtola ad τὸν πάνυ Ludolfum, rogant ſibi eleemoſynam mitti ࠀࠉࠔ. ࠀࠋࠐࠓࠍࠂࠉ ࠏࠌ *per virum Francum*, qui orientem proficiſcatur: ࠀࠑ• ࠀࠌࠋࠄࠑ• ࠌࠋࠓࠀࠑ• ࠌࠋࠀࠉࠔ: ࠄࠉࠀ. ࠐࠉࠀ• ࠔࠔࠀࠌ• ࠌࠋࠀࠂࠍࠓࠋࠀࠑࠉ• *aut*, inquiunt, *mittatis Hieroſolymam, quæ eſt domus deſolationis Francorum*, ita P in ࠔ mutantes, ne Iudæis ſanctitatem loci concedant. Deinde iisdem epiſtolis de ſepulcris, quæ Talmudice סוכרין vocantur, ita gloriatos legimus ࠑࠏࠔࠍࠑ• ࠒࠁࠓࠉ• ࠄࠍࠐࠉࠉࠔ• ࠄࠒࠃࠑࠉࠉࠔ *Nobiſcum ſunt ſepulcra ſanctorum prophetarum*, quos longo ordine recenſent, Ioſephi in primis, & Ioſuæ, & pontificum ſummorum, de quibus addunt ࠔࠍࠔ ࠒࠁࠓࠀࠔ ࠐࠉࠃࠍࠑ• ࠍࠌࠓࠀ• ࠀࠀࠔ *Omnium iſtorum ſepulcra in poteſtate noſtra ſunt, & colimus ea.* Igitur ſatis rationis eſt, qua *Sychar* pro *Sichem* poturit pronuntiari.

XVI. Tandem etiam de *Neapolis* nomine aliquid adiiciemus. Quod Ioſephus illam vrbem plerumque *Sicima* vocat, raro admodum, & forſan tantummodo lib. IV Bell. Iud. cap. XXVI (al. lib. V cap. IV) *Neapolim*; argumento eſt, nouum illud nomen fuiſſe ſub Veſpaſiano aut Tito filio natum. Id quod etiam prænomen *Flaviæ* in nummis & alibi conſpicuum confirmat, vt ſupra num. IX in M. Antonini nummo vidimus, & Titi rariorem illuſtris vir & patronus noſter Ezechiel Spanhemius de Vſu & præſt. numiſm. p. 769. profert

fert inſcriptum ΦΛΑΤΙ ΝΕΑΠΟΛΙ ΣΑΜΑΡΕΙΑΙ; aliumque ΦΛΑΤΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ ΣΑΜΑΡΕΙΩΝ, contra Scaligeri intempeſtiuam correctionem pag. 770. tuetur: vt de Iuſtino Martyre, qui ineunte Apologetico II. patriam ſuam & ſuorum deſcribit, τῶν ἀπὸ Φλαυΐας νέας πόλεως τῆς Συρίας παλαιστίνης, *ex Flavia Neapoli Syria Palæſtina ortos fuiſſe*, in præſenti taceamus. Hic enim Νεαπολίτης fuit, ut Methodius de Reſurr. apud Photium cod. ccxxiv eum appellat: & ipſe Photius cod. cxxv *Patriam Neapolim Palæſtinæ habuiſſe* oſtendit. Nomen autem *Flaviæ*, a Tito vel Veſpaſiano noua vrbis ornamenta, non antiquiora, fuiſſe declarat. Henr. Valeſius ad lib. iv. Euſeb. cap. xii, *Flauia*, inquit, *dicta eſt Neapolis ciuitas Palæſtinæ, eo quod colonia eſſet a Flauio Veſpaſiano deducta.* At Harduinus d. l. p. 341 negat *coloniæ* in hanc vrbem deductæ veſtigium ante Elagabali tempora in nummis reperiri; ideoque vel ciuibus conceſſum nomen autumat, vt Samoſatenis & aliis; vel adulandi cauſſa ab iisdem adſumtum eſſe.

XVII. Vnde autem Plinium cognomen *Mamorthæ* ſit, quod ſupra num. ix memorauimus, difficile ſane ad iudicandum eſt. Ioſephum, qui, Μαβαρθὰ dicto loco p. 890. habet, corruptum eſſe oportet, quia etiam in nummo M. Aurelii apud Harduinum pag. 341. legitur --ΝΕΑ. ΜΗΤΡΟΠΟΛ. ΜΟΡΘΙΑ. Demta autem ſyllaba ΜΑ, quam Plinius & Ioſephus habent, videtur Harduino ex HA ſeu ה emphatico, per transpoſitionem eſſe. Quod ſi vero altera pars ex *dominandi* notione eſt, quemadmodum ࠌࠀࠓࠄ *dominum*; ࠌࠀࠓࠄ *dominam* ſonat; putauimus aliquando, priorem ſyllabam eſſe ex ࠌࠉࠄ *aqua*, quaſi ad fontem

Ioann.

Digitized by Google

Ioann. reſpiciatur, quo tum gloriabantur Samaritæ (qui an idem ſit, qui Talmudicorum עין סוכר *fons Socbar* vel *Sychar*, cuius mentionem laudatus Ligtfoot d. l. facit, in medio nunc relinquimus) & altera parte vel *domini* ſeu *patriarcha*, vel *dominatrix* in gente ciuitas intelligatur. Sed coniectura eſt in ſubobſcura re: certi nihil determinamus. Atque ita ſatis de gentis nominibus: de origine eius ac ſchiſmatis primordio nunc pariter diſpiciendum eſt.

XVIII. Noſtrorum temporum Samaritani, quod ex epiſtolis illorum liquet, credunt ſe ſemper inde ab Ioſuæ bellis & terræ diuiſione regionem, quam circa montem Garizim colunt, inſediſſe. & in eodem monte ſacra ſua operatos eſſe. In Chronico tamen Abulphetachi, cuius excerpta, vt in Actis Eruditorum Lipſienſibus anno CIↃ IↃC XCI pag. 167 Latine exſtant, beneficio Bernardi Oxonienſis, viri clariſſimi, debemus, tradunt exactis temporibus gratiæ, quibus CCLX annos ab ingreſſu in Palæſtinam dant, *tenebris oppreſſum ſubſediſſe tabernaculum Hargarizim & euanuiſſe, obſtupeſcente pontifice Ozi. Tum pontificatum vſurpaſſe in Silunte Eli, filium Iophni, e domo Ithamari, annos L.* In pinacio autem pontificum, quod huic chronologiæ ſubiunctum eſt, XXXIX tantum annos, poſt tempus gratiæ, *pontificatum Hargarizim vacaſſe* agnoſcunt. In eodem chronico fatentur etiam, *decem tribus Iſraelitarum in Edeſſam, Charranem, & Ninum captiuas abduxiſſe Aſſyrium cum Achia pontifice: qui, vaſis ſacris in monte Garizim prius defosſis, Legis volumen in Ninum ſecum detulerit.* De reditu illorum aut effosſione ſacrorum nihil habent, niſi quod Eſræ temporibus alios ab exilio regreſſos non ignorant. Ibidem

dem etiam de conditu templi Salomonis aliquid memorant, ſed addunt, eodem tempore *Iairum pontificem cultoribus Hargarizim præſediſſe*, vt adeo illi monti neque Dauidis aut Salomonis tempore ſuum cultum defuiſſe perſuaſi ſint. Nec ſchiſma Iſraelitarum ignorant, ſed ita deſcribunt prædicto loco, ut puriorem cultum monti Garizim ſemper reſeruatum credant. Aiunt enim d. l. *Initio Roboami, fatui principis, in factiones quatuor abierunt Ebræi Familiæ enim Pinhaſi & Ioſephi tenebant montem benedictum Garizim: atque domum diruendam* ([illegible]) *ædem Salomonis frequentabant Iunæi: pars tertia Ierobeamum ſecuta eſt in Sebaſten & Dan: & ad ritus gentium defecit reliqua.*

XIX. Ex diuinis autem hiſtoriis (quas reſpuunt Samaritani, ſolum Pentateuchum ex ſacris ſcripturis admittentes) abunde conſtat, vnum Dei veri cultum, vnumque ſacrificiorum locum, ante ſchiſma Ieroboami exſtitiſſe: qui hoc facilius Ephraimitas ad defectionem ſollicitauit, quo antiquior inter illos & tribum Iehudam æmulatio interceſſerat. Non enim contenti erant Menaſſis ſe tribui prælatos eſſe, ſed Meſſiæ etiam dignitatem, quam Iehudæ promiſſam ſcimus, ſibi deberi crediderunt. De gemino Meſſia, *Ben Dauid* & *Ben Ioſeph* ſiue *Ephraim*, non tantum Targumiſtæ in Cantic. IV, 5, & cap. VII, 3, & in Ionathanis iunioris paraphraſi Exod. XL, 11 loquuntur, ſed etiam interpretes celebriores R. Salomo in Eſa. XI, 13, XXIV, 18. Aben Eſra in Pſalm. LXXX. 18 & in Zachar. IX, 9 id repetunt, & cum primis auctor Acoth Rochel copioſiſſime de illo ex Ephraim Meſſia lib. I. pertractat. Quod argumento eſt, ante ſchiſma, diſtinctionem illam enatam

fuiſſe,

Digitized by Google

fuiſſe, quia poſt illud, nihil Iudæis cum Ephraimit commune fuit. Clarum virum, Petrum Allixium, parte II. cap. XVII libri, *Reflexions ſur les cinq livres de Moiſe* dicti, ita conſentientem habemus: *Il étoit comme nature là ceux d'Ephraim de ſe nourir dans cette eſperance, comme les Iuifs nous apprennent auſſi qu'ils ont fait, en parlant ancore aujourdhuy d'un Meſſie deſcendu d'Ephraim.*

XX. Ne vero diuino cultu, quem vno loco, i. e. Hieroſolymis, peragi fas erat, populus qui ſeceſſerat, ad Iudaicos reges reduceretur, in ſuo regno ſacros ritus celebrari, vitulis duobus fabrefactis, inſtituit, vetere malo, vt religio ſeruiret vtilitati imperii. Hieronymus in Hoſeæ IV, 15 ſuſpicatur, Aegyptiorum deos *Apim & Mnevin, qui in figura boum coluntur, hac ſua ſuperſtitione* repræſentaſſe. Allixius autem non vt deos, ſed vt ſomni Pharaonici memoriales figuras hos vitulos propoſuiſſe autumat, cuius non pigeat verba ex dicto libro relegere: *Jerobeam n'affecta de donner à ſon peuple pour ſymboles de la diuinité les deux Veaux, qu'il dreſſa en Dân & Bethel, que pour ſuivre l'idée des ſonges de Pharaon expliques par Ioſeph, dont l'image figuroit clairement & la grandeur de Ioſeph, & les ſoins, dont la prouidence l'avoit honoré.* Summo loco patriarcham Ioſephum Samaritanos habuiſſe, & adhuc habere non ignoramus, qui inde genus ſuum deductum volunt. In prima enim ad Scaligerum epiſtola p. 124 aiunt ex Morini verſione: *Ecce vero vnde nos progeniti ſumus, niſi de tribu Ioſephi iuſti ex Ephraimo?* quod vero ad ſomnium Pharaonis, cuius interpres Ioſephus fuit, ſuos vitulos Ieroboamus effinxerit, nondum, vt credamus, adduc

Digitized by Google

po-

potuimus; minus, vt negemus, divinitatem vitulis Ieroboamum attribuiſſe. Id enim verba euincunt I Regum XII, 28. *Ecce Dii tui, Iſrael, qui eduxerunt te de terra Aegypti.* Craſſam inde idololatriam inualuiſſe, ex inuectiuis prophetarum elucet; quam initio, vt ſolet, ſubtilius propoſitam, nec omnem veri Dei culturam abnegatam, non eſt quod dubitemus. Accedit, quod ſeptem potius, quam duo vituli, conſtituendi fuiſſent, ſi Pharaonis ſomnium eiusque felicem interpretationem ſignificare voluiſſent.

XXI. Deportatis decem tribubus, quum noui coloni ex Aſſyria reducti eſſent, noua etiam deorum nomina ex oriente aduecta fuerunt, quæ Kimchi ex figuris interpretatur *gallinas, hircum, canem, aſinum, onagrum, equum,* ſequutus ſapientes ſuos in Sanhedrin cap. VII, ad quos etiam Abarbanel in Commentario prouocauit. In quo interpretamento plurimi adquieſcunt, niſi quod *Succota Benoth* de Veneris nefando cultu Voſſius Theol. Gent. lib. II. cap. XXII, & Seldenus de Diis Syr. ſyntagm. II cap. VII interpretantur. Horum cultoribus intererant, qui Deum veterum Iſraelitarum venerarentur. Hinc mixta religio orta, quæ purior euaſit, quo tempore Iudæi, ex Babylonia reduces, deſierunt idolis ſeruire, quorum æmuli Samaritæ exiſtebant, nihil quidquam concedentes, quod ad Dei cultum & legis Moſaicæ obſeruationem externam pertineret. Id quod maiori cura atque ſtudio fecerunt, quum Sanballet ſatapra prouinciam illam regeret, qui genero Manasſi, Iaddi Iudæorum pontificis fratri & ſacrorum adminiſtro, auctor fuerat, vt mallet ſacerdotium, quam vxorem, cogentibus Iudæis, deſerere, ſpe pontificatus noui facta, a Dario Perſarum

rege

Digitized by Google

rege impetrandi, quem etiam ſocer ab Alexandro Magno eidem cum poteſtate templi in monte Garizim extruendi, poſtea impetrauit, Ducem hunc multi Iudæi, peregrinis vxoribus addicti, ſequuti ſunt, etiam ſacerdotalis dignitatis, quod eximium decus nouo templo conciliauit. Ioſephus hæc prodidit lib. XI. cap. VIII.

XXII. Ab illo tempore in eo ſtatu religio Samaritarum manſit, in quo fuit, quum Romani Palæſtinam in ditionem ſuam redegiſſent. Dicuntur quidem ab Ioſepho lib. XII cap. VII, Iudæorum clade perterriti, Antiocho Epiphani permiſiſſe, vt templum montis Garizim Διὸς ἑλληνίυ, *Iouis Gracanici*, nomen ferret; ſed breuis fuit illa oppresſio, nec certum omnino, an omnium illo conſenſus fuerit, aut ſi fuit, annon in nomine faciles tyranno, in re & priſca religione tenaciores ſe præbuerint. Iudæis enim, vtpote infenſis cauſſæ Samaritanæ, tutum non eſt fidem in omnibus habere. Exiſtimamus itaque Samaritanorum religionem inde a Sanballetis tempore ad noſtram vsque ætatem vel eandem manſiſſe, vel non multum fuiſſe immutatam: quæ qualis fuerit, aut etiamnum ſit, infra enarrabimus.

XXIII. De Sanballete, templi Garizimitani auctore, vt diſquiramus, ab re non alienum putamus eſſe. Multis eſt ille, cui cum Nehemia controuerſia de muniendis Hieroſolymis fuit. Quam ſententiam ex Ebræis R. Zacuthus libro Iuchaſin pag. 14. B. tuetur, qui quum mortem Eſræ, & prophetarum æqualium deſcripſiſſet, ſubiungit, ואז אלכסנדר כשנסע מירושלים יצא אליו סנבלט החורוני עם מקצת ישראל ומבני יהושע' כהן הגדול שנתחתנו עם

Digitized by Google

עם הכותיים שהבריחם עשרא הכהן ונחמיה מבית ה׳ ושאל מאלכסנדר שנבנו הכהנים התניו בית מקדש בהר גריזים יצוה המלך להעשות כן ויבנו הבית: hoc eſt, *Eodem tempore quum Alexander Hieroſolymis diſceſſiſſet, adiit eum Sanballet Horonita cum paucis Iſraelitis, & filiis quibusdam Iebo-ſue ſummi pontificis, quos propter connubia cum Samaritanis Eſra & Nehemias ex domo Dei eiecerant, & petiit ab Alexandro, vt ſacerdotes, generos ſuos templum in monte Garizim exſtruere permittat: iuſſitque rex ita facere, & condiderunt templum.* Ex Chriſtianis præcipuus huius ſententiæ propugnator eſt Ioſephus Scaliger, qui Animaduerſion. ad Euſeb. pag. 125. ait, *Sanballetem, qui petiit ab Alexandro veniam templum in monte Garizim conſtruendi, ſocerum iſtius fuiſſe Manaſſis, cuius meminerit non addito nomine Nehemias cap. vltimo, v. 28. Itaque Nehemiam vixiſſe adhuc tempore Darii vltimi, cuius etiam diſerte meminerit cap. XII, 22.*

XXIV. Quum vero hæc ex hypotheſi fluant, cui addictus vir ſummus erat, Nehemiam a poculis Artaxerxis Mnemonis fuiſſe, & ſub Dario Notho demum templum cœpiſſe inſtaurari, quæ nobis minus credibilia videntur; non poſſumus, quin, pace tanti viri, diſſentiamus, Dario Hyſtaſpis tribuentes, quæ illi Notho adſcribit; & ſub imperio Longimani Artaxerxis, non Memoris, Eſram & Nehemiam profectos eſſe in patriam, plane perſuaſi. Multis id rationibus euicit Ludouicus Cappellus, vir doctiſſimus, Chronolog. ſacr. pag. 290 ſeqq. qui conſuli poteſt. Nos vt breuitati ſtudeamus, fratris Iacobi Capelli, Hiſt. ſacr. & exotic. p. 382, breuiori ſententia con-

 ten-

Digitized by Google

tenti ſumus. *Duo*, inquit, *fuerunt Sannaballat hi, Samaritani ambo, ambo impii, Iudaeorum hoſtes, & tamen ſacerdotum adfinitatem ambientes. Primi generum, Ioiadae filium, amouit Nehemias: alterius generum. Ioiade nepotem; amouit frater Iaddua.* Nec enim credibile vllo modo eſt, Sanballetem, regis Longimani præfectum, ad Alexandri Macedonis tempora vitam produxiſſe, quamlibet πρεσβύτερος, *ſenex* fuerit, quod Ioſephus addit lib. XI. cap. VIII quum Alexandro pro generi dignitate ſupplicaret. Nam a vigeſimo anno Artaxerxis maioris, quo profectus eſt Nehemias, ad Alexandri in Palæſtinam acceſſum, CXVII anni plus minus interceſſerunt.

XXV. Templi ſedes mons *Garizim* fuit, cui quidvis ſanctitatis Samaritani attribuunt. Non ſolum enim in Chronico ſuo *montem benedictum*; & in epiſtolis paſſim ࠁࠉࠕ ࠀࠋ *domum Dei* vocant; etiam ࠄࠌࠒࠅࠌ. ࠄࠌࠁࠇࠓ *locum electum*, ad Ludolf. p. 7 & 15, & *locum ſanctum*, ad Scaligerum priore p. 123: verum etiam inde a patriarcharum temporibus venerationem ei atque ſanctitatem arceſſunt. Præterquam enim quod ſepultos iuxta eum & *in ditione vrbis Sichem* (ad Scalig. p. 126) patriarchas & pontifices cum LXX ſenioribus credunt, vt partim ſupra num. XV illorum verbis recitauimus; ab ipſo Abrahamo aliquid ſanctitatis deducunt, licet recentes in epiſtolis de eo ſileant: medio æuo tamen & antiquiore diuerſi auctores, & inter ipſos Samaritanus genere, hoc tradiderunt. Alexander Cornelius, Polyhiſtor cognomine, qui captus Syllæ temporibus in Italiam venit, ſcripſit de Abrahamo apud Euſebium lib. IX Præpar. Euangel. cap. XVII ξενισθῆναι αὐτὸν ὑπὸ πό-

λεως ἱερὸν, Αργαριζὶν, ὅ εἶναι μεθερμηνευόμενον ὄρ☉ ὑψίϛε, *hoſpitio exceptum eſſe in vrbis templo Hargarizim, quod ſonet Mons Altiſſimi.* De victoria Abrahami Geneſ. xiv loquitur, quia ſolenne Samaritanis eſt, peregrinas hiſtorias ad ſuum populum & ſuum montem pertrahere, vt etiam de occurſu pontificis ad Alexandr. & huius regis ſomnio de eodẽ pontifice, videmus, quod Ioſephus Hieroſolymitanis vindicat lib. XI. cap. VIII, vt alterutrum ſcriptorem, Ioſephum aut Samaritam in Chronico, ſuæ gentis gloriæ ſupra, quam res erat, indulſiſſe oporteat. Ipſi autem Samaritæ tam in Pentateucho, quam eius Samaritica verſione Melchiſedecum [Samaritan] [Samaritan] *regem Salem*, non Sichemi aut Garizim montis, appellant. Idem docet Marinus, Neapolitanus Palæſtinenſis, qui circa Zenonis aut Iuſtiniani tempora ſcripſit, apud Photium. Cod. CCXLII pag. 562 ed. Hœſch. ἐν ὄρει, καλȣμένῳ Αργαρίζῳ, Διὸς ὑψίϛȣ ἁγιώτατον ἱερὸν ᾧ καθιέρωτο Ἄβραμ☉, ὁ τῶν πάλαι Εβραίων πρόγον☉, *In monte Hagarizim qui vocatur, fuit Iouis ſummi ſanctiſſimum templum, in quo ſacrificauit Abramus, veterum Ebræorum progenitor.*

XXVI. Auctor Itinerarii Hieroſolymitani (etiam Burdelagenſe dicitur) qui P. Pithœo in præfatione, & Henr. Valeſio epiſtola de Enaſtaſi & Martyrio, ſubiuncta Notis in Euſeb. pag. 304, videtur æqualis Conſtantino & Euſebio fuiſſe, pag. 151 ed. Suritæ, clare tradidit in Palæſtina: *Ciuitas Neapoli. Ibi eſt mons Agazaren* (ſcribe *Argarizin*) *Ibi dicunt Samaritani, Abraham ſacrificium obtuliſſe.* Addo Ioannem Phocam, ſcriptorem ſæculi XII, quem Nihuſius T. I Allatianorum edidit, p. 18 eadem fere de hoc mon-

Digitized by Google

te dicentem, τὸ ὄρος, ἐν ᾧ οἱ Σαμαρεῖς λέγουσι χρηματίσαι τῷ Ἀβραὰμ τὸν Θεόν, *montem* (Garizim) *eſſe, in quo Samaritarum opinione, Deus Abrahamo per oraculum loquutus eſt*. Vt autem ſupra diximus, tacent recentes Samaritæ de Abrahami ſacrificio: montem vero vt ſacroſanctum colunt; non contenti ex Deuteron. XI, 30 & XXVII, 12 *benedictiones* ex hoc monte recitatas eſſe, ſed XXVII capitis comm. 4 pro הר עיבל *monte Ebal*, ſubſtituerunt ࠄࠓࠂࠓࠉࠆࠉࠌ *montem Garizim*, & in eo erectos lapides & aram conſtitutam credunt, contra omnium Iudaicorum codicum & veterum interpretum conſenſionem. Etiam in Chronico ſuo ſcribunt, *ſtatim ab ingreſſu in terram Canaan, in monte Garizim ſcenam ſacram repoſitam fuiſſe*. Vnum addo: etſi diſtincta vocabula ſunt ࠄࠓ *mons*, & ࠂࠓࠉࠆࠉࠌ *Garizim*: ipſi vero vt vnam vocem plerumque ſcribunt ࠄࠓࠂࠓࠉࠆࠉࠌ *Hagarizim*, qui mos ad Græcos etiam manauit, vt ſupra in Marino & Alexandro Polyhiſtore animaduertimus: imitatusque eſt, quanquam corrupte, auctor Itinerarii Hieroſolymitani Latine.

XXVII. Vidimus ſupra, quis ſtatus Samaritarum ſub Alexandro Macedone fuerit, quem illi felicem eo vsque prædicant, vt ipſum regem in monte Garizim ſacrificaſſe ferant: nec minus fauorem laudant Ptolemæi Philadelphi, & Cleopatræ vltimæ, Aegyptiorum reginæ. Medio tempore quum Iudæi, hoſtes Samaritarum, in libertatem ſe vindicaſſent, ipſi Samaritas grauius adflixerunt, & Ioannes Hyrcanus, Simonis Maccabæi filius, auus Ariſtobuli a Pompeio in triumpho ducti, cum templum in monte Garizim, poſt ducenteſimum annum, quam conditum fuerat, tum Sa-

mariam

Digitized by Google

mariam, vrbem munitisſimam illo tempore, deleuit funditus, Antiocho Cyziceno, qui auxilio obſeſsis venerat, in fugam ſemel iterumque profligato. Præter Ioſephum lib. XIII c. XVIII, etiam Ebræi ſcriptores hoc bellum & templi euerſionem memorauerunt. Auctor libri Iuchaſin pag. 15 ואחר זה מלך יוחנן בן שמען בן מתתיה הנקרא הורקנוס וזה עלה והחריב בית המקדש של כותיים והרג המינים ובשובו בשלום עשה משתה לחכמים *Poſt hunc regnauit Ioannes, Simeonis filius, nepos Matthiæ, cognominatus Hyrcanus, qui in expeditionem profectus, euertit templum Cuthæorum, & hæreticos interfecit, victorque reuerſus conuiuio ſapientes excepit.* Et R. Ganz in Zemach Dauid p. 32. ed. Prag. אחר הדברים האלה עלה המלך יוחנן הנקרא הורקנוס והחריב את מקדש הצדוקים והכותיים שעשו בהר גריזים ברשיון אלכסנדר מוקדון *Poſt hæc profectus eſt rex Ioannes cognomine Hyrcanus, & euertit templum Sadducæorum & Samaritarum, quod condiderant in monte Garizim permisſione Alexandri Macedonis.* Hyrcanum *regem* vocant, qui princeps tantum & pontifex erat; Iudæorum more, quibus *reges* appellantur, quicunque regia poteſtate vtuntur, quamuis nomine apud alios careant. Non enim Hyrcanus, ſed filius eiusdem Ariſtobulus diademate primus in hac gente vſus eſt, vt ex Ioſephi XIII cap. XIX perſpectum habemus. Quod autem Sadducæos cum Cuthæis componunt, tanquam ſocios religionis, de eo infra diſpiciemus.

XXVII. Cum Iudæis Samaritæ in Romanorum poteſtatem, Pompeii victoria, venerunt, regulis Iudæorum, quos Romani impoſuerant, aliquamdiu ſubiecti, mox ethnarcha Archelao, Herodis filio, relegato, pro-

Digitized by Google

vinciæ Romanæ formam perinde ac Iudæi, ſubierunt, communi poſtea cum Iudæis ſorte, quamdiu horum res ſteterunt, ſub Romano imperio vſi. Cariores aliquando Romanis, quam Iudæi erant; & Archelao Auguſtus *κούφισιν*, *tributi reuelationem* mandauit, quod tumultuantibus ceteris ſoli Samaritani in officio permanſerant, laudante ipſo Joſepho lib. XVII. cap. XIII. Poſtea Pilati procuratoris animaduerſionem incurrerunt, ab impoſtore quodam ſollicitari, qui vaſa ſacra in monte Garizim, vt aiebat, infoſſa, eruturum ſe eſſe promiſerat. Hadriani & Antonini Pii in ſe clementiam in ſæpe nominata Chronologia ſua mirifice laudant, cum quorum altero, Antonino nempe, *interiiſſe gloriam & felicitatem Samaritarum* fatentur. Durius enim a Marco Antonino ſe & a Commodo habitos fuiſſe, ibidem conqueruntur: nec ſub Seuero feliciores fuere, qui *Neapolitanis Palæſtinenſibus*, vt Spartianus in Vita cap. IX refert, *ius ciuitatis tulit* (id eſt abſtulit) *quod pro Nigro* (Seueri æmulo) *diu in armis fuerant*. Valeſius ad Euſeb. p. 66 interpretatur, *in vici formam redegiſſe*, quæ vero pœna poſtea remiſſa videtur, quod idem Spartianus cap. XV ſcripſit, *Palæſtinis pœnam remiſit, quam ob cauſſam Nigri meruerant*. An poſtea *Colonia Romana* Neapolim Palæſtinæ deducta fuerit, ſubobſcurum & incertum eſt. Adfirmat Io. Harduinus, antiquitatis diligentiſſimus ſerutator, de Nummis Vrbium pag. 343, idque ex Elagabili nummo primum oſtendi exiſtimat, quo expreſſum videmus, COL. NEAPOL. cui ſimiles addit Philippi patris & Voluſiani: in quorum aliquibus, Philippi maxime, templi in colle ſiti effigies conſpicitur. Sed quod illuſtris Fr. Mediobarbus p. 314 de primo

ſeu

Digitized by Google

ſeu Elagabali nummo monet, *magis ad Africanum Neapolim inclinare;* vereor ne etiam de ceteris nummis dubitari poſſit, quia nullus expreſſiſſimum ſignum habet, quod Palæſtinæ Neapolim indubitato commonſtret, & Europææ aut Africanæ Neapoli repugnet applicari. Demus tamen hoc Harduino, viro eruditiſſimo, etſi non ſoli nummi, ita mutile inſcripti, vbi cetera munimenta deſunt, illuſtrare poſſunt hiſtoriam Samaritanam.

XXVIII. Zenonis & Iuſtiniani tempora ſuccedunt quibus rebellarunt Samaritæ, ideoque grauius ab vtroque principe puniti ſunt. De rebellione ſub Zenone Abulpharagius Arabs p. 148, ex verſione Eduardi Pococke pag. 93 ſcripſit: *Sub finem dierum ipſius* (Zenonis) *rebelles facti Samaritani Neapoli regem ſibi conſtituerunt, qui magnam Chriſtianorum multitudinem trucidauit: contra quem copias expedient Zeno rebellem Samaritanum occidit.* Chronicon Alexandrinum (ſiue Annales Siculi, quos Scaliger Euſebianis ſub titulo Ἐπιτομῆς χρόνων, *Epitomes temporum*, ex Caſauboniano codice inſeruit) clarius hunc tumultum expoſuit p. 293, vt regem etiam Samaritanum nominet, Ἰȣςασᾶν, *Iuſtaſam*, qui ἀπεκεφαλίσθη, *capitis ſupplicio adfectus fuerit* a Præſide Palæſtinæ Aſclepiade: illo oppreſſo imperator τὴν συναγωγὴν αὐτῶν τὴν ȣ̃σαν εἰς τὸ Γαργαρίδȣ (lege Ἀργαρίζȣ) εὐκτήριον ἐποίησε, ὄικον μέγαν τῆς δεσποίνης ἡμῶν τῆς θεοτόκȣ καὶ ἀειπαρθένȣ Μαρίας, *ſynagogam illorum in monte Garizim, oratorium fecit, ædem magnam Deipara & ſemper virginis Mariæ.* Procopius etiam lib. V de Aedific. cap. VII confirmat, *Zenonis*, dicens, *principatu irruebant Neapoli in Chriſtianos*

Digitized by Google

Samaritæ, quos Zeno ἐκ τοῦ ὄρους τοῦ Γαριζὶν ἐξελάσας, εὐθὺς Χριστιανοῖς τε αὐτὸ παραδίδωσιν, *exturbans de monte Garizim, Chriſtianis illum tradidit.* Nec leuius tumultuati ſunt Iuſtiniani tempore, latronem quendem *Iulianum* ſibi regem conſtituentes. Procopius Hiſt. Arcanæ cap. XI cauſſam tumultus aperuit, legem nempe Iuſtiniani, qua vetuerit hæreticis τὰς οὐσίας ἐς τοὺς παῖδας ἢ συγγενεῖς παραπέμπειν, *bona ſua liberis aut agnatis transmittere.* Quod ita iniquè tulerint Samaritani, vt arma caperent, manum autem cum Romanis conſerentes ad internecionem cæderentur adeo, vt *decem myriades hominum dicantur prælio cecidiſſe, & ager poſt hæc cultoribus ſuis caruiſſe.* Eſt hæc lex XVII Cod. de Hæreticis, Manichæis & Samaritanis: & Nouella CXLIV cap. I quæ ſi rebellibus fuit impoſita & acie victis, non iniuſtam cauſam habuit: ſin propter auerſationem Chriſtianorum rituum, iniqui aliquid habuiſſe videtur, licet euentus ſatis felix reſponderit, & Samaritanos Iuſtinianus ἐκ τοῦ ἐπιπλεῖστον ἐπὶ τὸ εὐσεβέστερον μεταθέμενος καὶ καταστησάμενος χριστιανοὺς εἶναι, *pleroſque ad pietatem & Chriſti ſacra traduxerit.* Procop. lib. V de Aedif. c. VII.

XXX. Pauciores itaque Samaritæ facti, per imperium Romanum diſperſi latitabant. Præter enim Palæſtinenſes ſedes, in Aegypto a longinquis temporibus habitauerant traducti a Ptolemæo Lagi, quod Ioſephus refert lib. XII cap. I, vbi & ſynagogas habuerunt, quod ex Hadriani epiſtola apud Vopiſcum in Saturnino non obſcurum eſt. Sparſos eoſdem etiam per occidentem, ex Honorii & Valentiniani legibus XVI & XXVIII C. Theod. de Iud. Cœlicol. & Samar. probari poteſt. Romæ etiam ſynagogam habuiſſe, ex Caſſiodori epiſtola regia XLV libri III cognoſcimus,

nec

Digitized by Google

nec contenti ſumus Ioan. Garetii adnotatione, quam margini Rotomagenſis editionis adiecit *Iudæos vocari* a Caſsiodoro *Samareæ ſuperſtitionis populum*: aut quod Geneuenſi editione adſcriptum eſt, *Iudæorum Synagogam* intelligi, quando in epiſtola illa *Samareæ ſuperſtitionis populus* Romæ *ſynagogam* habuiſſe allegauit. In quo etiam conſentientem nobis iuriſconſultum ſummum, Iacobum Godofredum, ad leg. XVI C. Theod. de Iud. Cœl. & Samar. habemus. Tempore ſacri belli, quod ducentos ferme annos Europæi cum Saracenis in Palæſtina geſſerunt, nulla fere mentio Samaritarum eſt, niſi quod Abulphetachus extremo ſuo Chronico dicit *Saladinum* Aegyptium, Chriſtianorum victorem, etiam *Samariam occupaſſe*: & Sanutus Torſellus lib. III parte VIII ineunte *Neapolim* etiam in præcipuis vrbibus Chriſtiani in Palæſtina regni numerauit. Deſinit heic hiſtoria gentis Samaritanæ, nec quidquam reperimus ante, quam cum Scaligero primum, deinde cum aliis cœperunt litterarum commercium poſt multa tempora redintegrare.

XXXI Nam qui ſuperioris ſæculi exitu, & initio noſtri, principatum ingenii atque doctrinæ tenebat, Ioſephus Scaliger, forte primus ex Europæis fuit, quem cupido litteras Samaritanas inſpiciendi tangeret. Nactus eſt ſchedas aliquas ex Aegypto, quas partim edidit, partim ineditas Academiæ Lugdunenſi Batauorum teſtamento adſignauit. Schedam de cyclis & computo Samaritarum recudit etiam Samuel Petitus in Eclogis Chronologicis lib. II. Liber autem *Ioſua*, vt vocant, hoc eſt, Hiſtoriæ illorum vniuerſæ breuiarium, ceſſit laudatæ Lugdunenſium bibliothecæ, vnde celeberrimus Hottingerus excerpta Latine vulgauit ſub cal-

Digitized by Google

cem ſui Anti-Morini. Epiſtolium etiam Damaſcenum aliquid contulit, cuius mentionem Petitus p. 107 facit. Non autem expleta his magni Scaligeri cupiditas erat, ſed de religione Samaritarum certiora cogniturus litteras ad ſynagogam illorum in Aegyptum & Palæſtinam dedit, quibus etiam gemina epiſtola reſponſum fuit ab Samaritanis, ſed neſcimus quo malo fato detentæ in Scaligeri manus nunquam peruenerunt. Poſt tanti viri fata nactus illas, quas deperditas omnes iudicabant, illuſtris Peyreſcius, Ioanni Morino Lutetiam miſit, qui Latinam verſionem in ſcriniis reliquit, autographis, vt aiunt, in bibliothecam regiam translatis, vi de nondum erui & deſcribi, quamuis identidem tam nobis, quam curioſiſſimo Ludolfo per amicos requiſitæ, potuerunt. Tandem verſio illarum Latina, in ſcriniis Morini reperta, in lucem exiit. Londini anno CIↃIↃCLXXXII, in quibus fere eadem habentur, quæ poſtea ad Anglos & Ludolfum perſcripſerunt, ideoque ex authenticis, quam ex converſis, malumus allegare: paucis exceptis, quæ in ſolis Scaligerianis reperiuntur.

XXXI. Primum Legis Moſaicæ obſeruationem maiorem iactant & accuratiorem, quam penes Iudæos fit. In epiſtola ad Anglos, authentice nondum edita, poſt verba quæ ſupra num. II produximus, quibus rationem reddebant, cur Samaræi a שמר, h. e. *obſeruando* dicerentur, addiderunt, [illegible] *quia nos obſeruamus ſabbatum, ſicut præcepit Dominus: nec quiſquam exit e loco*

e loco ſuo in die ſabbati, niſi in domum Domini orandi cauſſa. Vt autem ſe ſe præferant Iudæis in ſabbati obſeruatione, poſtquam addiderunt de non accendendo igne in die ſabbati, de caſtitate coniugali, & aliis, quæ curatius obſeruent illo die, ſubiiciunt

[illegible]

At filii Iehuda accendunt in eo (Sabbato) *ignem, nec obſeruant illud ſincere, & minus caſti ſunt in nocte ſabbatica, & illo* (die) *exeunt foras in vrbem, & vehuntur iumentis, nec eluunt aquis omne genus pollutionis. Nos autem lauamur aqua, & mundamus ab omni impuritate, & precamur quotidie veſpere ac mane.* Hunc cultum ſuum quanti æſtiment, & eo ſe præferant Iudæis, exinde luculentum eſt, quod in omnibus epiſtolis ſuis repetunt, etiam in vltima ad illuſtrem Ludolfum, nuper CIↃIↃCXCI, menſe Nouembri in Germaniam perlata, quæ quoniam nondum vulgata eſt, ex illa lubet quædam in hanc rem adferre. Poſtquam vero ſalutem precati, de Schiloh & Meſſia reſponderant, quæ infra numer. XXXIII proferemus; gratiis actis pro munuſculo quod acceperant, ſubiiciunt de ſtatu & religione ſua narrantes,

[illegible]

[illegible]

Nos populus ſanctus, vocamur Samaritani. Seruamus enim leges & præcepta, quæ præcepit nobis Dominus Deus noſter per dominum noſtrum Moſen, prophetam, noſtrum, in Lege corona noſtra. Ideoque obſeruationes ſabbati ſacroſancti cuſtodimus obſeruantia ſumma, nec accendimus in eo ignem, nec eximus in eo de loco in locum, quemadmodum Iudæi. Nam Iudæi ambulant in die ſabbati de loco in locum, & non lauantur aqua, (ſi immunditia obtigerit:) *nos autem lauamur aqua, ſicut dixit Dominus in Lege ſancta.*

XXXII. Vidimus itaq; Samaritanos eſſe æmulos Iudæorum, atq; maius præ ſe ſtudium, quam Iudæos, in obſeruandis ceremonis ferre. Multa præterea gloriantur de feſtorum celebratione, de Paſchali agno, de circumciſione, & aliis in quibus ſingulis ſe Iudæis accuratiores profitentur. De Paſchate epiſtola ad Anglos ſcripſerunt.

[illegible]

Digitized by Google

[Samaritan text] Hoc eſt: *Obſeruamus ſolennitates, quæ ſeptem ſunt conuocationes ſanctæ. Prima illarum feſtum Paſchatis, in quo egreſſi ſunt patres noſtri ex Aegypto, & in eo ſacrificamus oblationem Paſchatis, in menſe primo, in decimo quarto die, inter duas veſperas, circa occaſum ſolis, & edimus illum igne aſſum, ſub azymis & herbis amaris: nec præparamus illum niſi in Sichem e regione montis Garizim. Et edimus azyma ſex diebus: ſeptimo autem die feſtum celebraturi adſcendimus in montem Garizim mane poſt noctem, in lectione Legis* (occupati) *& poſt illam precamur, & poſt preces benedicit pontifex benedictionem in colle æterno ſuper caput filiorum Iſrael.* Hi ritus paſchales ſunt Samaritanis, quos per ſingulos adhuc annos ex veteri inſtituto obſeruare non dubitamus. Nam in nuperrima ad Ludolfum epiſtola confitentur de Paſchate [Samaritan text] *& hoc ſtatutum nobis antiquiſſimum eſt vsque ad hunc diem:* & mox [Samaritan text] *Edimus infermentata ſex diebus.* An vero etiam hodie holocauſta & cetera ſacrificia offerant; hoc dubium ac ſubobſcurum eſt. Priore ad Scaligerum pag. 122 videntur adfirmare. Aiunt enim: *Tollimus etiam adipem de ſacrificiis, damuſque ſacerdoti armum, maxillas, & ventriculum.* Eadem nuper ad Anglos perſcripſerunt [Samaritan text]

Digitized by Google

[illegible] *Tollimus de ſacrificio, quemadmodum dixit* (Deus) *& damus ſacerdoti humerum, & carnem, & ventriculum.* Confidentius Richardus Simon, vir celebris famæ, Supplemento ad R. Leonis Mutinenſis librum de Ritibus Iudæorum, p. 160 de Samaritanis ſcribit, *qui ſacrifient ancore ſelon ancienne inſtitution ſur le mont Garizim, comme le P. Morin & M. Peyreſc l'ont remarqué.* Sed tam Morinum, quam Peyreſcium in cauſſa Samaritana incertiores fuiſſe, ex illorum ad Petrum della Valle epiſtolis apparet, quæ in Antiquitatibus Eccleſiæ Orientalis, Londini ante XII annos excuſis, inueniuntur. Ius ſacrificandi ſibi vindicare certum omnino eſt, an vero hodieque ſacrificent, cum paucitas illorum atque inopia, tum ſilentium in epiſtolis poſtremis incertum reddit. Certiora autem dabunt futuræ epiſtolæ, quas laudatisſimus Ludolfus exſpectat.

XXXIV. Eadem ad Anglos epiſtola tradunt, in Pentecoſtes computatione ab Iudæis ſe diſcrepare, nec non in obſeruatione ieiunii, a quo neminem excipiant, [illegible] *præter puerum lactentem: Iudæos autem eximere pueros, qui ſunt infra annum ſeptimum.* Sic etiam ſtrictiores in circumciſione vltra octauum diem non differenda, & in prohibito matrimonii gradu cum [illegible] *fratris vel ſororis filia,* (Anglicanus interpres *patruelem* & *ſobrinam* vertit) ibidem videri volunt, & ab Iudæis diſcriminari. Addunt priore ad Scaligerum p. 122 *Nos non ducimus, præter uxorem vnam: illi vero* (Iudæi) *mulieres accipiunt plures,* quod de vicinis haud dubie ac orientalibus

Iudæis

Digitized by Google

Iudæis intelligunt. De Meſſia interrogati a Scaligero, ita reſcripſerunt pag. 125 *Petiiſti de Meſſia, quod eſt nomen eius niſi* [illegible] Haſchab? *& quis hoc intelligit niſi Dominus?* In vltima ad ſæpe laudatum Ludolfum nondum edita, [illegible] *Tu vero quæris de Meſſia an ille ortus ſit; & an ipſe ſit, de quo dictum eſt in Lege: Donec veniat Schiloh, & ei congregabuntur populi. Hic eſt Salomo, qui venit in diebus, qui præterierunt. Meſſias autem adhuc nondum ortus eſt, ſed orietur, & erit nomen eius Hatbab. Sed occulta Domino Deo noſtro* (relinquenda, Deuteron. XXIX, vlt.) *reuelata autem ad nos & filios noſtros pertinent.* Niſi nos omnia fallunt, id Samaritæ de Meſſia tradiderunt, ſe quidem Meſſiam exſpectare, cuius etiam nomen indicant, idque non aliud, quam quod Scaligero ſignificauerant, ſola dialecto *i. e.* conſueta Syris litteræ [illegible] in [illegible] conuerſione diſtinctum; Iacobi autem vaticinium de Salomone interpretari, in quo ſuam Arabico-Samaritanam verſionem ſequuntur, quæ *Schilo* per [illegible] *Selimam* ſiue *Salomonem* interpretatur. Obiter adnotamus, ne quis ſphalma nobis obiiciat, Nomen Ebræum יִקְּהַת Geneſ. XLIX, 10 in poſtrema epiſtola [illegible] *congregabunt ſe*, verbaliter ſcripſiſſe, quam formam etiam in Verſione Samaritica per [illegible] *adducentur*, ſiue, vt in alio codice eſt, [illegible] expreſ-

Digitized by Google

preſſerunt, quum ࠍࠁࠂ Syris etiam eſt *ducere*. Hæc de Meſſia, cuius obſcuriſſimum nomen *Hathab* vel *Haſchab*, vt ipſi interpretentur, ſperamus propediem fore, a Ludolfo, harum deliciarum cupidiſſimo viro, identidem illius cauſſa ſollicitati.

XXXV. *De religione* & *adorationis* cultu in litteris ad Anglos datis ita tradiderunt, quæ verba, quod in verſione Latina, nobis ante ſex annos ad imprimendum data, omiſſa videmus, diligentius nunc adſcribemus: ࠋࠀ· ࠍࠀࠌࠍ· ࠀࠋࠀ· ࠁࠉࠄࠅࠄ· ࠅࠁࠌࠔࠄ. ࠅࠁࠕࠅࠓࠄ· ࠅࠁࠄࠓ· ࠂࠓࠉࠆࠉࠌ· ࠅࠀࠋࠉࠅ· ࠍࠔࠕࠇࠅࠄ· ࠋࠉࠄࠅࠄ· ࠅࠄࠉࠄࠅࠃࠉࠌ· ࠌࠀࠌࠉࠍࠉࠌ· ࠁࠀࠇࠓࠉࠌ· ࠅࠋࠀ· ࠌࠔࠕࠇࠅࠉࠌ· ࠀࠋࠀ· ࠋࠏࠉࠓ: ࠊࠐࠍࠄ· ࠌࠍࠂࠁ· ࠋࠄࠓࠂࠓࠉࠆࠉࠌ· *Non credimus*, inquiunt, *niſi in Deum*, & *in Moſen*, & *in Legem*, *ac in montem Garizim*, & *ad hunc* (conuerſi) *adoramus Dominum*. *Iudæi vero credunt in alios*, *nec adorant*, *niſi* (reſpicientes) *ad urbem famelicam*, *ab auſtro ad montem Garizim ſitam*, in qua Hieroſolymorum deſcriptione ࠊࠐࠍࠄ *famelicam* potius, quam *vitiferam*, ex Gen. XLI, 56 interpretamur. Paullo ante iisdem litteris modum *adorandi* ita expreſſerunt ࠅࠍࠐࠋ. ࠀࠓࠑࠄ· ࠅࠍࠔࠕࠇࠅࠄ· ࠋࠉࠄࠅࠄ· ࠋࠐࠍࠉ· ࠄࠓࠂࠓࠉࠆࠉࠌ· ࠁࠉࠕ· ࠀࠋ· *Proſternimur in terram*, & *adoramus Dominum facie ad montem Garizim*, *domum Dei*, *conuerſa*. Clarius id vtreque ad Ludolfum pag. 4 & 13 ediſſerunt. ࠅࠍࠕࠐࠋࠋ· ࠋࠉࠄࠅࠄ· ࠋࠐࠍࠉ· ࠄࠓࠂࠓࠉࠆࠉࠌ· ࠁࠉࠕ· ࠀࠋ· ࠁࠏࠓࠁ· ࠅࠁࠁࠒࠓ· ࠅࠍࠐࠋ· ࠀࠓࠑࠄ· ࠅࠍࠔࠕࠇࠅࠄ· ࠏࠋ· ࠋࠐࠍࠉࠅ· ࠏࠋ· ࠀࠍࠉ· ࠄࠀࠓࠑ· *Precamur ad Dominum facie ad montem Garizim*, *domum Dei*, *obſerua*; *veſperi* & *mane*; & *incuruamus nos terram* & *verſus*,

& *pro-*

Digitized by Google

& proſternimus nos humi in ipſa ſuperficie terræ. Ex quibus manifeſtum eſt, illos omnem cultum ad montem Garizim, vt locum religioſiſſimum, referre quod multercula etiam Ioann. IV, adfirmauit, *in hoc monte* dicens, quem Sichemo imminentem demonſtrabat, *patres noſtri adorauerunt.*

XXXVI. Reſtat, vt acerbas criminationes, quibus Iudæi Samaritas laceſſunt, quam breuiſſime fieri poteſt examinemus. Infames enim Iudæis fuiſſe, ex euangeliis notum, etiam ex Siracidis L, 27, quibus neſcio an vllam impietatem non obiiciebant. Aben Eſra principio commentarii libri Eſtheris criminatur, הכותיים כתבו תחת בראשית ברא אלהים ב׳א אשימא *Cuthai ſcribunt pro, In principio creauit Elohim, creauit Aſima*, quaſi *Aſima* idolum illorum proprium ſit. Sed calumnia eſt, & tam in codice Ebræo Samaritico ࠁࠓࠀ · ࠀࠋࠄࠉࠌ *creauit Elohim*; quam in verſione ſua Samaritana ࠁࠓࠀ · ࠀࠋࠄࠄ *creauit Elaha*, expreſſe ſcripſerunt. Origo calumniæ ex eo videtur eſſe, quod vbi diuinum nomen יהוה Iudæi per *Adonai* pronuntiant; Samaritani idem legunt per ࠔࠌࠀ, quod Ebræorum שם, *nomen* eſt, quo ipſi ſæpe Iudæi Deum, aut ſacroſanctum eius nomen denotant. Pronuntiatur, vt V. C. Robertus Huntington præſens audiuit, *Sema* vel *Semâa*, quod Iudæi per malitiam detorſerunt in *Aſima*, idolum Hamathæorum, partis coloniæ, quam rex Aſſyrius in Samariæ vrbes deduxerat. Aliud crimen eſt, quod Sadducæis, reſurrectionem negantibus, coniungunt, vt ſupra num. XXVI ex Zemach Dauid cognouimus, quod etiam Ioſeph Albo lib. IV Ikkarim cap. XXX I

Digitized by Google

adſeuerat, Samaritanos æque ac Sadducæos in dubium vocare תחיית המתים *reſurrectionem mortuorum.* etiam כופרים בהשארות הנפש ואומרים שהנפש תמות במות הגוף *negare immortalitatem animæ, & dicere animam cum corpore exſtingui.* Sed aliter ipſi docent prioribus ad Ludolfum litteris, quas p. 8 ita claudunt, [illegible] *Poſtremo dicimus: Fides mea in te, Domine, & in Moſe filio Amram, ſeruo tuo, & in Lege ſancta, & in monte Garizim, domo Dei, & in die vltionis & retributionis.* Quibus verbis, tanquam confeſſione ſolenni etiam *ſupremum iudicium*, & quæ inde pendent, *immortalitatem animæ* ac *reſurrectionem mortuorum* profitentur. Adde Hottingeri Theologiam Samaritanam p. 26. Fieri autem omnino potuit, vt inter Samaritas olim, non ſecus ac inter Iudæos, ſecta quædam eſſet, quæ reſurrectionem negaret, quod non integro populo (ſicut nec Iudæis) imputandum eſt. Bene itaque ſupra laudatus Rich. Simon c. l. p. 167. indicauit; *Il faut cependant bien prendre garde, de ne pas confondre le gros, de Samaritains avec une certaine ſecte, dont le chef ſe nommoit Doſitheus.* De Doſitheo autem plura congeſſimus in collectan. Hiſt. Samaritanæ cap. III num. x. ſeqq. Nouam criminationem R. Beniamin Tudelenſis, adfert Itiner. p. 39. אין להם שלש אותיות ה׳ ח׳ וע׳ : *carere Samaritas tribus literis* ה, ח &, ע quod ille ad tria patriarcharum nomina accommodat. Verum notius eſt, quam vt dubitari poſſit,

Digitized by Google

poſſit, in libris ipſorum æque, ac in Iudaicis, *littera* ࠇ, ࠄ & ࠏ vbique perſpectari: cauſſam vero cauilli Iudaici Io. Morinus epiſt. ad Th. Comberum (in Antiq. Eccleſ. Orient. p. 201) ex eo enatum eſſe ſuſpicatur, quod Samaritani *omnes gutturales vt* א *pronuntiant; atque ideo in verſione ſæpius videas in vna pagina eandem dictionem modo per* ע, *modo per* ה, *modo per* ח *ſcriptam, Ain ſæpe pro Aleph & pro He, licet apud eos nulla ſit litterarum iſtarum ſimilitudo.* Eiusdem ſententiæ Io. Druſius fuit de Tribus ſectis lib. III cap. X. *Habent quidem*, inquit, *tres illas litteras, ſed pronuntiant per* א; *vnde non habere dicuntur.* De impura dialecto & pronuntiatione ipſi in epiſtolis memorarunt, ſe primam codicis ſacri vocem ࠁࠓࠀࠔࠉࠕ per Fatha ſiue Patach legere; Iudæos per Chateph ſeu Schva.

XXXVII. Denique de coloniis & habitationibus vt aliquid diſſeramus, res ipſa inſtituti noſtri poſtulat. Populoſa olim natio fuit; hodie ad incitas & paucitatem redacta: medio æuo mediocris numero erat. Tudelenſis, ſeculo XII qui ſcripſit, p. 38 Neapoli כמו מאה כותיים *circiter centenos Samaritas* inuenit; Aſcalone Noua, כמו ג׳ מאות *circiter trecentos*, p. 52. Hodie pauciores in his oris. Scaligeri tempore in Aegypto videntur plures exſtitiſſe, vbi iam fere nulli ſunt. Rob. Huntington, quem iterum honoris cauſſa appellamus, eique plurimam fidem habemus, vtpote cum Samaritis in Palæſtina conuerſato, litteris ante IV annos ad celebratiſſimum Ludolfum datis, ingenue ſcripſit: *Gens eſt tam parua & tam nulla, vt non aliam facile inuenias, cui comparare que-*

Digitized by Google

as. --- *Numerant ipſi non multas ſupra XX in Sichemo, hodie Neapoli, ditiſſimo Paleſtinæ emporio, eiusdemq; regionis præfecti ſede & duas tresue in Gaza.* --- *Olim Damaſci floruerunt, vti Petrus a valle teſtis non infidelis adſerit, vbi tamen nunc temporis nec nomen eorum exauditur. Cairi etiam habitabant, vt ex ſecunda ad Scaligerum epiſtola conſtabit: & hodierni Sichemitæ adfirmare non verebantur, non contemnendum ipſorum numerum etiam nunc Aegyptum habitare, licet falſiſſimum eſſe ex* αὐτοψία *poſtea didici. Præterquam enim pauperrimum ſenem homuncionem, & vxorem eius æque miſeram, ne vnum reperire licuit Samaritanum.* Ipſi vltima ad Ludolf. epiſtola abhinc IV annos ſcripta [illegible] *Ecce ad paucitatem redacti ſumus, & inter nos pauperes & egeni.* Non autem his ſolis eleemoſynam ſuis epiſtolis quærunt, verum etiam ſanctis locis inſtaurandis, de quibus ita ibidem quæruntur [illegible] *Petimus a beneficentia illorum* (ſi qui vt opinantur, in Germania Samaritani Iſraelitæ ſint) *aliquod ſpontaneum munus, vt inſtauremus loca ſanctuarii noſtri, quia deuaſtata ſunt a potentia recedentis Dei, quæ ſuper nos: & expandemus illis memoriam bonam.* Synagogam illorum celebris peregrinator Huntington, quem laudauimus, vocat *cameram quadratam, mediocrem, ſpurcam & obſcuram:* & Rich. Simon pag. 155 non templum, ſed vile ſacrarium habere ſcribit,

bit: *Leur temple, ou plutoſt leur chapelle, eſt ſur la montagne de Garizim.* Qui meliore inter eos ſorte vtuntur., Baſſæ Turcico a vectigalibus colligendis ſunt, & ſcribarum officium præſtant, quod non tantum Tomerita Iudæus toties laudato Ludolfo narravit, verum etiam Cl. Huntington eidem per litteras confirmauit. Sed finem facimus, a Deo precantes, vt paruas has reliquas Samaritarum vna cum Iudæis illuminet, *καὶ πᾶς Ἰσραὴλ σωθῇ*, Rom. XI, 26.

* Iudæi *οὐ συγχρῶνται τοῖς Σαμαρείταις, nihil commune cum Samaritis habere* Ioann. IV, 9 dicuntur, quod de communione ſacrorum ciuitatis, matrimonii, conuictus, & huius vaſis ac inſtrumentis intelligimus.: non de commerciis, contractibus, & aliis ad ciuilem vitam pertinentibus.

DISSERTATIO VII.

De

AMOENITATIBUS HISTORICIS

Et

GEOGRAPHICIS

EX ITINERIBUS S. PAULI APOSTOLI COLLECTIS,

habita A. 1694.

Digitized by Google

IN delicias & amœnitates Philologiæ aut adfinium litterarum excurremus, ex itineribus S. Pauli, quæ & vſui & oblectationi ſint, breuiter excerpturi. *Tarſenſem* hunc apoſtolum fuiſſe, fatetur ipſemet Act. XXI, 39. & *Tarſum* ὐκ ἄσημον πόλιν *nobiliſſimam vrbem* Ciliciæ appellat, quæ Ioſepho lib. I. Antiquit. Iudaic. cap. VIII ἀξιολογωτάτη, μητρόπολις ὖσα *maxime memorabilis & metropolis* eſt. Hanc multi credunt eſſe, quæ toties in ſacris תרשיש *Tharſis* laudatur; quam peruulgarem opinionem fuiſſe Hieronymus in Daniel X, 6. docet, & vna diſſenſum ſuum & Ebræorum ita declarat: NAVES THARSIS (Pſalm. XLVIII, 7.) *id eſt maris: & Ionas fugere cupiebat non in Tarſum Ciliciæ* (quia Ion. I, 3 etiam eſt תרשישה) *vt plerique exiſtimant, ſed abſolute in pelagus.* Et in Ion. I, 3 *Ioſephus* (lib. I. Antiq. cap. VII) *interpretatur de Tarſo Ciliciæ: Ebræi* תרשיש *mare dici generaliter autumant;* quanquam horum alio æuo coryphæus R. Kimchi in Shoraſchim שם מקום *nomen loci* eſſe itidem generaliter dicat, vrbis an regionis, non exprimens. Ambroſius quidem Ianvier, vir eruditiſſimus, Latina verſione Commentariorum Dauidis Kimchii in Pſalmos, dicto Pſal. XLVIII, 7. ita reddidit commentatoris verba: *Vrbem Tharſis præ aliis locis nominat* (Pſaltes) *quia ibi erat portus admittendis nauibus valde commodus.* At *vrbis* vocabulum de ſuo adiecit, quum Iudæi verba Iſnenſi optima editione tantum hæc legantur אמר תרשיש כי היא היתה מבוא לספינות *dixit* THARSIS, *quia illa erat portus nauibus.* Tarſus autem Ciliciæ reductior quodammodo a mari eſt, atque ideo a Ptolemæo lib. V. cap. VIII in mediterraneis numerata, quanquam in Cydni oſtiis, qui vrbem interfluebat, portum hanc primariam vrbem habuiſſe non negari poſſit, præſertim quod Strabone menſore lib. XIV, p. 463 ὐ πλείυς πέντε ςάδιοι ἐπὶ τὴν ἐκβολὴν τῦ Κύδνυ, *non plura quam quinque ſtadia ad oſtia Cydni erant.*

II. Sed

Digitized by Google

II. Sed ſufficit nobis Ebræorum תרשיש non eſſe Tarſum Ciliciæ; ſiue dein *Tarteſſus* fuerit in Hiſpania, inter Bætis oſtia, de qua Bochartus in Phaleg. lib. III cap. VII diſputat; ſiue generatim *mare*, vt veteres Ebræi cenſuerunt, ſignificauerit. Nos ad Tarſum Pauli patriam regredientes miranda eius contemplabimur. Præter illa, quæ ſupra vidimus, nobilem vrbem & metropolim fuiſſe, Strabo d. l. addit: εὐανδρεῖ καὶ πλεῖστον δύναται, *populoſa eſt & præpotens.* Sed hoc cum aliis commune: magis propria laus in illis Aſiæ partibus ex ſtudio philoſophiæ & optimarum artium acceſſit, quas ita excoluerunt Tarſenſes eodem Strabone teſte, ὥσθ' ὑπερβέβληνται καὶ Ἀθήνας καὶ Ἀλεξάνδρειαν, *vt Athenas & Alexandriam ſuperauerint.* Ex quo conicere licet, quam non ignarus Paulus doctrinæ & Philoſophiæ fuerit, etiam Græcæ linguæ & dicendi artis peritus, antequam Gamalieli in theologia Iudaica formandum ſe inſtruendum tradidiſſet.

III. Vnde vero *ius ciuitatis Romanæ* Tarſenſi Paulo fuerit pretium eſt excutere. Plinius lib. v. cap. XXVII *liberam vrbem* vocat, & fuerat, credo, antiquitus, vt Græcorum colonia; nam ab Argiuis, vt Strabo tradit, condita fuit. An vero etiam colonia Romana? non credo Pauli temporibus fuiſſe, quod nummi ante Elagabalum nullam eius rei mentionem faciunt. Vnum autem ſub Elagabalo percuſſum Patinus refert pag. 310, KOΛ.... ION. EΛEYΘ. TAPC. quod Harduino iudice pag. 485 ſupplendum ita eſt: KOΛ. ANTΩN. (vel ANTΩN) EΛEYΘ. TAPC. *Colonia Antoniniana libera Tarſi.* At vero ciuitatis Romanæ ius Tarſenſibus, licet non omnibus, pluribus tamen, iisque primariis antiquius fuit, ſaltem ab Iulii Cæſaris temporibus, cui & Octauiano adeo ſtuduerant, vt vrbem ſuam *Iuliopolin* vocari maluerint; & quum res dubiæ eſſent ante Philippenſe bellum, Dolabellæ, Cæſaris partes tuenti, ſe *inuitus, ſponte ſua* dediderint, ob id a C. Caſſio multati, a Triumuiris vero in ſpem erecti, futurum eſſe, vt omnia ſua reciperent. Hæc Dio Caſſius lib. XLVII p. 342 ſeq. docet. A victoria ergo Triumuirorum non dubium eſt, quin Tarſenſes, illorum partes ſequuti, cum alia beneficia, tum ius ciuitatis impetrauerint. Vſus hoc iure & priuilegio apoſtolus Philippis & Hieroſolymis fuit Act. XVI, 37, & XXII, 25. &

 quidem

Digitized by Google

quidem vtrobique ſecundum legem Porciam, de qua Tullius pro Rabir. perduell. cap. IV. *Porcia lex virgas ab omnium ciuium Romanorum corpore amouit: Porcia lex libertatem ciuium lictori eripuit.* Et Liuius lib. X cap. IX *Porcia lex ſola pro tergo ciuium lata videtur.* Sed ſatis de Tarſo: ad *Damaſcum*, alteram quaſi Pauli patriam, vbi renatus fuit, properamus.

IV. Situm *Damaſci* Plinius lib. V. cap. XVIII deſignat ita, vt in Decapolitana regione locet, cuius pars in Cœle Syria eſt, pars in finibus terræ Iſraelis. Ex quo elucet, in auſtrali Syria poſitam eſſe, eaque ..aua, haud longe reductam a finibus ſuperioris Galilææ. Olim ſedes regni Syriæ erat, quod Hadad fundauit circa Dauidis aut Salomonis tempora, & ſucceſſores habuit ἐπὶ δέκα γενεάς, *ad decem generationes*, vt Nicolaus Damaſcenus apud Ioſephum lib. VII Antiq. cap. VI obſeruauit, e quibus fuere, qui ſacris litteris memorantur, *Benhadad*, *Haſael*, & vltimus *Rezin*, quem Ahaſi, regis Iehudæ, rogatu Tiglatpileſer rex Aſſyriorum eiecit, & Damaſcenam Aſſyriaci regni prouinciam fecit, vnde ad Perſas, & ab his ad Græcos eodem ſtatu deuoluta fuit. Vid. Curt. lib. III cap. XII Apoſtoli Pauli temporibus in Arabum poteſtate dicitur Damaſcus fuiſſe II Corinth. XI, 32. quum ceteræ Syriarum partes Commagena excepta, in formulam prouinciæ ab Romanis redactæ eſſent. Diſquirendum itaque nobis erit, quo iure & quo tempore Damaſcus ditionis Arabicæ facta fuerit.

V. Sub vltimis Seleucidarum, quum Seleuco Grypo geniti imperarent, lacer ſtatus Syriarum erat; & Damaſcus primum ab Eucæro Grypi filio tenebatur, quem Philippus frater eiectum in Parthicam captiuitatem miſit: Antiocho interea, alio Grypi filio, ſe regem Damaſcenorum conſtituente, cui Philippus eripuit, præfecti arcis proditione, ſed breui etiam amiſit, præfecto illo in Antiochi partes rurſus recedente. Non autem hæ ſolæ turbæ erant in Damaſcena regione, ſed a tyrannis etiam, qui inter fraternas regum diſcordias orti fuerant, grauiter Syriacæ partes adfligebantur. In his Straton Berœenſis erat: omnium autem infeſtiſſimus Damaſcenis Ptolemæus Mennæus, tyrannus Chalcidenorum & Ituræorum, qui capitis ſupplicium poſtea mille talentis a Pompeio redemit. Per-

tæſi

tæſi itaque Damaſceni ciuilium bellorum & Menæi iniuriarum, Aretam, Arabiæ Petrææ regem, in regnum Cœles Syriæ euocant, ſibique regem conſtituunt, vt plane Ioſephus lib. XIII cap. XXII XXIII, & lib. I. de Bello cap. IV. expoſuit.

VI. Hic Aretas II fuit, Obodæ filius, rex Nabatæorum, cui Malchus ſub ciuile Romanorum bellum ſucceſſit, & huic Obodas II, ſeu potius pocurator eius Syllæus, quo ab Auguſto damnato, Aretas III Arabiæ & Damaſci regnum vſurpauit, indignante primum Auguſto, quod ſe inconſulto occupaſſet, poſtea tamen confirmante. Quæ geſta ſunt illo tempore aut paullo poſt, quum Syriæ Saturninus pro conſule præeſſet; hoc eſt quum mundi Seruator Homo naſceretur, quod ex lib. XVI Ioſephi cap. XVI & XVII luculentum eſt, vt adeo Aretas hic per temporis rationes poſſit ille eſſe, aut non dubitetur eſſe, cuius præfectus Damaſcenus Apoſtolum capturus erat. Paulus enim intra quintum a Chriſti adſcenſione annum ex Iudæo Chriſtianus factus fuit.

VII. Elapſus Paulus inſidiis Damaſcenorum in Arabiam aufugit, *Galat. I. 17.* ibique aliquamdiu latitauit. Lucam hanc fugam in Actibus præteriiſſe, *quia forſitan nihil dignum apoſtolatu in Arabia perpetrarat*, Hieronymus in d. l. Galat. I. cenſuit. Non quidem otioſum fuiſſe credamus, ſed minus illuſtrem, quam aliis locis & temporibus. Arabia hæc Damaſcenæ ex latere coniuncta erat & longe in auſtrum ad ſinum vsque Arabicum recedebat, Aretæ regnum, cuius Petra metropolis & regia ſedes fuit. Mirum, ethnarchæ manibus elapſum in regionem refugiſſe, cui dominus ethnarchæ illius ſeu rex Aretas imperabat. Sed non tam ethnarcham apoſtolus fugiebat, quam pernicaces Iudæos ethnarcham concitantes, quorum quod pauciores in Arabia, vt videntur, exſtiterunt, quam in nobilioribus ciuitatibus Syriæ; tutius ibi latitare Paulus potuit.

VIII. Reſtat, vt quamdiu ibidem verſatus fuerit, circumſpiciamus. Ludouicus Cappellus Hiſtor. Apoſt. *tri-*

Digitized by Google

ennium integrum ponit, quia Galat. I, 18. μετὰ ἔτη τρία, *poſt tres annos* adſcendiſſe Hieroſolyma dicatur, quod triennium a conuerſione, non ab reditu ex Arabia in Damaſcenorum vrbem metitur. Poſtquam enim Hieroſolyma venit, timebant ſibi ab illo Chriſtiani, incertiores de eius conuerſione, quam ignorare non potuiſſent, ſi longo tempore Damaſci, in illuſtri loco, verſatus Chriſtum publice prædicaſſet. Quæ enim Damaſci publice gerebantur, Hieroſolymis propter commercia vtriusque ciuitatis ignorari non poterant: Arabia autem obſcurior erat, nec nobilibus ciuitatibus, vt Syria, exculta. Contra vir illuſtris Iac. Vſſerius in Annal. pag. 629 ſcripſit, *primo apoſtolatus ſui triennio apud Damaſcenos exacto*, quod nolumus tueri, triennium illud ſi non totum, tamen maiori ex parte in Arabia transactum fuiſſe perſuaſi, in quo etiam theologos clariſſimos Fr. Balduinum & Abr. Calouium conſentientes habemus.

IX. Poſt hæc *Antiochia* in primis Pauli palæſtris fuit, vbi ἐνιαυτὸν ὅλον, *integrum annum* verſatus tantam vim hominum ad Chriſti ſacra perduxit, vt, qui antea *diſcipuli* (תלמידים) vocati fuerant, tum *Chriſtiani* a capite ſuo & duce appellarentur. Hæc Antiochia ad Orontem eſt, Plinio lib. V cap. XXI *Epidaphnes* cognominata, hoc eſt famoſo illo & deliciis refertiſſimo luco, quem *Daphnen* dicebant, cognomen nacta, quæ non tantum Antiochenæ, ſed uniuerſæ Syriæ metropolis, *vrbs celebris & copioſa, atque erudiſſimis hominibus liberaliſſimisque ſtudiis adfluens* fuit, vt Cicero pro Arch. cap. III laudauit. Quam dignitatem etiam ſeruaſſe vel nummis Auguſti & Hadriani manifeſtum eſt, quibus ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ legitur, vt de medio apoſtolorum tempore dubitare non liceat. Auctor Chronici Alexandrini in Iulio Cæſare (p. 438 ed. Rad.) Ἀντιόχειαν τὴν μεγάλην, *Antiochiam magnam*, cui idem Cæſar ἐλευθερίαν *libertatem* conceſſerit, quod alius nummus ab illuſtri Spanhemio pag. 789 laudatus confirmat hac epigraphe,

Digitized by Google

phe, ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, *Antiochenſium metropoleos liberæ.*

X. Ex Antiochia Syriæ in vrbem *Seleuciam*, quæ ad mare eſt, profectus Paulus in *Cyprum* inſulam nauigauit, vbi in proconſulis *Sergii Pauli* notitiam venit, qui etiam fidem Pauli dictis & miraculis habuiſſe dicitur Actor. XIII, 7 & 11. Inſula hæc acceſſio regni Lagidarum Ægyptiorum fuerat, a fratre regis cum honore regalis dignitatis regnata, quorum vltimus fuit Ptolemæus, Ptolemæi Dionyſii ſiue Auletæ frater, quem iniuſta cupiditas Romanorum, Clodio tribuno plebis inſtigante, ad voluntariam mortem coëgit, vt Romani inſulam & theſauros regios occuparent. Ab eo tempore Ciliciæ prouinciæ coniuncta hæc inſula fuit, & ab eodem proconſule recta, quod Cicero ipſe, poſtea vtriusque prouinciæ præſes ad Lentulum Spintherem lib. I. ep. VII his verbis planiſſime tradit, *te perſpicere poſſe, qui Ciliciam Cyprumque teneas.* Erat autem Lentulus proconſul Ciliciæ. Ita coniunctæ prouinciæ etiam Appio Claudio & ipſi Ciceroni manſerunt; poſtea, vti tres diœceſes ab Cilicia abreptæ, quod Cicero lib. XIII ep. LXVII non obſcure indicat, & a Sigonio lib. I. de Prouinc. R. cap. XI pluribus probatur; ita Cyprus quoque eidem cap. XIV videtur Ciliciæ ablata, & peculiaris facta prouincia, cuius rei etiam argumenta ſatis probabilia proferri poſſunt.

XI. Ciuili bello ſtatus inſulæ immutatus fuit, & Cæſar victor, Dione auctore lib. XLIII pag. 202, Arſinoæ & Ptolemæo puero in ſororis Cleopatræ gratiam *ἐχαρίσατο, donauit*: triumuir Antonius ipſi Cleopatræ cum Ciliciæ parte conceſſit, vt Strabo extremo XIV refert. Vt antea autem *prætoria* prouincia *καθ' αὑτὴν per ſe & ſeorſum* declarata fuerat, quum fieret prouincia Romana; ita Auguſtus quoque in decem *prætoriis* cenſuit, quod idem Strabo extremo opere memorauit. Sed prius illam in ſuas ſeu Cæſaris prouincias retuliſſe Auguſtum, mox cum Narbonenſi reddidiſſe ſenatui, ex eoque tempore a proconſulibus regi cepiſſe, ex Dionis lib. LIII pag. 504.

& LIV

Digitized by Google

& LIV pag. 523 probari poteſt; in quo ſtatu ſub ſequentibus manſit auguſtis imperatoribus. Inſcriptio apud Gruter. pag. 360 num. 3. ſub Caligulæ imperio facta: PRO CONSVLE PROVINCIAM CYPRVM OBTINVIT. Non itaque cauſſa vlla eſt, vt cum Baronio Sergium Paulum Ciliciæ proconſulem dicamus, quum ſolius Cypri præſes fuerit, proconſul autem dictus non quod conſulatu in vrbe functus fuiſſet; hoc enim non neceſſarium erat: ſed ex lege Auguſti apud Dionem lib. LIII pag. 504, qua *ἀνθυπάτους καλεῖσθαι*, *proconſules dici* voluit (in prouinciis) non modo *τοὺς ὑπατευκότας*, *conſulatu in vrbe functos*, *ἀλλὰ καὶ τοὺς ἄλλους τῶν ἐστρατηγηκότων, ἢ δοκούντων γε ἐστρατηγηκέναι*, *ſed alios etiam prætorios, & qui prætoriorum loco haberentur.*

XII. Ex Cypro in continentem prouectus apoſtolus, Pamphylia & Piſidia peragratis, in *Lyconia*, vrbes venit *Derben*, *Lyſtram*, *Iconium*. Hic tractus ex diœceſibus fuit, quæ Ciliciæ proconſulatui quondam attributæ fuerent, vt Sigonius lib. I. cap. XI de Prouinc. Rom. probauit. Varium poſtmodo huius regionis ſub triumuiris & Auguſto imperium fuit, de quo vir clariſſimus Henr. Noris in Cenotaph. Piſ. pag. 209 ſeq. legi poteſt. Sufficit hoc ſolum enotare, ad Amyntæ regnum, quod nouum Antonius conceſſerat, pertinuiſſe, quo rege ab Homonadenſibus interfecto, Auguſtus prouinciæ formam induxit, Pamphyliæ oppidis ſuæ libertati reſtitutis. Gallogræcia autem *μετὰ τῆς Λυκαονίας*, *cum Lycaonia*, tanquam vna prouincia *Ῥωμαῖον ἄρχοντα ἔσχε*, *Romanum præſidem accepit*, Dione referente lib. LIII pag. 514. *Derbe* illud oppidum eſt, quod Antipater Derbæus, Ciceronis amicus, tenebat, ideoque lib. XIII epiſt. LXXIII Philippo procos. Aſiæ ita commendatus: *Cum Antipatro Derbete mihi non ſolum hoſpitium, verum etiam ſumma familiaritas intercedit*, &c. Hunc inſidiis Amyntas ſuſtulit, vt ipſius poſſeſſiones occuparet, quod Strabo lib. XII. p. 391 adnotauit.

XII. *Lyſtra* ſatis apoſtoli mirandis clara. Heic enim benigne exceptus vsque adeo cum Barnaba fuit, vt pro

diis haberentur; mox, vt mutabile vulgus, lapidibus obrutus, &, tanquam cadauer, extra vrbem protractus eſt. Non poſſum, quin ſimile exemplum, quod Cyprianus de martyre Numidico epiſt. XL (Pamel. 35) habet, adiiciam. *Ipſe*, inquit, *ſemiuſtulatus & lapidibus obrutus; & pro mortuo derelictus, dum poſtmodum filia ſollicito pietatis obſequio cadauer patris inquireret, ſemianimis inuentus, & extractus & refocillatus a comitibus eſt.* Ob id a Cypriano commendatus, vt presbyter eccleſiæ Carthaginienſis fieret.

XIV. De Antiochia ad Orontem fluuium, ſeu ad Daphnen lucum, ſupra diximus: eſt & alia *Antiochia*, Piſidiæ, cuius in Actibus cap, XIII ſeq. mentio fit, frequens ciuitas & ſummæ dignitatis. Plinius lib. V. cap. XXVII. *inſident verticem Piſidæ, quorum colonia Cæſarea, eadem Antiochia.* Nummi plurium Cæſarum apud Harduin. pag. 47. ſeq. COL. CAES. ANTIOCH. quos perperam Triſtanus ad Antiochiam Epidaphnes ſiuæ Syriæ reiecit. Latini iuris fuit. Paulus I C. lege VII Dig. de Cenſibus: *In Piſidia eiuſdem* (Italici) *iuris eſt colonia Antiochenſium.*

XV. Ex Piſidia in Phrygiam & Cariæ fines progreſſi *Laodiceam* adimus τὴν πρὸς τῷ Λύκῳ, *ad Lycum amnem* Straboni cognominatam ſub finem lib. XII. Plinius lib. V. cap. XXIX *celeberrimam vrbem* vocat, *impoſitam Lyco flumini, latera adluentibus Aſopo & Capro.* Conſentit nummus Commodi, ΛΑΟΔΙΚΕΙΑ ΛΥΚΟϹ ΚΑΠΡΟϹ, *Laodicea Lycus Caper*, quaſi inter hos amnes poſita. Cariæ a multis tribuitur propter vicinitatem, vt Holſtenius cenſet ad Steph. Byzant. p. 187. Ptolemæus etiam lib. V cap. II in Caria ſcripſit *Laodiceam* ἐπὶ Λύκῳ, *ſuper Lyco.* Strabo autem d. l. in Phrygia recenſuit, cui etiam ſubſcriptione Epiſtolæ I ad Timotheum tributam videmus, ſi genuina illa eſt & antiquo ſæculo ſuperaddita. Scriptam tradit epiſtolam ἀπὸ Λαοδικείας, ἥτις ἐστὶ μητρόπολις Φρυγίας τῆς Πακατιανῆς, *ex Laodicea, quæ metropolis eſt Phrygiæ Pacatianæ.* Sed vel vltimum *Pacatiana* verbum ob-

Digitized by Google

oſtendit ſubſcriptionem hanc epiſtolæ coæuam non eſſe, quia longe poſt apoſtolorum tempora Phrygia magna in *Salutarem* & *Pacatianam* cœpit diuidi. Sub Chriſtianis demum principibus hæc nomina nata. Hinc in Notitia Imperii & Eccleſiæ Orientis obuia: ſuperioribus ſæculis, quantum conſtat, inaudita. Pacatianæ metropolis hæc Laodicea fuit, quemadmodum ſalutaris, Synnada. De vtriusque diſtributione in ciuitates Geographia Caroli a S. Paulo p. 240. ſeq. conſulatur: etiam Notitia Patriarchatus Conſtantinopolitani, & Ordo ſedium Metropolitanorum, & ſimiles Græci libelli, in quibus non *Pacatiana* ſed Καπατιάνη & Καπατίνη ſcribitur: etiam apud Conſtantinum Porphyrogennetam Themate I. Anatolico pag. 5. Φρυγία Καπατιανῆς: & Can. Concil. Laodic. apud Beuereg. Tom. I. p. 553, ἐν Λαοδικείᾳ Καπατιανῆς Φρυγίας in Nouella autem VIII cap. II & in Notitia præſidum eidem Nouellæ ſubiuncta, etiam Nov. XX cap. VI Iuſtinianus *Pacatianam* illam Phrygiæ partem, non Capatianam appellat.

XVI. Sed cuiuscunque antiquitatis ſit Pacatianæ nomen, *Laodicea* illius princeps ciuitas ſatis antiqua eſt, condita vel amplificata ab Antiocho Theo, Soteris filio, tertio poſt Magnum Alexandrum Syriarum rege, & a Laodice, vxore eius, *Laodicea* nomen adepta, id quod Byzantius chorographus, nobis prodiit. Hæc illa *Laodicea* eſt, cuius ad Coloſſ. I, v. 13, 16. fit mentio, vnde quidam Paulinam epiſtolam vel deperditam, vel ſuppoſiticiam arceſſunt, quæ vero, vt Hieronymus Catal. Scr. Eccl. ait, *ab omnibus exploditur*, obſtat enim præpoſitio ἐκ v. 16, quam qui genuinam eſſe libris quibusdam confiſi negant, Syrum interpretem, at quam antiquum? ſibi contrarium habent. Sed hæc aliis diſcutienda relinquimus: ex ſola hiſtoria argumentantes, cui tribus prioribus Chriſtianorum ſæculis ignotum *Phrygia Pacatiana* nomen fuit, etiam Syro, Arabi, Latino interpretibus in epiſtolæ ſubſcriptione prætermiſſum. Accedit quod clariſſimi viri dubitant, an in Aſia ſcripta fuerit prior ad Timotheum, nec in Græcia

potius

potius ſeu Macedonia, in quibus ſupra laudatum Cappellum nominamus, qui itidem dubitabundus eſt, an Paulus vnquam Laodiceam, quæ ad Lycum eſt, peruenerit? quod certe, ſi hanc ὑπογραφὴν ſuſtuleris, probari vix aliunde poteſt. Nobis & ciuitatem oſtendiſſe, & nomen prouinciæ, licet ex ſequiore æuo, declaraſſe, nunc ſufficiat.

XVII. In hoc tractu & *Coloſſenſes* erant, ex Pauli epiſtola minime ignoti. Sunt quidam, vt Guil. Eſtius Argumento huius Epiſtolæ meminit, in quibus & Sebaſt. Munſterus eſt, qui Rhodienſibus hanc epiſtolam inſcriptam autument. Hos enim propter coloſſi ſtatuam mirandam Suidas in Ῥόδος tradit Κολοσσαεῖς, *Coloſſenſes* appellatos, quod etiam Euſtachius ad Dionyſii Periegetæ v. 505 confirmat. Sed falluntur, qui Rhodiis Paulum ſcripſiſſe credunt. Eos enim Coloſſenſes intelligit, qui vicini & proximi erant Laodicenſibus & Hierapolitanis. Vide epiſt. cap. II, v. 1, & cap. IV, v. 13. 15. Ab his vero longius remota inſula Rhodus eſt. Intelliguntur ergo *Coloſſæ*, antiquum oppidum ad Lycum amnem nec procul a Mæandro, qui Lycum excipit, poſitum. Herodotus lib. VII cap. XXX ſitum eius ita deſcribit, vt iuxta eam Lycus ἀφανίζεσθαι, *terra condatur*, & quum poſt quinque ſtadia emerſiſſet, in Meandrum ſe infundat. Straboni & Plinio ſimpliciter Phrygiæ vrbs vocatur: Herodoto ibidem πόλις μεγάλη Φρυγίης, *magna Vrbs Phrygiæ.* Hæc terræ motu ſub Neronis principatu, apoſtolo fortaſſis ſuperſtite, concuſſa & euerſa, diu in ruinis iacuit. Quæ cauſſa fuit, vt nullam eius mentionem Ptolemæus aliique poſteriores fecerint. Oroſius lib. VII cap. VII *In Aſia tres Vrbes, hoc eſt Laodicea, Hierapolis, Coloſſæ terræ motu conciderunt*, Laodicea breui poſt tempore in Apocalypſi memoratur, & alibi: Hierapolis laudatur Ptolemæo lib. V cap. II. quod argumento eſt, has ſupereſſe malum ſuum, cui Coloſſæ, tanquam grauius adflictæ, ſuccubuerint. Tandem vero ſub Conſtantinopolitanis imperatoribus *Chonæ* in Coloſſarum locum ſucceſſere. Conſtantinus Porphyrogenneta Themate III, Κολόσσαι, αἳ νῦν λεγόμε-

ναι

Digitized by Google

ναὶ Χῶναι, *Coloſſæ, quæ nunc Chonæ dicuntur.* Hæc patria Nicetæ Choniatæ, ſcriptoris Conſtantinopolitani, vt ipſe tradit Vita Balduini cap. X.

XVIII. Coloſſe & Laodicea vicinam quoque *Hierapolim* commendant, ita ipſo Apoſtolo volente Coloſſ. IV. v. 13. vbi mentionem facit τῶν ἐν Ἱεραπόλει. Huius nominis clara vrbs eſt Syriæ, alia Cretæ: ſed heic, vti ſitus & vicinitas docet, *Hierapolis Aſiæ*, vt Plinius lib. II. cap. XCIII; τῆς Ἀσίας, vt Xiphilinus in Traiano vocat; ſiue *Hierapolis Phrygiæ*, vti Apuleius de Mundo, appellat, intelligitur, puta *Phrygia magna*, in qua Ptolemæus lib. V. cap. II locat: ſeu, vt poſteriori æuo prouincias diſtribuebant, in *Phrygia Salutari*, quod in notitia Epiſcopatuum Græcorum legitur. Sed omnium clariſſime eius ſitum nobis Strabo ſub finem lib. XIII delineauit, κατάντικρυ Λαοδικείας, *ex aduerſo Laodiceæ*, ſed trans Mæandrum fluuium. Stephanus Byzantius, qui in confinio Phrygiæ & Lydiæ ponit, nomen habuiſſe tradit ἀπὸ τῶ ἱερὰ πολλὰ ἔχειν, *a multitudine templorum*, in quibus celebrantur *Matris Magnæ*, apud Plin. lib. II cap. XCIII; & *Apollinis*, apud Photium cod. CCXLII in excerptis ex Iſidori vita, Damaſcio auctore, quod etiam nummis confirmatur. Cetera miranda huius vrbis Strabo d. l. & Stephanus Byzantius, & Apuleius de Mundo enarrant.

XIX. *Troas* in ora Aſiæ occurrit, vnde in Europam Apoſtolus nauigauit. Et vrbis & regionis nomen eſt: in Pauli hiſtoria magis vrbis, quam regionis, contra Syrum interpretem, qui Act. XVI, 8. εἰς Τρωάδα vertit *in Troadam regionem*, de ſuo אתרא adiiciens. Hieronymus epiſt. CL ad Hedibiam quæſt. XI, *Troas*, inquit, *quæ prius Troia appellabatur.* Propinqua quidem ruderibus Troiæ, non autem eodem prorſus in loco poſita, quia *Ilium* & *Troadem* Strabo ineunte lib. XIII, & Plinius lib. V. cap. XXX diſtinguunt. Condita *Troas* ab Alexandro Magno, a quo & *Alexandrea* nomen habet, & tam Straboni d. l. quam Ptolemæo lib. V. cap. II eſt *Alexandrea Troas*, id eſt Alexandrea in Troiano agro ſita, quia

arti-

Digitized by Google

articulum Strabo interpoſuit Ἀλεξάνδρεια ἡ Τρῳάς, quod perperam interpres vertit *Alexandria & Troas*. Aliquando ab Antigono nomen accepit. Plinius d. l. *Troadis primus locus Hamaxitus: dein Cebrenia: ipſaque Troas, Antigonia dicta, nunc Alexandria, colonia Romana*. Commentarii loco ſunt, quæ Strabo tradit dicto libro p. 408, ex quibus abunde conſtat, quantum differat Ilium, etiam ab Alexandro ornatum, & hæc Alexandria: & cur Antigonia eadem dicta, & quando colonia Romanorum facta. Quod enim coloniæ meminit ſæculi Auguſtei ſcriptor, non poſt Auguſtum deducta fuit; neque ante Octauiani tempora, quia in pleriſque nummis AVG. adſcriptum eſt, Antonini Pii COL. ALEX. AVG. Elagabili & Alexandri Seueri COL. ALEX. AVG. TRO. & Aquiliæ Seueræ COL. ALEXAND. AVG. Nomen Antigoniæ in vno Titi nummo eſt cum reliquis, COL. TROAS ANTIGONIA ALEXANDR. Rarius eſt *Antoniniane* cognomen, cuius generis nummum vir illuſtris Ezechiel Spanhemius profert p. 776. COL. AVR. ANTONINIANA ALEX. Eſt etiam, vbi demtis Alexandriæ vel Antigoniæ nominibus ſimpliciter *Troas* appellatur, in Antonini & Commodi nummis; COL. AVG. TROAD. & Caracallæ, COL. AVG. TROAS; quod cum ſancto ſcriptore conuenit, qui ſimpliciter etiam *Troadem* appellat.

XX. Ex Troade nauigauit Paulus in Samothracen & Neapolim. Nota inſula *Samothrace* in ſeptentrione Aegæi: minus cognita hæc *Neapolis* inter Philippos & Amum iuxta mare ſita. Meminit eius Plinius & Ptolemæus: luculentius ſitum deſcribit Dio Caſſius lib. XLVII p. 348, eſſe poſitam πρὸς τῇ θαλάσσῃ κατ'

ἀντιπέραν Θάσου, ad mare, contra inſulam Thaſum. In Macedonia cenſetur, ſi Neſſus ejus terminus fuit; in Thracia, ſi Strymon antiquus limes finiebat. Hinc iter *Philippos* patuit, quæ Act. XVI, 12 κολώνια dicitur, puta *Romana* & πρώτη τῆς μερίδος τῆς Μακεδονίας πόλις, *Vrbs primaria partis Macedoniæ*, quæ trans Strymonem eſt, quondam Thraciæ adiudicata. Plinius lib. IV cap. XI, *Philippi, colonia*, quam Auguſtus vel deduxit, vel in maius colonorum ſupplemento auxit. Nummus Claudii COL. AVG. IVL. PHILIP. Subnotatum DIVVS AVG. Similem nummum Veſpaſiani COL. AVG. IVL. PHILIP. Holſtenius ad Steph. p. 346 ad Philippopolim Thraciæ refert, quem malim ad Philippos reductum, niſi forte manifeſta habet pro Thraciæ vrbe indicia. Quod vero iſtum Claudii nummum Patinus p. 99 Theſſaliæ Philippis, neſcio quibus, ad mare Aegæum ſeu mediterraneum ſitis, & diuerſis ab vrbe trans Strymonem, tribuit, puto ex veteri errore ortum, quo vnum locum & Cæſaris cum Pompejo, & Caſſii ac Bruti cum Antonio & Octauiano prœliis fuiſſe falſo multi crediderunt, quod tamen aliter ſe habere, præfatione ad Geographiam noſtram oſtendimus. Hi vero trans Strymonem *Philippenſes* ſunt, ad quos Paulus litteras dedit: hi, quibus *jus Italicum* Lege VI & VII Dig. de Cenſibus, velut ingens beneficium, adſeritur.

XXI. Ab Amphipoli ad Strymonem ſita & *libera* ciuitate, vt Plinius vocat, per *Apolloniam* in Theſſalonicam Paulus venit Act. XVII, 1. Quæ illa *Apollonia* ſit, non omnibus obuium eſt. Plinius IV cap. X *Regio Mygdoniæ ſubiacens, in qua recedentes a mari Apollonia & Arethuſa.* Has duas Scylax in Macedonia coniungit, & vtramque dicit ἑλληνίδα, *Græcam ciuitatem.* Su-

perest

poteſt *Nicopolis* cum *Macedoniæ* cognomento in ſubſcriptione Epiſtolæ ad Titum ἀπὸ Νικοπόλεως τῆς Μακεδονίας, *ex Nicopoli Macedoniæ*. Quod nullam in Macedonia inueniunt, quidam *Neapolis* nomen ſubſtituunt. Non eſſe innitendum hiſce ſubſcriptionibus ſupra in Pacatiana vidimus; & in hac quoque ſequioris æui ambitio ex πρώτης, *primarii* epiſcopi titulo videtur ſe proferre, quam priſca & apoſtolica ætas ignorauit. Syrus & Arabs neque *Macedoniæ*, neque *primi epiſcopi* nomen habent: ſunt etiam Græci libri, quibus tantummodo notatum: ἐγράφη ἀπὸ Νικοπόλεως, cæteris omnibus reſectis. Eſto autem vulgatam ſubſcriptionem non antiquiſſimam eſſe, ſeruari tamen & explicari poſſe non deſperamus. Hieronymus prooemio comment. in Epiſt. ad Titum: *Scribit apoſtolus de Nicopoli, quæ in Actiaco littore eſt.* Et ad cap. vlt. v. 12. *Nicopolis ipſa eſt, quæ ob victoriam Auguſti, quod ibi Antonium Cleopatramque ſuperauit, nomen accepit.* Hoc Auguſtæ victoriæ monimentum in extrema Epiro ſitum erat, vbi nunc *Preueſa*, nouiſſime a Venetis expugnata. Notitia Epiſcopatuum Græc. Νικόπολις, ἡ νῦν Πρέβεζα. At Epirus ex Romanorum diuiſione ad prouinciam Achaicam pertinebat: qui vniuerſam Græciam in Macedoniam & Achaiam (II. Theſſal. I. verſ. 7, 8) hoc eſt in duas prouincias conſulares, diuiſerunt. Alii Nicopolim ad Neſſum intelligunt: ſed hæc Ptolemæo lib. III cap. XI in Thracia eſt. Lud. Cappellus p. 68 totam ſubſcriptionem reiicit, vt pugnantem cum ordine itinerum Pauli, & cum verſ. 12. cap. vlt. Adde Guil. Eſtii Argumentum huius Epiſtolæ, qui vero in Achaia

Digitized by Google

ſcriptam putat: Cappellus Epheſi: Grotius in Italia, ſed hic in eo accedit Hieronymo, vt *cap. vlt. v. 10.* Nicopolim Epiri, non Thraciæ, intelligat. Locum ſcriptionis non definimus, Nicopolis ſitum oſtendiſſe & probaſſe in præſentia contenti.

XXII. Plures ſunt Græciæ vrbes, quæ Pauli voce perſonuerunt, Athenæ, Corinthus, aliæ, quarum nec ſitus, nec fama ignoratur. *Cenchreas* autem, habentes portum & nauale Corinthi, ad ſinum Saronicum, non licet illaudatas præterire, quia Actor. xviii, 18. & ad Roman. xvi, 1. laudatæ ſunt. Deſcribit Pauſanias in Corinthiacis poſt principium, in iisque templa Neptuni, Dianæ, Veneris laudat: ſed verior laus eſt τῆς ἐκκλησίας τῆς ἐν Κεγχρεαῖς, *Chriſtianæ ibidem eccleſiæ*, Rom. xvi. Cetera Græciæ, vbi Paulus fuerit, nominatim expreſſa non legimus, quamuis longa ſpatia oporteat eum emenſum fuiſſe, qui μέχρι τοῦ Ἰλλυρικοῦ, *vsque ad Illyricum*, cuncta euangelio impleuerit, vt ſcripſit Romanis cap. xv verſ. 19. Iter eius tantummodo deſcribitur per Amphipolim, Apolloniam, Theſſalonicam, Orientale latus Macedoniæ: Illyricum autem, terminus occidentalis, toto regno ſeu conſulari prouincia interiacente, a ſcriptore Actuum non attingitur. Duplex autem *Illyricum* erat. *Græcum*, quod a Liſſo & vicinis montibus incepit: & vergit ad Ceraunios vsque montes. Hæc Græca Illyris vrbes nobiles habuit Liſſum, Dyrrhachium, Apolloniam; populos Parthinos, Taulantios, & alios obſcuros. *Barbarum* hinc ſuper Adriam exſurgit in occaſum borealem. Hos Mela lib. II cap. III *proprie Illyricos* vocat. Adde Palmerii Græc. Antiq. lib. I cap. XIV. Hanc, illamne Illy-

cum

rii intelligat apoſtolus non æque nobis certum eſt. Nullum veſtigium apparet, ad Dalmatas vsque excurriſſe; nec vero eiusdem ætate Illyrici nomine alterum cenſebatur, ſed Macedoniæ potius. Dio Caſſius lib. XLI pag. 176 Τὸ Δυῤῥάχιον ἐν τῇ γῇ πρότερον μὲν Ἰλλυριῶν τῶν Παρθινῶν, νῦν δὲ, καὶ τότε γε, ἤδη Μακεδονίᾳ νενομισμένῃ, κεῖται, *Dyrrbachium in terra Illyriorum Parthinorum ſita: quæ nunc, etiam tunc* (Pompeii & Cæſaris ætate) *Macedoniæ adnumerata eſt.* Quod ſi ita eſt, in Daſſaretis, Taulantiis, horumque vicinis apoſtolum prædicaſſe vix erit quod dubitemus.

XXIII. Vltimo Hieroſolymam rediturus Paulus aliquod tempus in Aſiæ ora conſumſit. Ex Macedonia nauigauit Troadam: inde pedeſtri itinere *Aſſum* profectus, Act. XX, 13. quod Phrygiæ Minoris oppidum ad mare erat, haud longe a Troade Alexandrea remotum. Plura de eo Salmaſius in Solinum p. 847. Inde *Mytilenen*, Lesbi inſulæ clariſſimam vrbem, venit, Ciceroni, Horatio, omnibus laudatam. Inſulæ poſt aliæ exceperunt; *Chios*, nunc Scio, Smyrnenſi ſinui oppoſita; & *Samos*, e regione *Epheſi*, quam vrbem prænauigauit, & *Miletum* recta contendit.

XXIV. Non ſemel *Epheſi* fuerat, quæ Aſiæ clariſſima vrbs erat & ſedes proconſulis Romani & metropolis; quod etiam ex Lege IV. Dig. de officio proconſ. § V. *ingreſſum*, conſtare poteſt. Poſitio vrbis ad mare, contra Samum inſulam nec longe ſupra promontorium Mycalen. Neque huc μέρη ἀνωτερικὰ, *ſuperiores partes* pertinent, Act. XIX. verſ. I. ſed *Galatia* & *Phrygia* ſeptentrionalis ita notantur: ſicut ἡ ἄνω Ἀ-

Digitized by Google

ria, ſuperior Aſia, Herodoto ſeptentrionalior eſt lib. I. cap. XCV, de qua Hiſtoria noſtra Antiqua pag. 3 ſeq. etiam præcepimus. Hoc etiam διελθόντα, præteritæ notionis participium conuincit, *quum peragraſſet ſuperiores partes*, cap. XVIII verſ. 23. deſcriptas, ἐλθεῖν, *veniſſe* tandem in inferiora & auſtralia, ſaltem reſpectu montanorum, in depreſſiora, vbi Ephesus maritima erat. *Miletus*, mater innumerabilium coloniarum, in nobilisſimis ciuitatibus Ioniæ: quo venit Paulus ex *Trogilio*, qui locus, Strabone auctore lib. XIV p. 438, ad pedem *Mycales* famoſi promontorii eſt, ab Nepote & aliis laudati. *Cos* ſiue *Coos*, & *Rhodus*, inſulæ poſtea intratæ, & *Patara* Lyciæ, quæ Apollini *Patareo* apud Horatium lib. III oda IV &c. nomen propter oraculum dedit. *Tyrus* ſequitur notiſſima: & *Ptolemais*, de qua ad Datamen Nepotis cap. V ſub nomine *Aces* (ita enim appellata fuit antea) aliquid notauimus. *Caſarea* proxima eſt, quæ apoſtolum ſuſcepit, poſt Hieroſolymam princeps vrbs Palæſtinæ, olim Turris Stratonis dicta, ab Herode autem eximie ornata & amplificata. Vide Ioſephum lib. I. de Bello Iud. cap. XVI & de dedicatione eius lib. XVI. Antiq. Iud. cap. IX pr. Sedes fuit præſidis ſiue procuratoris Palæſtinæ, quod ex Actibus etiam Apoſtol. cap. XXIII, XXIV, XXV liquet.

XXV. Reſtat vltimum Pauli iter, quod diuinæ litteræ habent, ex Palæſtina in Italiam, in quo *Antipatris* prima memoratur Actuum cap. XXIII verſ. 31. ſita medio itinere inter Hieroſolyma & Cæſaream. Opus Herodis fuit, ex patris Antipatri nomine appellatum. Conditum eius ſcripſit Ioſephus lib. XVI Antiq. cap. IX. Deinde poſt Cæſaream, de qua diximus

Sal-

Digitized by Google

Salmone occurrit, quod promontorium eſt inſulæ Cretæ in orientali latere. Mela lib. II cap. VII *Crete, ad orientem promontorium Samonium.* Ita & Strabo, Plinius, Ptolemæus vocant: nec vero ſuſpectum λ debet eſſe, quod Lucas inſeruit. Nam Caſaubonus ad Strab. lib. X obſeruat, in MSS. quibuſdam Σαλμώνιον apud Strabonem legi, & Plinius *Sammonium* littera geminata ſcripſit, quod argumentum euphoniæ eſt, litteram ſæpe excludentis, quæ hodie rediit, dum *Capo Salamone* appellatur. Inde profectus, vt in portu *Phœnice* hibernet, ſed per tempeſtatem non potuit. Ptolemæo in auſtrali Cretæ latere eſt Φοινικοῦς λιμὴν, *portus Phœnicus*, & proxime illum Φοῖνιξ πόλις, *Phœnix oppidum.* Depulſus inde procellis, paruam inſulam *Clauden* attigit. Ptolemæus extremo lib. III in inſulis Cretam adiacentibus primo loco ponit Κλαῦδος ἐν ᾗ πόλις, *Claudum, in qua oppidum eſt.* Creditur eſſe, quæ hodie *Gozo* dicitur, ad auſtrum Candiæ obiecta.

XXVI. Naufragium paſſus eſt ad inſulam *Meliten;* cuius nominis vna eſt in Dalmatico mari, altera inter Siciliam & Africam, & hanc Paulo fatalem fuiſſe, curſus inde ad Syracuſas & Rhegium oſtendit. Non deſunt tamen qui Meliten Dalmaticam Pauli naufragio dent, & in his Porphyrogenneta, cuius ſectatores vrgent vocem *Adria* Act. XXVII, 17; quæ Illyrico magis, quam Africo mari conueniat: etiam nomen *barbarorum* cap. XXVIII, quum illi Melitenſes, ſi non Græci, vt Siculi; tamen longo vſu & clientela Romani fuerint, quod inſula a Punico I. bello ſub Siciliæ proprætore fuit, vt ex Cic. Verr. VI. cap. XXVI eſt liquidum.

Digitized by Google

Hæc vero non tanti ſunt, vt de ſententia nos dimoueant. Nam *Adria* vel *Adriaticum* mare interdum tam late patet, vt Ionium etiam comprehendat. Ptolemæo lib. III cap. IV. Siciliæ latus terminatur ἀπὸ ἀνατολῶν ὑπὸ τοῦ Ἀδρίου πελάγους, *orientem verſus ab Adriano pelago*: & cap. XIV Epiri auſtrale latus terminatur μέχρι τοῦ Ἀχελώου ποταμοῦ Ἀδριατικῷ πελάγει, *usque ad flumen Acheloum Adriatico mari*. Rufus Feſtus Auiennus periegeſi v. 594

Achelous

Irruit Adriaci tergum maris.

Et Euſtathius ad Dionyſii perieg. v. 92 Ἰςέον ὅτι οὐ μόνον Ἰόνιος κόλπος καλεῖται, ἀλλὰ καὶ Ἀδρίας ὁ αὐτὸς λέγεται, καὶ Ἀδριὰς, καὶ Ἀδριανὴ θάλασσα. Adde Strabonem lib. VII pag 219. Et *barbari* agreſtes inſulæ erant primi naufragos excipientes, in oppidis vero Græcis Romaniſque moribus exculti.

XXVII. Inſulam *Meliten* ad Europam pertinere, non ad Africam, cenſemus contra Ptolemæum & recentes Gallos: in quo Strabonem & Plinium ex vetuſtis, ex recentibus Cluuerium conſentientes habemus. Accentus vocis ambiguus eſt, dum mediam in *Melite* & correptam & porrectam videmus. Putamus rectius breuiari. Ouidius III Faſt. v. 567

Fertilis eſt Melite, ſterili vicina Coſyra.

Ita & Apollonius IV Argonaut. aliquoties, vt de Silio & aliis taceamus. Lycophron vero in Alexandra v. 1027, & Arator in paraphraſi Actuum Apoſt. eandem produxerunt. Qui Publius πρῶτος *primarius* inſulæ Act. vlt. 7. vocatur, erat magiſtratus Romanus, ſed inferior, a prætore Siciliæ pendens. Vetus inſcriptio apud

Digitized by Google

apud Cluuer. Sicil. Antiq. p. 443 ΠΡΩΤΟΣ ΜΕΛΙΤΑΙΩΝ *primus Melitenſium*, quod de Lucio quodam, Caii filio, equite Romano refertur.

XXVIII. Eruditis placet, & admodum eſt probabile, Paulum prima captiuitate, quam Lucas ſcripſit, liberatum in Græciam & Aſiam reuertiſſe, adeoque bis Romæ fuiſſe: in Hiſpaniam autem penetraſſe credibile non eſt. Huius *Pauli* nomen ex *Sauli* mutationem Hieronymus conuerſationi cum Romano Cypri proconſule *Sergio Paulo* tribuit comment. in Epiſt. ad Philemonem, quod H. Grotius approbat, nec huius grauiſſimus cenſor Abr. Calouius quidquam oppoſuit.

Additamenta.

I. *Gallio* proconſul Achaiæ Act. XVIII. 12. fuit germanus frater L. Annæi Senecæ philoſophi, & quidem ætate maior, Annæus Nouatus dictus, poſt in Iunii Gallionis familiam adoptatus. Vide Lipſium initio in Senecæ de Vita Beata: & ipſum Senecam Præfatione lib. IV Quæſt. Nat. & Epiſt. CIV ſub initium.

II. Epiſtolas Pauli ad Senecam, & huius ad Paulum eſſe ſuppoſititias, etiam ex ſtilo probari poteſt.

DISSERTATIO VIII.

De

IOANNE BAPTISTA,

habita Ann. 1694.

Digitized by Google

FEſtus ille, dies, qui proxime in eccleſia celebratus fuit, diuini viri & mortalium maximi IOANNIS BAPTISTAE memoriam, & honore & æſtimatione digniſſimam, renouabat. Non alienum itaque ab officio faciemus, ſi, quæ de tanto viro ex hiſtoriis conſtant, curatius diſcutiamus, vt vitam & fata eius tam ex Iudæis ſcriptoribus, quam ex Chriſtianis, quanta fieri poterit & breuitate & perſpicuitate declaremus.

II. Adoleſcentiæ annos non in paterna domo Ioannes, ſed *in deſertis* exegit, vt minus impedimenti virtus, cui adſuefaciendus erat, ex vrbanis deliciis haberet. De parentum voluntate, immo Dei ipſius, ita factum eſſe, non eſt quod dubitemus, quia æquum & conueniens erat, vt ſeueriorem vitam ſectaretur, qui a mollitie hominibus & voluptatum deliciis auocaturus erat. Eſſe etiam in loci vel cultu vel aſperitate aliquid inſitum, quod formandis moribus faciat, vtrique ſapientum ſuffragio conſtitutum fuit, quod pluribus omnium temporum exempla comprobauerunt. Quod enim Seneca epiſt. LI ſapientiſſime præcepit, *non tantum corpori, ſed etiam moribus ſalubrem locum eligere debemus. Quemadmodum*, inquit, *inter tortores habitare nolim, ſic ne inter popinas quidem*: quod de Campaniæ deliciis litoralibus ibidem copioſe demonſtrat. Addit eadem epiſtola: *Seuerior loci diſciplina firmat ingenium, aptumque magnis conatibus reddit.* Quæ cauſſa fuit, vt Spartani filios ſuos ruri, quam in vrbe, educari, & duriter in adoleſcentia haberi maluerint.

III.

III. Victus, vnde vitam Ioannes tolerabat, exemplo nobis & argumento diſciplinæ certiſſimo eſt. Non enim deliciis vſus, ſed perquam vili & inſolito nobis genere, eſu nempe locuſtarum, quas *ἀκρίδας* Euangeliſtæ appellant. Nicephorus lib. I. cap. XIV *ἄκρα δρυῶν*, *ſummitates arborum* interpretatur & monachi Palæſtini herbam eſſe huius nominis, qua Ioannes vſus ſit. Iacobo Vitriacenſi perſuadere voluerunt; ſed cum neutris conſentire poſſumus. Nam quamtoties a Græcis interpretibus hæc vox ſit vſurpata, Exod. X. 4. 12. Ioel. I. 4. Amos VII. I & multis aliis locis; nihil aliud, quam, vt Suidas ait, *εἶδος ζωυφίου*, *genus beſtiolarum* ſignificat, quod frugibus & ſegeti moleſtum eſt. Idem ſancta Eccleſia credit, quemadmodum Ambroſius Sermone in Feſto Baptiſtæ dicit Ioannem *ſtridulis veſci locuſtis* ſolitum. Nec inſolentia cibi in alias partes quemquam trahat, quum minime inſolens in Oriente aut in Africa fuerit. Plinius lib. XI. cap. XXIX *Parthis locuſtæ in cibo gratæ*: quod de Afris ſuis etiam Ioannes Leo lib. IX. Deſcriptionis Africæ cap. LXI. & de Aethiopibus præcipue Ludolfus, vir meritis in bonas litteras illuſtris & ſemper honoris cauſſa nominandus, Hiſt. Aethiop. lib. I. cap. XIII confirmat, qui adeo certus de ſua & noſtra ſententia eſt, vt ibidem ſcribat, *non dubitandum eſſe, veras fuiſſe locuſtas, quibus S. Ioannes Baptiſta in deſerto vitam toleravit.* Qui ſummus vir haud dubie & plura & clariora in altera Appendice Hiſtoriæ ſuæ Aethiopicæ, quam vulgato nuper titulo promiſit, propediem ſuppeditabit.

IV. In lucem populi progreſſus Ioannes nouos ritos,

Digitized by Google

tus, nouam doctrinam proferre credebatur, nec id falſo quidem, ſi ritum *baptiſmatis*, quem Deo auctore inſtituit, intueamur. Etſi enim Iudæis cærimonia initiationis per baptiſmatis ritum non inaudita aut inuſitata erat, eaque oppido antiqua, vt credant illa etiam Iethronem, Moſis ſocerum, proſelytum factum fuiſſe, daß er ſich hat thun jüdſchen/ und hat ſich מטבל (immergens) geweſen im Waſſer/ vt in Zennorenna, Germanico Legis commentario, p. 69 loquuntur; alius tamen baptiſmus Ioannis erat & diuerſus ab illo, quo Iudæi proſelytos iuſtitiæ ex antiquo more initiabant: quod ipſi Ioann. cap. I. admirabundi fatentur, & Ioſephus quoque lib. XVIII. Antiq. Iud. cap. VII egregia laudatione commendat. De Ioannis enim officio præclare ſentit, *Iudæos ad virtutem excitaſſe, pietatis præſertim & iuſtitiæ, iuſſiſſeque βαπτισμῷ συνιέναι, baptiſmum ingredi* ſeu baptiſmo vti, quem hac lege Deo gratum fore prædixerit, *ſi non ab vno tantum alteroque peccato abſtineant, ſed animis per iuſtitiam prius mundatis, addant & puritatem corporis.*

V. Non intellexit vim baptiſmatis Iudæus homo vtcumque de virtute & pietate non inepte ſenſerit. Videtur enim ad *corporis puritatem* (ἁγνείαν τοῦ σώματος) baptiſmum Ioannis referre, quo ipſo vix aliud, quam quod pagani etiam ſenſerunt, ex tanto myſterio percepiſſe putandus eſt. Quid? quod gentiles (vt idolorum cultores appellant) vel ipſi huic Iudæo præferri poſſunt, quum lotionibus ſuis non tantum corporis, ſed mentis etiam mundationem imputarint. Hæc enim illos ſuperſtitio tenebat, cuiusuis criminis culpam,

Digitized by Google

culpam, quod admiſiſſent; abolere illico, ſi per unamquamque ablueretur. Socrates princeps philoſophus & ſapientiſſimus paganorum creditus, apud Platonem in Cratylo pag. 95. ed. Baſil. tradit τὰ λουτρὰ καὶ τὸ καθαίρειν τὸν ἄνθρωπον καὶ κατὰ τὸ σῶμα καὶ κατὰ τὴν ψυχήν, *lotiones purum hominem præſtare tum ſecundum corpus tum ſecundum animum.* Et Clemens Alexandrinus lib. IV. Stromat. pag. 531 ἔοικεν δὲ καὶ βαπτίσματος εἰκὼν ἐκ Μωυσέως παραδεδομένη τοῖς ποιηταῖς, *imago baptiſmatis a Moſe poetis tradita fuit:* ob quod ex Homeri aliquot verſibus Odyſſ. B. 261. & Δ. 759 ibidem confirmatur; & quod infantium baptiſmo ſimile videtur, ipſos pueros recenter in lucem editos flumine vivo abluerunt, & quum lege ne ipſos deos ſuos, quos credebant, exemtos voluiſſe, quod ex Callimachi hymnis in Jovem verſ. 16. & in Delum verſ. 111 & 124 vir illuſtriſſimus Petr. Dan. Huetius de Concord. Ration. & Fid. lib. II. cap. ... cum aliis huius generis ritibus erudite commonſtravit. Addo, quod Tertullianus prodit de Baptiſm. cap. V. ſacris quibusdam, ut Iſidos & Mithræ, *per lavacrum initiatos fuiſſe.* Sed hi homines, quod vere Tertullianus ibidem dixit, *viduis aquis ſibi mentiuntur.* Viduis, ait, hoc eſt ſterilibus & ſine Spiritu Sancto, quo noſtri baptiſmatis aqua maritatur. Quidni enim, quanquam improprie, cum Pontio Paulino, Nolano epiſcopo, epiſt. XXXII (vet. ed. XII) ad Severum, pag. 202 ita loqui liceat, quum ſanctiſſimus vir non veritus fuerit ſcribere

Sanctus in hunc cælo deſcendit Spiritus amnem,
Cæleſtique ſacras fonte maritat aquas.

Sed hæc de vocabulo tantum & ſtilo utriusque docto-

ris

Digitized by Google

ris notare noſtrum fuit: quæ vocibus ſignificantur, ad aliam cathedram quam non diſſerimus pertinere. Ad facta igitur Baptiſtæ revertimur.

VI. Ioannem in carcerem ab Herode coniectum fuiſſe, ex euangeliis notum eſt. Hieronymus in Matth. 11. 12. *multos ait errore labi propter ignorantiam hiſtoriæ, putantes eundem eſſe Herodem, a quo in paſſione ſua Dominus irriſus eſt; & qui nunc* (Matth. 11.) *mortuus refertur.* Pretium ergo operæ erit Herodum genealogiam quodammodo perluſtraſſe. *Antipater* Idumæus, qui Iulium Cæſarem in Aegypto expugnanda adiuverat, id præmium laboris tulit, vt Hyrcano, Iudæorum vna pontifici atque regi, in adminiſtrando regno adiungeretur, cuius filius *Phaſaelus* ab Antigono, Parthorum ope reſtituto, captus in carcere periit; alter, Herodes, Romam aufugit auxilium ab ſenatu petiturus, quod etiam, & regis ſimul titulum, commendante Antonio, conſecutus eſt. Hic *Herodes magnus* fuit, rex totius Paleſtinæ, ſed cliens Romanorum, inuiſus etiam ob alia malefacta, tum maxime propter puerorum in agro Bethlehemitico interfectionem.

VII. Huius fœda morte extincti filiis ita Auguſtus hereditatem diuiſit, vt regnum patris in quatuor partes diſpenſaret, duas illarum natu maximo *Archelao* daret, Iudæam & Samariam: tetrarchiam Galilææ & Peræa *Antipæ*, quem euangelia etiam *Herodem* vocant: reliquam tetrarchiam fratri *Philippo*, qui ambo inde *tetrarchæ* appellati ſunt. Quum vero Antipas fratri Philippo, Ituræe & Trachonitidis tetrarchæ, vxorem eripuiſſet, idque improbaſſet Ioan-

nes

Digitized by Google

nes baptiſta; factum eſt inceſtæ mulieris inſtinctu, vt Ioannes in carcerem coniiceretur. Locum carceris Machæruntem, Peręæ arcem, Ioſephus deſignat, XVIII. Antiq. cap. VII. quod in dubium vocat clariſſimus Lightfootus in Matth. XIV. 10. quaſi longius remota fuerit ab Herodis aula. Quum vero non conſtet, vbi natalem Herodes Antipas celebrauerit; non eſt, quod ab ſententia, tam claro ſcriptore innixa, refugiamus.

VIII. In cauſſa autem captiuitatis indicanda non fecit Ioſephus, quod cordati hiſtorici eſt officium, dum non inceſtus vituperationem, ſed metum tumultus & ſeditionis allegauit, δείσας Ἡρώδης τὸ ἐπὶ τοσόνδε πιθανὸν αὐτοῦ τοῖς ἀνθρώποις μὴ ἐπὶ ἀποστάσει τινὶ φέροι, *veritum Herodem eſſe, ne tanta hominis autoritas defectionem aliquam pareret*, vniuerſo populo ad illum confluente. Gorionides, quem Ebræum Ioſephum appellant, (ſed multo recentior eſt, tamen etiam Iudaicæ profeſſionis) ſincerius omnino cap. LXIII. principio iudicauit, ויהרג רבים מחכמי ישראל וגם הרג את יוחנן כהן גדול על אשר דבר ואמר לו אסור לך לקחת אשת אחיך פיליפוס לאשה ועל דבר זה הרגו הוא יוחנן אשר נטבל *Et occidit* (Herodes) *multos ſapientum Iſraelis, atque etiam Ioannem ſacerdotem magnum, quod dixerat ei; illicitum tibi adſumere uxorem fratris tui Philippi in matrimonium; & occidit eum. Hic Ioannes eſt qui baptizatus fuit.* Mendum videri poterat in vltima voce, & מטבל vnius litteræ mutatione legendum, id eſt *baptizans*, vel *qui baptizabat*. At etiam Ebræogermanica editione Iudæi verterunt und er ies auch der Jo-

Digitized by Google

Johanan / der da ies getaufft worden. Quamuis vetus mendum potuerit eſſe, quod noſtri Iudæi, plerique ignari hiſtoriarum, non animaduertunt. At vero V. Cl. Io. Druſius in Prætertis p. 4. tuetur vulgatam lectionem & interpretatur *continenter baptizauit*. Ita ſane Kimchii Peruſch in Pſ. cxix, 23. verbum נדברו expoſuit, אמר בלשון נפעל נדברו לפי שהדבור מלשון נפעל רוצה לומר התמדת הדיבור *Dixit in Niphal* NIDBARV, locuti ſunt, *quia locutio in Niphal ſignificat continuitatem locutionis*: ſed valeret vtique argumentum, ſi Niphal a טבל ſemper actiue aut neutraliter, vt in נדבר & נלחמם & paucis aliis, ſonaret; quia vero Ioſuæ III, 15 נטבלו eſt *intincti ſunt*, non ſine cauſſa de interpretatione illa Gorionidis noua ſeu *commentitiæ inuerſionis* dubitamus.

IX. Eandem captiuitatis & ſupplicii cauſſam R. Gantz in Zemach Dauid p. 56 memorauit, de Herode Antipa dicens ולקח את אשת אחיו פיליפוס בעודנו חי לו לאשה והרג כהן גדול בעבור הוכיחו על זה הדבר בחרב: *Duxit uxorem fratris ſui Philippi ipſo adhuc viuente in matrimonium, & Ioannem ſacerdotem ſummum, propterea quod de hoc ipſum reprehenderat, gladio interfecit.* Ioannem ſacerdotis filium fuiſſe non ignotum eſt: ſummum fuiſſe pontificem, vt Iudæus tradit, hiſtoriæ conſtanter negant: niſi velis ſacerdotalem virum, eumque magnæ auctoritatis, qui vtique Ioannes fuit, honorifico hoc nomine notari.

Digitized by Google

ADDITAMENTA.

I. VErbum *βαπτίζεσθαι* rarius quidem profanis ſcriptoribus eſt, non autem inuſitatum. Diodorus Siculus lib. I. cap. XXXVI de Nilo exundante: *τῶν χερσαίων θηρίων τὰ πολλὰ ὑπὸ τοῦ ποταμοῦ περιληφθέντα διαφθείρεται βαπτιζόμενα, multa terreſtrium animalium a flumine deprehenſa ſubuerſione pereunt.* Et Strabo lib. XII, pag. 391. ed. Caſaubonis de Tatta palude inter Gallatiam ſita & Cappadociam: *περιπήττεται ῥᾳδίως τὸ ὕδωρ παντὶ τῷ βαπτισθέντι εἰς αὐτό; facile aqua concreſcit ad quamuis rem immerſam.* Idem lib. XIV p. 458 de Climacis Pamphyliæ anguſtia iuxta mare, quam Alexandri M. exercitus hiberno tempore pertranſiit, *μέχρι ὀμφαλοῦ βαπτιζόμενοι, umbilico tenus immerſi.* Et Ioſephus de pontifice Ariſtobulo, quem Herodes inter ludicras lotiones in piſcina ſuffocari iuſſit, itidem *βαπτίζοντες* XV Antiq, cap. III, & *βαπτιζόμενος* lib. I de Bello cap. XVII, dixit, hoc eſt *ſubmergentes & ſubmerſus.*

II. *Baptiſterium* in balneis Romanorum labrum amplæ capacitatis erat; Plin. lib. II epiſt. XVII, & lib. V epiſt. VI. Hinc ad ſacrum vſum in eccleſia vox applicata.

III. Elegans tropus eſt, quando *Iordanes* vetuſtis Chriſtianorum poetis baptiſmum ſignificat. Prudentius hymno matutino:

Durare nos tales iube,
Quales, remotis ſordibus,
Nitere pridem iuſſeras
Iordane tinctos flumine.

Et Paullinus Petrocorius lib. IV de vita ſancti Martini verſ. 253.

Altera pocla decent homines Iordane renatos.
Id eſt regenitos baptiſmate ſeu Chriſtianos. Non autem propterea vis quædam & efficacia Iordani ineſt. Ambroſius bene ſerm. Dominica VI poſt Pentecoſt. Tom. V. p. 86. *Non nobis orientalis petenda eſt regio, non fluuius terra Iudaica. Vbi enim nunc Chriſtus, ibi quoque Iordanes eſt. Eadem conſecratio, qua orientis flumina benedixit, occidentis fluenta ſanctificat.*

IV. Scribimus vulgo *Iohannes*: ſed *Ioannes* ſine halitu magis probamus. Habet enim Latina Eccleſia non ab Ebræis proxime, ſed ex vſu Græcorum & ipſo nouo Teſtamento Græco, in quo adſpirationi locus nullus eſt.

DISSERTATIO IX.

De CAPTIVITATE BABYLONICA, habita ann. 1694.

DE Babylonica Iudæorum captiuitate diſputaturis ætas huius vrbis, & ſitus, & imperii circa eam vetuſta forma interpretanda ſunt. Antiquiſſimam vrbem fuiſſe, ex ſacris hiſtoriis non ignotum eſt, quæ illam proximo poſt cataclyſmum tempore memorauerunt: at rudi illa ætate tantæ amplitudinis fuiſſe, quantam poſtea ſub Perſarum imperium habuit, aut eiſdem admirandis

Digitized by Google

dis rebus ornatam, quibus poſtea inclaruit; nemo facile hiſtoriarum peritis perſuaſerit. Qui Cteſiam Gnidium, non grauiſſimum auctorem, more magis quam ratione ſequuntur, quod plerique recentium & antiquorum faciunt; ii vel Semiramidis, vel Belo eius conditum attribuunt. Curtius lib. v, cap. I. *Semiramis eam* (Babylonem) *condiderat, vel, vt plerique credidere, Belus, cuius regia oſtenditur.* Sed quam incerta ſit Semiramidis hiſtoria, aut potius fabuloſa, alibi pluribus eſt demonſtratum; quæ compendio exhibentur in *Hiſtoria Antiqua* pag. 4. Belum etiam & Nimrodum eundem fuiſſe, aut illum hoc non longe poſteriorem, æque incertum eſt, neque ex antiquis monimentis approbatum. Circa Nimrodi autem tempora Babylonem exſtitiſſe non eſt quod dubitemus.

II. Sita ad Euphratem fuit, vbi is fluuius vel natura in ramos, vel arte in foſſas diſpenſatus eſt. Interluiſſe vrbem, hiſtoriæ tradunt, quod de ramo putamus intelligendum eſſe. Multa ſollertia omnibus temporibus præcautum fuit, ne exundans flumen huic regiæ vrbi damnum grauius adferret. Hinc moles ingentes laudantur, quas coercendo flumini antiqui reges & reginæ condiderunt, præſertim Semiramis Babylonia (non illa fabuloſa Cteſiæ) & Nitocris, quarum induſtriam in cohibendo Euphrate Herodotus lib. I, cap. CLXXXIV. ſeq. prædicauit. In primis *Pallacopa*, quam Arrianus lib. VII. deſcripſit, & clariſſimus vir Iac. Gronouius ſingulari libro illuſtrauit, ita exhauſerat Euphratis ad hanc vrbem fluenta, vt obſtrui eam foſſam neceſſe fuerit, ne irrigatione Aſſyria priuaretur. Diuiſus ita in foſſas Euphrates illa

Digitized by Google

נהרות בבל *flumina Babylonis* ſunt, Pſalmi cxxxvii, ad quorum ripas Iudæi ſediſſe & calamitatem ſuam deploraſſe perhibentur.

III. De regiminis forma, quam antiquitus habuerat, aliquid adiiciendum eſt. Sub Nimrodo non maxima vrbs, pro ſæculi conditione, & caput imperii non ampliſſimi fuit, quo ſtatu per Arabum etiam dynaſtiam, quam Syncellus ex Africano tradidit, videtur permanſiſſe. Belum vero regem, qui ſucceſſit, in maius & vrbem & imperium auxiſſe probabile eſt, quem Babyloniæ potius, quam Aſſyriæ præfuiſſe cenſemus, quod Babylone plura eius monimenta fuerunt, nulla, quantum conſtat, in Aſſyria. Si Halicarnaſſenſibus credimus, Herodoto lib. I. cap. xcv, & Dionyſio principio operis, Aſſyriorum imperium ita arctatum limitibus fuit, vt Babylonem ſub ſe haud continuerit. Sed quoſdam etiam Babyloniæ dominos fuiſſe, ex eo forſan probari poteſt, quod Aſſyrius Salmanaſſar cum aliunde, tum מבבל *ex Babel* colonos in Samariam deduxit, II. Reg. xvii, 24. quod vero breui poſt mutatum, & Babyloniam ereptam Aſſyriis vltimis fuiſſe, vtique credibile eſt. Nam Hiskiæ temporibus alius Aſſyriorum rex Sennacherib, alius Babyloniæ Merodach erat, vt Babylonii ante Medos ab Aſſyriis defeciſſe videantur, ſaltem partem regni tenuiſſe, partem Aſſyriis fuiſſe relictam, ex qua coloni Samariæ deduci potuere, quia *Babel* æque regionis & vrbis nomen eſt; & ſecundum Ptolemæi canonem plures Babylonis reges Merodachum ſiue Mardokempadum anteceſſerunt.

IV. Hæc præmittenda erant, antequam capiuitatem

tem Iudæorum explicaremus: præſertim quod prima deportatio magnam difficultatem ex eo habet, quod tempus definiri certo non poteſt, quando regna, Babylonium & Aſſyrium, coniuncta vel diſrupta atque ſeparata fuerint. Vt ergo facilius nos poſtea expediamus, res altius quodammodo repetenda eſt. Babyloniam, ante Nabonaſſarem conditorem regni noui, partem Aſſyriaci aliquamdiu fuiſſe, probabile videtur, licet certo illud probari non poſſit, ſi Halicarnaſſenſium de Aſſyriaco regno traditionem ſequamur. Sed hæc ante defectionem Medorum fuere. Nec vero poſt illam videtur aliter fuiſſe, quod Herodotus lib. I. cap. CVI. tradit, Cyaxarem, Medorum regem, Aſſyrios ſubiugaſſe πλὴν τῆς Βαβυλωνίης μοίρης, *præter partem Babyloniam.* Hieronymus Nebucadnezari tribuit euerſionem Nini ſiue Nineues. In Eſa. XIII, 1. ait, *Nineue metropolis Aſſyriorum, Chaldæo vaſtante ſubuerſa eſt:* & in Ezechiel. XXX, 16. *Aſſyrios, hoc eſt Nineuen, vaſtauere Babylonii atque Chaldæi:* & in Nahum. II, 11. *Adhuc de Nineue dicitur, ad quam perrexit leo rex Babylonius, id eſt Nebuchodonoſor, & catulus leonis, ſub regulis eius. Idem videlicet Nabuchodonoſor victor cuncta iure poſſedit.*

V. Hæc ex Ebræis ſuis Hieronymus haud dubie hauſit, quorum poſteri eandem de Nebucadnezare ſententiam tuentur. Kimchi in Nahum I. 1.
זאת הנבואה נאמרה על נינוה ונינוה היתה למלך
אשור ומלך אשור הרע לישראל והגלה אותם
מארצם והקדוש ברוך הוא נקם נקמתם על ידי
נבוכד נצר שהחריב מלכות אשור *Hæc prophetia dicta eſt de Nineue: Nineue autem erat regis Aſſy-*

rii. & *rex Aſſyriæ adflixerat Iſraelitas, quum captiuos abduxit ex terra illorum. Deus autem hos vltus eſt per Nebucadnezarem, qui euertit regnum Aſſyriæ.* Nec aliter Saadias Gaon in principium Danielis, בשנת ארבע ליהויקים מלך נבוכד נצר וכבש ארץ נינוה *Quarto anno Ioiakimi regnare cœpit Nebucadnezar & ſubegit Nineuen.* Quod non putamus cum Herodoti ſententia pugnare, qui Cyaxarem Medum tradit victorem Aſſyriorum exſtitiſſe. Tantummodo enim Halicarnaſſenſis ille dicto loco ſcripſit: Medi Ninum εἷλον, *expugnauerunt*, & *Aſſyrios* ὑποχειρίους ἐποιήσαντο, *ſub poteſtatem ſuam redegerunt*: de vrbis autem euerſione & excidio nihil ibi memoratur: quod contra vulgarem opinionem, quæ Medis euerſionem tribuit, adnotare viſum fuit.

VI. Hiſce præſtitutis, captiuitatem ipſam Babylonicam propius intuemur. Quemadmodum vero Aſſyriaca captiuitas ratione temporis non vna eſt, videlicet Tiglatpileſaris, & Salmanaſſaris; ita Babylonica Iudæorum omnino quadruplex eſt, deportatione non ſemel, ſed quatuor diſtinctis temporibus facta. Prima etſi breuiſſimi temporis, tamen omnium vexatiſſima eſt ſeu ad explicandum difficillima. Eſt illa, qua *Manaſſes*, rex Iudææ, abductus Babylonem fuit, & quum reſipuiſſet in carcere, in priſtinam reſtitutus dignitatem. Cetera captiuitatis ſatis perſpicua ſunt: dux & auctor illius admodum dubitatus atque incertus eſt. Ratio dubitationis ex eo omnis ſuboritur, quod II. Paralip. XXXIII, 11 Manaſſem *regis Aſſyriæ* exercitus dicitur *Babylonem* in captiuitatem abduxiſſe. Si rex ille Aſſyriæ fuit, cur Babylonem captiuum abduxit,

duxit, quæ inde a Baladani tempore ſeiuncta fuerat ab regno Aſſyriaco?

VII. Ioſephus lib. x. cap. IV Βαϐυλωνίων καὶ Χαλδαίων βασιλέα, *Babyloniorum & Chaldæorum regem* vocat, qui Manaſſem captiuum duxit: & Zonaras Tom. I. p. 78 Βαϐυλωνίων στρατιὰν, *Babyloniorum exercitum*, a quo captus rex Manaſſes fuit. Hi nullan rationem habent vocabuli אשור *Aſſyriæ*, quam vero omnes interpretes expreſſerunt, Arabs etiam מוצל *Mauſel*, quod recentius nomen vrbis Nineues eſt, vt nullum dubium ſupereſſet, reddidit. Iacobus Capellus, vir doctiſſimus, in Hiſtoria Sacra & Exotica p. 206. de Manaſſis victore ita ſenſit: *Ex his colligitur, hunc Aſſyriæ regem habuiſſe regni ſedem non Niniue, ſed Babylone; atque adeo nulli deinceps ad Cyrum vſque Aſſyriæ reges leguntur, præter Babylonios.* Sed quisnam ille rex, & quod nomen eius fuit? certe poſteriorem Merodacho ſiue Mardokempado fuiſſe oportet, priorem autem Nebucadnezare. De intermdiis pauca conſtant, & vix vnus & alter ex Ptolemei canone, aut aliunde defertur, in quibus eſt *Aſſaradinus*, quæ vox cum *Aſſur* ex parte conuenit. Si nolumus id viri nomen facere, quod regioni ceteroquin vbique attribuitur. Quod ſi ille Nebucadnezar primus rex ex Chaldæis eſt, qui Aſſyriam ſubiugauit, vt S. Hieronymus & Ebræorum magiſtri tradunt, atque ita hi certo credunt, vt בשנה ראשונה *anno primo* regni ſui Nebucadnezarem in Aſſyrios expeditionem feciſſe Niniuenque deleuiſſe adſerant; hoc, inquam, ſi eſt, vnde ante Ne-

Digitized by Google

bucadnezarem coniunctio regnorum, Aſſyrii & Babylonii fuit, quod vtriusque oportet dominum extitiſſe, ſi is, qui Manaſſen cepit, vere rex *Aſſyriæ* fuit, & captiuum ſuum *Babylone* detinuit? niſi velimus dicere, Aſſaradinum iunxiſſe regna (quod clariſſimus vir Chr. Schotanus etiam ſentit) poſtea vero rebelles factos Aſſyrios a Nebucadnezare perdomitos, eorumque vrbem deletam funditus fuiſſe.

VIII. Aut verbum *Aſſur* laxe interpretandum eſt, vt Babyloniam quoque ſignificet, quemadmodum Mich. V. 5. *Terra Nimrod*, quæ Chaldæa eſt, videtur *Aſſyriæ* nomine ſignificari, quamuis ſciamus aliter doctiſſimum Bochartum de *Nimrodis terra* iudicaſſe. Sed vix certi aliquid in tanta ſcriptorum paucitate inuenitur: hoc autem certius omnino eſt, non diuturnam captiuitatem illius fuiſſe, quia LV. integris annis Manaſſes Hieroſolymis regnauiſſe 1 Reg. XXI, 1. legitur, nulla habita captiuitatis Babylonicæ ratione, quæ ſi diuturnior fuiſſet, vtique ſacer hiſtoricus regni annos interrupiſſet: quæ etiam ſententia illuſtris viri & Armachani Archiepiſcopi Iacobi eſt Vſſerii Annal. V. T. p. 109. quæ vt ſolidius confirmetur, de tempore, quando ductus Manaſſes in captiuitatem fuit, diſquirendum nobis ſupereſt.

IX. Iacobus Cappellus dicto loco de captiuitate & liberatione Manaſſis ita ſcripſit: *factum hoc aiunt Iudæi* XXXIII. *ante obitum Manaſſis anno. Chronici Iudæorum ſententiam confirmat R. Dauid Kimchi in Ezech.* IV. *auctoritate doctorum Talmudæorum.* Kimchi quidem meminit alicuius דרש, ſiue *allegoricæ interpretationis*, cuius auctor dicat עמד ברשו עשרים ושתים

Digitized by Google

ושתים שנה ועשה תשובה *ſteteiſſe in impieta-te* Manaſſem *viginti duobus annis, antequam ageret pœnitentiam*; ſed hæc interpretatio videtur Kimchio רחוק *longius petita*, quia auctor illius nihil ei probandæ adponat, niſi Scripturæ verba *male feciſſe Manaſſem* כאשר *quemadmodum Achab*, qui XXII annos regnauerat, quaſi comparatio ad annorum numerum, non ad ipſam tendat malitiam & idololatriam. Ipſe vero Kimchi ex alio calculo cenſet, ארבעים שנה היה מנשה ברשעתו והיה בתשובה חמש ועשרה שנה *Manaſſem quadraginta annis in impietatis, quindecim in pœnitentiæ ſtatu fuiſſe*. Vtram ſententiam ſequamur, apparebit non integrum annum Manaſſem in captiuitate fuiſſe.

X. *Altera captiuitas* fuit regis *Ioiakimi*, qua multi ex nobilioribus Iudæorum, atque in iis etiam Daniel, & ſocii eius, Babylonem abducti fuerunt, quod ipſe propheticæ ſuæ principio manifeſtauit. De rege ipſo & exceſſu eius magna eſt controuerſia, quod dicitur *catenis vinctus* a Nebucadnezare, II. Paralip. XXXVI. 6. & tamen *cum patribus obdormiuiſſe* II. Reg. XXIV, 6. ſed *caruiſſe ſepultura*, Ierem. XXII, 19. Qua difficultate preſſus Abeneſra in Daniel. I, 1 הוצרכתי לפרש הוליכו אר״ בבל ועמד בנחושתים כמו שנה וצוה נבוכד נצר ושב יהויקים למלכותו *coactus ſum interpretari ita abduxit eum Babylonem, vbi vinculis circiter annum vnum fuit: deinde Nebucadnezaris iuſſu in regnum ſuum reſtitutus eſt.* Quod vero nihil de annuo iſto carcere Ioiakimi in ſacris litteris memoratur; aliam conciliationis viam Ludouicus Cappellus init in Chronograph. Sacra p. 200. nem-

pe quum Ioiakimus per tres annos rebellaſſet, *veniſſe Nabuchodonozorem Hieroſolymam, eam obſediſſe, Ioiakimum cepiſſe, in vincula conieciſſe ad abducendum Babylonem, ſed mox forte morbo, vel alio caſu oppreſſum indignum iudicaſſe ſepultura, ac cadauer eius inſepultum proieciſſe extra mœnia Ieruſalem, iuxta Ieremiæ prophetiam.* Illuſtriſſimæ memoriæ vir & Academiæ nuper noſtræ Cancellarius SECKENDORFIVS in Hiſtor. Eccleſ. quam Gothæ ἀνώνυμον edidit, lib. I cap. II. ſect. III eodem fere modo cenſuit. *Putatur,* inquit, *in itinere deceſſiſſe Ioiakimus, & ex vaticinio Ieremiæ ſepultura caruiſſe: mortuus tamen ſimpliciter refertur* II. Reg. XXIV. 6. In qua ſententia, quod probabilior non adfertur, omnino perſiſtendum eſſe iudicamus. Ioſephus quidem lib. X. Antiq. cap. VIII prodidit, deditione facta Nebucadnezarem receptum ab Ioiakimo in vrbem fuiſſe, fidem vero pactæ & promiſſæ ſalutis Chaldæum haud ſeruaſſe, ſed cum nobiliſſima iuuentute interfeciſſe (ἀπέκτεινε) etiam ipſum regem, eumque ἄταφον ἐκέλευσε ῥιφῆναι πρὸ τῶν τειχῶν, *proiici inſepultum extra mœnia iuſſiſſe.* Quod vero II. Reg. XXIV. 6. *obdormiuiſſe cum patribus* dicitur, violenter ſublatum eſſe perſuaderi non poſſumus.

XI. De tempore aliquid monent, quod dubitari poſſit, tam Ebræi, quam Chriſtiani interpretes, nempe Ierem. XXV. I. quartum Ioiakimi annum dici primum Nebucadnezaris: at Daniel. I. I. tertio anno regni ſui Ioiakimum cepiſſe, & vaſa ſacra aſportaſſe in terram Sinear, quod Saadias Gaon in Dan. I, I. ita conciliat, vt tertium regni annum non ſimplici-

Digitized by Google

כי אם [illegible] בשנת שלש למרדו *ſed tertium annum rebellionis & defectionis* intelligat. Latius id deduxit & clariſſime expoſuit Lud. Cappellus, Nebucadnezarem poſt victum & fugatum Aegyptiorum regem anno regni Ioiakimi quarto, huncq; annum poſtea & initium quinti anni in Phœnice, Palæſtina, & Idumæa ſubiiciendas conſumpſiſſe, & fine quinti anni Hieroſolymam veniſſe & Ioiakimum feciſſe tributarium, qui illi ſeruierit totis tres annos VI. VII. VIII. poſtea rebellaſſe per tres annos, quibus exactis, Babylonium regem & Hieroſolymam cepiſſe, & in vincula Ioiakimum coniecisse, ut למלכותו *regni* annus tertius eſſet, ex quo rebellarat, & regnare tanquam liber cœperat, non tanquam tributarius. De aliis conciliandi modis laudati antea auctores conſulantur.

XII. Ioiakimo Nebucadnezar ſuffecit filium eius *Iechoniam*, qui & *Ioiachin* dicitur, quem vero poſt tertium menſem ruſſus deiecit, & cum familia regia & nobiliſſimo quoque Iudæorum Babylonem miſit, quæ *tertia* deportatio vel captiuitas Babylonica eſt, eaque ſatis numeroſa atque ita inſignis, ut ab illa Chronologorum accuratiſſimi Ioſephus Scaliger, Ludouicus Cappellus, & alii *ſeptuaginta annos* captiuitatis numerare incipiant, id quod etiam temporum rationibus quam maxime putamus conuenire. Tum enim exhauſtum, quidquid nobile, & eximium ac præſtans in Iudæ regno fuit, relicta tantum דלת עם הארץ *plebe vili & paupercula*, cui Zedekiam regem Nebucadnezar præpoſuit, II. Reg. XXIV. Rex captiuus Iechonias longo tempore vſque ad Euilmerodachi imperium in vinculis Babylone deten-

tentus libertatem quidem impetrauit tandem, & eximiam in aula Chaldæorum dignitatem: in patriam autem reuerti & regno ſuo reſtitui per fata diuina non potuit.

XIII. *Quarta* & vltima deportatio incidit in annum XIX. Nebucadnezaris, quando poſt biennem obſidionem Hieroſolymam Chaldæi deleuerunt; & regem Zedekiam ex fuga retractum, in Syriæ vrbem Riblatam ad Nebucadnezarem adduxerunt, qui oculis priuatum ad vincula & carcerem Babylonium condemnauit. Notiſſima cetera. Vrbs *Riblat* vbi ſita fuerit, non vndique clarum inter interpretes eſt. Hieronymus in Amos VI. 2. vt regionem Riblatam; Hemath autem vt oppidum vel vrbem illius deſcribit his verbis: ITE IN HEMATH MAGNAM, *quæ nunc Antiochia nominatur. Magnam autem vocat ad diſtinctionem minoris Hemath, quæ appellatur Epiphania, - - cuius regio appellatur Reblata, in qua præſente Nebuchodonoſoro regis Iudææ Sedechiæ interfecti ſunt filii, & oculi illius excæcati.* Sed ſibi non conſtat vir ſancte eruditus, & in Eſa. XIII, 1. ſcribit de eodem Nebuchodonoſoro: *Sedechiam vinctum duxit in Antiochiam, quæ tunc vocabatur Reblata*: vt vrbis nomen videatur facere, quod alibi regionis conſtituit: id quod magis probabile ſe poteſt reddere, quia Ierem. XXXIX, 5. vocatur *Riblat in terra Hemath*, atque ita tanquam vrbs a regione diſtinguitur.

XIV. An vero *Antiochia*, illa metropolis Syriæ, antiqua Riblata fuerit, non ſine cauſſa dubitamus. *Hemath* Amos VI. extremo limes terræ ſanctæ aquilonalis ponitur, מלבוא חמת עד נחל הערבה *ab*

in-

introitu Hemath ad torrentem deſerti: at vero Antiochia ad Orontem nimis remota in ſeptentrionem eſt. Propior quidem *Epiphania*, quam Hieronymus d. l. tanquam *minorem Hematham* magnæ ſiue Antiochiæ opponit. Ioſephus lib. I. Antiq. cap. VII. conſentit de Amata: ἔϛι ϗ νῦν ὑπὸ μὲν τῶν ἐπιχορίων Ἀμάθη καλουμένη, Μακεδόνες δὲ αὐτὴν Ἐπιφάνειαν ἀφ᾽ ἑνὸς τῶν ἀπογόνων ἐπωνόμασαν, *Extat etiam nunc, ab indigenis Amata vocatur: Macedones autem Epiphaniam a quodam poſteriori rege appellauerunt*, quem Hieronymus d. l. *Antiochum Epiphanem* interpretatur, qui in Cœleſyria vrbem ſibi cognominem exornauerit.

XV. Quid ergo? *Hemath* regionis an vrbis nomen? putamus vtriusque fuiſſe, & regionis quidem, quia ſupra vidimus *in terra Hemath*: & vrbis, quia Amos VI. epitheton רבה *magnæ* habet, & Ioſephus de vrbe interpretatur. Quod ſi Hemath Epiphaniæ nomine aucta fuit, putamus eandem etiam illam *Magnam* fuiſſe, quod ſine dubio illuſtris locus fuerit oportet, ad cuius introitum toties terminus Palæſtinæ conſtitutus eſt. Quod vero Antiochia Targumiſtis quoque, Hieroſolymitano & Pſeudoionathani Gen. X. 18. præter Hieronymum, *Hemath* eſt, id inde ortum eſſe coniicimus, quia Antiochia incrementis ſuis Hemathain, quæ poſtea Epiphania fuit, inſigniter ſuperauit. *Riblatam* quoque Ortelius Antiochiam interpretatus, ad Hieronymi in Ezech. commentaria prouocauit. At is in cap. VI. *deſerta Deblata* in terra Emath ponit, quæ *Epiphania* vocetur, & a multis credatur eadem eſſe, quæ Reblat ab Ieremia appellatur, litterarum conſimili-

um

um non improbabili permutatione. Sic rurſus incertos nos reliquit Hieronymus. An vero *Emath* ſiue *Hemath* eſt vrbs *Epiphania* & *Riblat* arx ſeu ſeceſſus regius in agro Hemathæo ſiue Epiphanienſi? nihil poteſt certo definiri: hoc vero putamus probabilius eſſe.

XVI. Tandem ſupereſt *pœna* Babylonis toties a ſacris ſcriptoribus prædicta, vt Eſa. XIII. Ierem. LI, & Pſal. CXXXVII. vbi שדודה deuaſtata dicitur, Magnus Scaliger p. 17. ad Fragm. Beroſi, remiſſam fuiſſe illam pœnam autumat, quam prophetæ Deo inſpirante prædixerant. *Quod*, inquit, *dicitur Ierem.* LI. 62, 64. *ita deſolatum iri Babylonem, vt nullus in ea habitator ſuperſit, plane nobis ignotum eſt: cui ſimile, quod refertur commate* 37. *& Eſa.* XIII, 21; *quum conſtet etiam temporibus Iuliani integra adhuc mœnia Babylonis ſuperfuiſſe, quanquam maiori ex parte habitatoribus exhauſta, & id quidem non belli vi, ſed vicinitate ingentis vrbis Seleuciæ. Deus O. M. & miſericors ſuſtinuit vindictam Nineue denunciatam ab Iona, vt ſæpe neceſſe non ſit accidere, quæ per prophetas ſuos intentauit, occulta quadam miſericordiæ ſuæ inexhauſtæ diſpenſatione.*

XVII. Non addidit vir illuſtris, quo auctore integritatem mœnium temporibus Iuliani probauerit: quantum vero coniicere licet, ad Ammianum Marcellinum reſpexit, de quo ad Euſebium p. 120 notauerat: *totis mœnibus ſuis integra, ſed exinanita tempore Ammiani Marcellini* (Babylon) *exſtabat*; ibidemque diſſentientium ſententiam *falſam prophetarum interpretationem* duro verbo appellat, nec

tam

tam ſoluiſſe nodum, quam gladio diſſecuiſſe videtur. Ammianus, quo nititur, lib. XXIII cap. XX (Valeſ. VI) *Vrbes*, inquit, (in Aſſyria) *ſplendidiſſimæ & peruulgatæ hæ ſolæ ſunt tres: Babylon, cuius mœnia bitumine Semiramis ſtruxit: & Cteſiphon, & poſt hanc Seleucia.* Non autem expreſſum ſatis eſt, Iuliani, an ſuperiori tempore Babylon fuerit vrbs ſplendidiſſima orientis.

XIIX. Sane Diodorus Siculus, qui ſub Auguſto Cæſare ſcripſit, lib. II. cap. IX. de ſui temporis Babylone refert, νῦν βραχύ τι μέρος οἰκεῖται, *exiguatum parte habitatam fuiſſe*; & æqualis ei Strabo lib. XV. p. 508 ἔρημος ἡ πολλή, *maiori parte deſertam* dicit: & ſub Hadriano Pauſanias Arcad. p. 264, Babylonis ὀυδὲν ἔτι, εἰ μὴ τεῖχος, *nihil reliquum præter muros eſſe.* Hieronymus, qui proxime poſt Ammianum ſcripſit, extremo commentario in Eſa. XIII. ex ore monachi Elamitæ refert, *venationes in Babylone eſſe, & beſtias tantum ambitu murorum coerceri.* Peregrinator ſæculi XII Chriſtiani, Beniamin Tudelenſis p. 76. ita deſolatam eſſe Babylonem tradit, vt, ויראים בני אדם ליכנס בו מבני הנחשים והעקרבים שיש בתוכו *vereantur homines ingredi propter ſerpentes & ſcorpiones locum occupantes.* Digna verba, quæ ibi vir clariſſimus Conſtantinus l'Empereur commentatus eſt, vt Scaligerianæ opinioni opponantur. *Heic*, inquit, *manifeſte videmus impletas illas minas, quas Dei nomine Eſaias cap.* XIII, 20. 21. 22. *propoſuit. Nam ſe in itinere ſuo vaſtatam Babylonem deprehendiſſe, teſtatur Beniamin: & quũ dicit, homines metu a palatio Nebucadnezaris abſtinere propter ſer-*

ſerpentes & ſcorpiones; cum aliis, tum etiam inprimis hiſce prophetiæ verbis ſuffragatur, SERPENTES IN PALATIIS VOLVPTARIIS, *verſ.22.*

XIX. Hodie neque volam nec veſtigium ſupereſſe, & ne coniecturam quidem certiorem loci, quo exſtiterit Babylon; patricius Romanus Petrus della Valle, *αὐτόπτης* teſtis declarauit. Sic nihil fruſtra prædictum fuit, & tarditas, quæ Dei miſericordiæ debetur, ſupplicii grauitate compenſata. Vt nihil dicamus, antiquis iam tum temporibus a Dario Hyſtaſpis & *muros circumciſos & portas deſtructas ac euerſas fuiſſe*, quod Herodotus lib. III. cap. CLIX memorauit, quæ primitiæ pœnarum fuerunt, longo poſt tempore grauiorem meſſem habituræ: quamquam non negandum ſit, ruinas illas ſub Perſico imperio reparatas omnes fuiſſe. Sufficit, quas poſteriori tempore experta fuit, inſanabiles omnino exſtitiſſe.

XX. Denique de *fine* captiuitatis & Iudæorum in patriam *regreſſu* aliquid dicendum eſt. Sub tribus regibus Perſarum hæc facta eſt reſtitutio. Primus, qui CYRVS eſt, captiuis libertatem dedit & facultatem reuertendi in patriam anno primo regni ſui Babylonii. Sed tum ara quidem a duce Zorobabele & Ioſua pontifice reſtituta fuit, templi autem vix poſita fundamenta. Vide Eſræ I cap. III. Nam rege Cyro mox in Maſſagetas profecto, ibique exſtincto, tarde opus ſine liberalitate regia proceſſit: a ſucceſſore autem Cambyſe, æmulorum calumniis irritato, prorſus fuit interdictum. Eſræ IV, 5. ſeq.

XXI. Alter rex, qui ad templi & vrbis inſtaurationem auctoritate ſua contulit, DARIVS fuit, quem

Eſras

Digitized by Google

Eſras nominat cap. IV, 5. 24, cap. V, 6, cap. VI, 1. Quum vero plures in Perſarum regibus DARII fuerint, Hyſtaſpis filius, & Nothus cognomine, & Codomannus ſiue vltimus; de quonam Eſras loquutus ſit, maxime controuerſum eſt inter interpretes. Summus vir Ioſephus Scaliger, quem plures ſequuti ſunt, ad DARIVM NOTHVM refert templi conſummationem, hoc potiſſimum argumento ductus, quia Eſræ IV, 6, 7. duo reges dicantur Darium anteceſſiſſe, AHASVEROS & ARTHASASTHA, quos Xerxem & Artaxerxem Longimanum interpretatur; quales inter Cyrum & Hyſtaſpis filium non reperiantur: & Darius ille duobus ſtipatus ſit Artaxerxibus, Eſræ IV, 7, cap. VII, 1, qui conuenientiſſime ſint Longimanus & Mnemon, medium Darium Nothum habentes.

XXII. Eſt vero hæc ſententia magnis quoque difficultatibus ratione moræ & temporis implicata, vt ire in illam ſine veritatis offenſione non poſſimus. Si enim ille Eſræ Darius eſt Darius Nothus; ſequitur moram & impedimenta ædificandi templi multo longiora fuiſſe, quam ipſam pœnam captiuitatis, & vltra ſæculum protracta ab edicto Cyri & prima in patriam euerſione. Pœna enim LXX annis, vt Ieremias prædixit, definita erat. Quare veteres in hoc argumento ſequi conuenientius videtur, quibus Eſræ Darius eſt Darius ille Hyſtaſpis filius. Ioſephus lib. XI cap. IV τὸν Υστάσπου παῖδα Δαρεῖον, *Darium Hyſtaſpis filium*, oppreſſa magorum factione electum, hunc ipſum eſſe tradit, qui poſt Cyrum templi ſtructuram aliquamdiu impeditam, continuari & perfici iuſſerit. Clemens Alexandrinus lib. I. Stromat. pag.

Digitized by Google

331 ἔμεινεν ἡ αἰχμαλωσία ἐπὶ ἔτη ἑβδομήκοντα, καταλήξασα εἰς τὸ δεύτερον ἔτος τῆς Δαρείου τοῦ Ὑστάσπου. *Manſit captiuitas annis ſeptuaginta, & ceſſauit anno ſecundo Darii Hyſtaſpis filii.* Et Euſebius in Chronico, Hieronymo interprete: OLYMPIAS LXV, *in qua Perſarum regis Darii, filii Hyſtaſpis, fuit annus ſecundus.* Et paucis interiectis, eodem tamen rege & eodem anno: *Secundo anno Darii, regis Perſarum, templum in Hieroſolymis exſtruitur ab Zorobabele, conſummatur opus anno quarto. Remiſſio quidem captiuitatis Iudaeorum & venia templi ædificandi ſub Cyro exordium habuit, ſed conſummatur templum ſub Dario, quia vicinæ gentes aſſiduis incurſionibus ædificationem templi impedierunt.*

XIII. Tertius rex Perſarum, qui commodo Iudæis fuit in reparanda republica, ex ſecundo eſt æſtimandus. Sub illo Eſras, & deinde Nehemias ex Babylonia profecti ſunt in Iudæam: vterque regem vocat *Arthaſaſthham*, id eſt interpretum conſenſu, Artaxerxem. Quum vero duo inſignes Artaxerxes in numero Perſicorum regum fuerint, Macrochir & Mnemon; pro hac vel illa hypotheſi alteruter intelligendus eſt. Scaligerianis eſt Artaxerxes Mnemon, qui Darium Nothum ſequutus eſt: de noſtra & veterum ſententia fuit is Artaxerxes Longimanus, quippe Dario Hyſtaſpis vindicauimus, quæ Scaliger in templi inſtauratione dedit Notho.

XXIV. Nunc videndum eſt, quod Scaligeriano argumento ex Eſra IV, 6.7 reſpondeatur. Sit ita, fuerint duo reges inter Cyrum & Hyſtaſpis filium, Cambyſes, & fratrem eius ſimulans Smerdis magus, qui

ſe

ſe vtique pro rege geſſit. Notum vero orientalium regum nomina non vna fuiſſe aut ſimplicia, ſed varia & multiplicata, alia priuata, antequam reges fierent, plura alia honoris & imperii. Quid obeſſe ergo poſſit, quo minus idem de nominibus Eſræ IV, 6.7 factum putemus, vt alter Cambyſes fuerit, alter qui interfectum fratrem Cambyſis mentitus eſt; quem SMERDIN priuato nomine ac communi cuidam mago, in aula verſanti, Herodotus lib. III. cap. XXX & LXI appellauit. Quæ latius magni nominis Theologus Abrahamus Calouius, Adnotationibus ad Grotium in h. l. perſequitur, & pluribus rationibus confirmat: qui conſuli poteſt, vt tollatur, ſi qua ſupereſt dubitatio.

DISSERTATIO X.

De VTILITATE PROPÆDEVMATVM, hoc eſt PHILOLOGIÆ & PHILOSOPHIÆ.

habita A. 1695.

OMnium ſæculorum ſapientes nefas duxerunt illotis manibus Sacra tractare. Sancta & ſacra ſunt omnia literarum ſtudia, ſi ex vero vſu

Digitized by Google

ſu cenſeantur, quia a ſanctiſſimo naturæ auctore ſunt, & ad virtutem & vitæ integritatem adducunt: omnium vero ſanctiſſima, quæ myſteria tractant & æternæ felicitati proſpiciunt. Vt ergo cuncta literarum ſtudia maiora & ſeueriora, ita cumprimis accuratiſſima & diuina illa, quæ Theologiæ nomen ferunt, *προπαιδείας* apparatu, vt nunc ſunt tempora, indigere, exemplis quibusdam in præſentia oſtendemus.

II. Propædeumatum cenſu & *Philologiam* & *Philoſophiam*, atque his cognata ſtudia habemus, quæ tum omni ſublimiori diſciplinæ, tum maxime ſacrorum explicatrici operam præſtant non inutilem. Non inuident ſuperioribus propædeumata maiorem dignitatem, eisquè libenter ſubſunt, vt adiumento ſint, & quæ ex inſtrumenti ratione habent, in illarum vtilitatem demittant, nec vero inferius, quam æquum eſt, detrudi ſe, & ſuis etiam legibus frui, naturæ ſuæ conuenientibus, gaudent. Miniſtrantium enim cuilibet ſua indoles eſt, ſua lex atque natura, vltra quam adigi non decet, vt nec philoſophari contra rationem liceat, neque *φιλολογεῖν* contra vſum verborum & auctoritatem philologico teſtimonio neceſſariam vel ſaltim ſufficientem. Exemplis rem manifeſtiorem faciemus ita, vt Philologiæ, præſertim Sacræ, ſiue ad ſacrum vſum tendenti, primas partes attribuamus.

III. Philologiæ ambitu Studium Linguarum, Antiquitatum, Rituum, Hiſtoriarum, Criticæ vtilioris, & quæ his cognata ſunt, comprehendimus: & ſi ſacratior illa eſt, ſiue ad ſanctam Theologiam deſtinata, linguarum, quæ vtriusque Teſtamenti primigeniæ ſunt, & his

his cognatarum notitia in primis illam contineri, nec vero excluſis reliquis, cenſemus.

IV. Primigenias linguas intelligimus authenticas, pro Veteri Teſtamento Ebræam, in paucis pericopis Chaldaicam: pro Nouo autem Græcam. Quod vt receptum adſumimus, ſiue ex Eccleſiæ teſtimonio, vt nonnullis placet, probari debeat; ſiue, quod malumus, ex internis *κριτηρίοις* etiam id præſtari poſſit. Quamuis nec prius ſine fide diuina illis auctoribus eſt, vtpote ex præmiſſa reuelata, & altera moraliter euidente feliciter deductum.

V. Qui Ebræo Codici inſidiantur, & vel Verſionem LXX viralem Græcam; vel Latinam, quam vocant, Vulgatam illi præferunt, eo procedunt audaciæ, vt fontem ex riuulis purgandum illuſtrandumque eſſe autument, quod approbari minime poteſt. Pugnat enim cum Critica Sacra, quæ ex paralleliſmo, & analogia, & ex Maſora, & aliis antiquiſſimis interpretationibus ſe ſatis tuetur: pugnat cum hiſtoria, quæ in vtriusque verſionis origine ſuſpecta admodum eſt, etiam in conſeruatione illarum, vt neque de numero interpretum, neque de auctoritate ſatis conſtare nobis poſſit. Adeo multa fabuloſa & abſurda admiſcentur.

VI. Quæ Philologiæ partes ſunt, in nos ſuſcipimus, integritatem Ebræi Codicis contra quoscunque, qui vel Græcum aliquem, vel Latinum, vel Samaritanum etiam præferre ſolent, ex Criticæ Sacræ regulis fortiter defenſuri. Friuola enim & nullius momenti cenſemus eſſe, quæ ad oſtendendam Ebræi Codicis corruptionem à multis obiiciuntur. Quod dum dicimus, in patentem & ampliſſimum diſputationis campum nos in-

Digitized by Google

gredi ſentimus; quem tamen Critico filo tranſiri ſine offenſa poſſe, Deo duce & auſpice confiſi ſperamus.

VII. Videtur Græca illa, quam Interpretum LXX dicunt, haud parum iuuari Apoſtolorum auctoritate, qui in iis etiam allegant, vbi diſſentit a Codice Ebræorum. v. g. Actorum XIII. v. 41. ſi conferatur cum Habac. I. v. 5. Sed habet Theologia hic, habet Philologia quod reſpondeat, quorum alterum, relinquimus tanquam alienum a foro noſtro; alterum vt proprium Philologiæ, retinemus, & ex Arabica etiam lingua, ſi opus ſit, illuſtrabimus. Cuius generis etiam eſt illud φθόγγος Rom.X.v.18.ex קו Pſalm.XIX. v.5. expreſſum, vti in Sciagraphia noſtra Philologiæ S. p.18. & 16. pluribus probauimus.

IIX. Nec vero Vulgares illæ Verſiones, Græca & Latina, licet authenticæ Scripturæ æquari non poſſint, ab eaque longius nonnunquam recedant; vtilitate ſua carent, ſed plurimis aliis locis egregie illuſtrant, quod dubium videbatur eſſe: & habet id Vulgatus interpres peculiare, quod Latiniſmi ſatis peritus fuerit, & ſæpe magis, quam vllus interpretum, antiquos ritus & inde natas proprias ſignificationes, non ſine efficacia ſenſus, Verſione ſua expreſſerit, cuius generis multa clariſſimi viri Caſaubonus atque Buchnerus obſeruauerunt. Ex iis ſufficiat perpauca nominaſſe, v. gr. *debiles* Matth. XV. 30. *profiteri* Luc. II. 3. *procurare* Luc. III. 1. vti etiam *procuratoris* vocabulum Matth. XX. 8, &c.

IX Non autem hæ ſolæ ſunt linguæ, quibus operam Philologiæ ſtudioſus det, ſed multum etiam Chaldai-

Digitized by Google

daicæ Paraphraſes, Syra, Samaritana, aliæque Verſiones Orientis præbent, quod in vſum interpretandæ Scripturæ Sacræ conuerti poſſit. Quantum enim eſt illud, quod in loco Gen. XLIX. v. 10. Iudæos vix aliunde felicius, quam, quos negare non poſſunt, ex Targumiſtis omnibus refutamus, quibus *Schilo* non alius quam מַלְכָּא מְשִׁיחָא *Rex Meſſias* eſt? in qua voce rurſus Arabiſmum commendamus, ex quo felicius, quam aliunde, explicari poteſt, vt ſit pro בְּנוֹ *filius eius*, ſcilicet Iehudæ, vti R. Dauid Kimchi etiam in libro Radicum obſeruauit. Innumera enim ſunt, in Ebræo etiam ſermone, quorum origines deperditas eruditi ex Arabica lingua non indocte reſtituunt, vt vel ſola, quæ in principio Geneſeos verba habentur, בראשית, אלהים, שמים, ארץ, &c. confirmant. vide noſtram Præſidis Philologiam S. p. 15.

X. Kimchiana mentio nos de Rabbinis admonet, quos quidam prorſus repudiant tanquam inſipidos & tota mente obtenebratos. Miſeret & nos Iudæorum in tanta luce cæcutientium, & fabulas illorum deteſtamur, nec magni facimus allegorias ſiue Medraſchim, quibus a literali ſenſu longiſſime declinant, neque Kabbalæ ſuperſtitiones; niſi ex hypotheſi contra ipſos auctores, quidquam vtilitatis habere cenſemus: literales autem eorum commentarios; & libros *Schoraſchim*, & *Dikduk*, ſiue Lexica & Grammaticas, vtique maioris æſtimamus, quam vt cum quibusdam reiiciendos putemus, e quibus qui accerrimus contra Rabbinos eſt, לַיְלָה Gen. 1, non fœmininum ſtatuiſſet, ſi

Digitized by Google

vel ſolum Aben Eſram in primordio Commentarii, eiusque de *Paragoge* admonitionem, inſpicere ſuſtinuiſſet.

XI. Multa præterea ſunt in formatione & flexione, in Syntaxi ſeu conſtructione, in propriæ ſignificationis inventione, præſertim in Vocabulis monadicis; de quibus Rabbini dicunt, אין אח לו, *non ſimile eius in Sacro Codice reperiri*; in his, inquam, Rabbini Grammatici multum lucis afferre poſſunt, licet applicatione ſæpe numero enormiter aberrent. Aromata & alia pretioſa a barbaris, apud quos naſcuntur, accipimus, & rectius quam ipſi fortasſis, vtimur iis; nec vero propterea illorum impietatem probamus. Sic multa bona Iudæis debemus; quæ ad noſtrum vſum rectius, quam illi, adhibeamus.

XII. Amplior etiam vſus Rabbiniſmi eſt, quam vt V. Teſtamenti interpretatione contineatur. In ipſo Græco idiomate habemus, quod Rabbinorum conſuetudinem redoleat, vti ſunt *venire in mundum*, Ioh. I. 9. *caro & ſanguis* &c. de quibus in Rabbiniſmo noſtro pag. 9. & 32. quemadmodum etiam Syriſmi in N. T. Græco habentur, & immenſus pæne numerus Ebraiſmorum, circa quam materiam malumus iis accedere, qui tuentur Ebraiſmos Noui Teſtamenti, quam qui omnia in eo Græcis profanis conformia eſſe tradunt.

XIII Tantus vſus linguarum exſiſtit, vt vt parcius, quam ipſe eſt, a nobis decerptus fuit. Multa quoque eſt vtilitas *hiſtoriarum* orientalium, occidentalium, nec ſacrarum modo, ſed ipſarum etiam ciuilium ad parandam confirmandamque ſacrorum ſtudi-

ſtudiorum ſcientiam. Ita enim coniunctæ ſunt Sacra & Ciuilis hiſtoria, vt neutra ſine altera ſatis intelligi aut illuſtrari poſſit. De Sacra & Eccleſiaſtica non putamus dubitari, cui noſtris temporibus noua pars videtur acceſſiſſe, notitia rerum Samariticarum, quæ nuper admodum per epiſtolas huius gentis ad magnos viros Scaligerum, Huntingtonum, Ludolfum datas, & partim a nobis, Præſide, in lucem emiſſas, innotuerunt. Non ſpernendus Codex Ebræo-Samaritanus, neque Verſio Samaritica, quia inde a ſchiſmatis Samaritani origine nihil corruptum in Iudaico codice fuiſſe iis locis, quæ vulgo obiiciuntur, luculentiſſimo documento ſunt, etſi alibi Codex Ebræo-Samaritanus ſuos næuos habeat, & admiſſos errores, ex quibus authentia eidem, quam multi defendunt, haud dubie abnegari poſſe nobis videtur.

XIV. Ad hiſtoriam Ciuilem reuertimur, cuius magna pars non poteſt abeſſe a ſacrarum literarum interpretatione hiſtorica. Aſſyriacos, Babylonios Reges, eorum initia, potentatus, ſucceſſiones, euerſiones, quarum rerum paſſim in Sacris Scripturis eſt mentio, non explicaueris facile, niſi ex profanæ hiſtoriæ ſupplemento & ordine. Propius ad rem accedemus dimiſſis antiquioribus. Hebdomades Danielis & ipſos Captiuitatis Babylonicæ annos quis computabit ſine errore, niſi in ſubſidium ciuili hiſtoria adſumta? & poſt liberationem quis ſtatus Iudæorum ſub Alexandro, ſub Syriæ & Ægypti regibus fuerit, item ſub Maccabæis, Romanis, vſque ad primam euerſionem Tito duce factam; qui ſtatus ſub altero excidio, cuius Hadrianus auctor fuit, exſtiterit? Cum vero

Digitized by Google

Chriſtianorum ſæcula aperiuntur, maior lux in Eccleſiam ex hiſtoriis intrat, qua, de veritate contra tot machinationes conſeruata, erudimur, etiam de hæreſibus, & vbi, & a quibus ſingulæ damnatæ fuerint, quantum ſatis ad dignoſcendum eſt, vnice perdocemur.

XV. Nolo in re clara immorari. Alia ſuperſunt φιλολογήματα, Geographiæ atque Oratoriæ beneficio expedienda. Orbem terrarum nobis deſcribit Scriptura, & in omnem plagam emiſſas colonias Noachidarum, vnde veras origines gentium habemus, ſed ex aliis hiſtoriis per ſucceſſionem magis illuſtrandas. Nunc Geographiam ſectamur, quæ Patriarcharum peregrinationibus, quæ Apoſtolico vniuerſali officio, præcipue S. Pauli itineribus vbique laudatis, non paruam lucem affundit, quibus Reginæ Auſtri aduentus ex Saba, & Salomonis nauigatio Ophiritica adiungi poſſunt, in quibus hallucinantur interpretes, qui accurata orbis terrarum notitia deſtituti ſunt. Quid dicemus de Conuerſione gentium ſingularum, vbi Hiſtoria, Geographia, Chronologia, quælibet quod ſuum eſt, ad explicandum debent conferre?

XVI. Oratoriæ magnam vim in Sacro Studio eſſe vetuſta conſuetudo Sermonibus ſeu homiliis docendi populum argumento eſt. Hieronymus, Auguſtinus, Ambroſius, vt nihil de Chryſoſtomo, Nazianzeno aliisque Græcis dicam, negantem conuincent, dubitantem confirmabunt. Vis & efficacia eſt in ipſo diuino λόγῳ, ſed recte diſtributo, ordinato, cuius diſciplinæ etiam ſunt Tropi, Schemata,

ta, quorum nec expers diuina Scriptura eſt. Hyperbolem forſan reformidant nonnulli? At eius quoque non paucа in ſacris literis exempla occurrunt, cuius generis & illud eſt, quod Auguſtus *πᾶσαν οἰκουμένην* deſcripſiſſe dicitur, h. e. Romanum imperium, ſiue vt eleganter Syrus interpres reſtrinxit, כלה עמא דאוחדנה *omnem populum poſſeſſionis ſuæ.*

XVII. Sed ſatis de Philologia. Philoſophiæ nunc Propædeumata pandemus. Initium facimus ab *rationali diſciplina*, ſiue quæ rationem in functionibus eius dirigit, non vtili ſolum ſed neceſſaria etiam omnibus, qui profectum aliquem ex literarum ſtudiis exſpectant ſibi. Nec ſacra ſtudia hoc inſtrumento carere poſſunt, quod definitioni, diuiſioni, ordinationi cum primis inſeruit, & ignotum ex notiore deducit, ſophiſmatum fraudes in lucem profert, ne noceant: contra ea veras nectit conſequentias, tam ad probandam orthodoxam ſententiam, quam ad confutandam alienam. Quam multi falluntur contradictionem fingentes in myſteriis, vbi nulla eſt? quoties vniuerſalis pro accommoda, aut hæc pro illa, cum errore accipitur? Aliquando non clariſſimum eſt, quodnam ſubiectum, quod prædicatum in propoſitione ſit: quæ ſingula, niſi Logicæ præceptis, diiudicari & expediri facile non poſſunt.

XVIII. *Terminorum* autem *ſcientia* quam neceſſaria, quam fructifera omnibus diſciplinis eſt? Omnium enim eſt cauſſas noſcere, earumque diuerſas rationes, potentias, relationes; ſubiectum, totius & partium diuiſiones, & quæ huius generis alia quamplurima ſunt. Hæreticorum aſtutia fecit, vt

ipſi

Digitized by Google

ipſi ſanctiſſimi Patres his terminis, quos Metaphyſica dat, vti non abnuerint, quo fraus & calliditas praue ſentientium detegeretur, illorumque caſtra his vel teſſeris a catholica Eccleſia diſtinguerentur. Sic Arianis ὁμοουσίῳ, Sabellianis, Macedonianis, Photinianis aliisque *Perſonæ* vocabulum oppoſuerunt: quos limites facile conuellent verſuti homines, niſi Philoſophia duce in eam ſcientiam ingreſſi ſumus, qua οὐσίας rationem propriam, & quæ eadem ſint numerice, quæ ſpecifice, diſtinguere accurate poſſumus: etiam explicare, quæ *perſona* ſenſu Philoſophico ſit, & quodnam naturæ illa ſuperaddat, in quo formalis ratio *ſuppoſiti* conſiſtat, & quod diſcrimen inter perſonam & ſuppoſitum ſit. Ingens damnum myſteriis infertur de S. Trinitate, de Chriſto eiusque Merito &c. niſi vafritiæ & impudentiæ aduerſariorum, qui Philoſophia abutuntur, ex veriore eius vſu poſſimus obſtruere progreſſionem.

XIX. Naturæ contemplatio & Mathematum ſcientia in diuinæ potentiæ abyſſum nos immittunt, vt ſi cælum intuemur, ſi ſcrutamur quæ ſub terra ſunt, quæ magnitudo ſingulorum corporum, præſertim cæleſtium, quanta vis & efficacia, quæ mirabilis in homine natura, vt de ceteris taceamus; tum demum quam potens ſit actor illorum, quam mirifice ſapiens, quam prouidus & beneficus conſeruator rerum ſuarum, vere intelligemus. Alios vſus, eosque multiplices, quos hæc diſciplinæ vel vitæ communi, vel aliis etiam diſciplinis ac ſcientiis præbent, breuitatis cauſſa nunc transmittimus.

XX. Quam fœcunda vero eſt *moralis* Philoſophia? Quan-

Quantos vſus præſtat ſacratiori diuinarum rerum diſciplinæ? Non deſunt, qui omnibus etiam extra Eccleſiam agentibus, ſi modeſte viuant, æternam felicitatem addicunt, peccatis illorum non obſtantibus, quæ pœnitentia, h. e. dolore & retractatione, ſatis expiari poſſe ſibi perſuadent. Succlamant Iudæi, Turci, Sociniani, & quotquot Satisfactionem Mediatoris Chriſti negant. Contra hos non ex Theologia modo, ne fines noſtros excedamus, ſed ex Philoſophia etiam pugnari pro victoria poſſe cenſemus. Peccati enim, quanquam eſt actio tranſiens, CVLPA & REATVS moraliter manent, nec non *iniuria* & *offenſa Dei*, cuius æterna lex peccato violata eſt. Quid vero homo conferet ad hæc omnia abolenda? Dolor, diſplicentia, deteſtatio facti parum proficiunt ad culpam tollendam & reatum exſoluendum, quæ obligatio ad pœnam eſt tamdiu peccatorem vrgens, donec legi violatæ ſatisfiat. Finge vero, quod tamen non eſt, amoueri culpam ex parte hominis per dolorem & retractationem poſſe; qua re ab offenſa Dei, quæ reatu illo continetur, ſeſe liberabit? vtcunque homicidam ſui facti pœnituerit, nihil tamen per id minus de pœna ferenda tenetur. Sic offenſa Dei expiari aut aboleri nequit, niſi vel æterna pœna, (ſi modo aboletur, quod æternum manet) quia æterna lex læſa fuit: vel *ἰσοῤῥόπῳ λύτρῳ*, quod nudi hominis non poteſt eſſe, æternæ legi ſatisfiat.

XXI. Hæc ex Philoſophia morali deduci debent, quæ actionem *moralem*, id eſt bonam vel malam, interpretatur, & vtriusque adnexa ſiue conſequentia declarat, vti malæ actionis proprium immediatum eſt *cul-*

pa

pa, & culpam neceſſario ac proxime contingit *reatus*, quæ ita actionem comitantur, vt quamuis illa tranſierit, ipſa tamen, niſi vel pœna vel alio conueniente modo ſatisfactum fuerit, tranſire aut amoueri non poſſint.

XXII. Tandem *Ciuilis Prudentia*, quæ etiam Philoſophia eſt, non indiget explicatione, quousque vtilitates ſuas diffundat. Tacere præſtat in re clariſſima, quam pauca proferre. Inſtituto noſtro ſufficiat, nec Theologiam velle vtilitatum harum expertem eſſe, quippe Politica *Naturæ leges* accurate exponit, & quæ vis ac formalis ratio illarum ſit, vti etiam omnium legum in vniuerſum, interpretatur perſpicue: etiam de *Matrimonii Iure* ea docet, quæ aliis etiam diſciplinis non ingratam operam præſtant. Sic abunde oſtenſum fuit, προπαιδεύματα, h.e. Philologiam atque Philoſophiam ad ſuperiores diſciplinas, Theologiam maxime, fructus præclaros & nunquam pœnitendos afferre.

ADDITAMENTVM.

In vigilia *Angelorum Feſti* adiicimus aliquid de *Angelis*. Quod nobis certum ex Act. XXIII. 8. eſt, Sadducæos negaſſe Angelorum exſiſtentiam; id incredibile Iudæo Menaſſe Ben Iſrael de Reſurr. Mort. lib. I cap. 6. viſum fuit, quia *ſic ſequeretur, eos negaſſe legem Moſaicam, quæ variis in locis Angelorum mentionem faciat.* Nihil hoc argumento mouemur: neque obſtat nobis vox ἀμφότερα, quæ tantum bina negationis membra reſpicere videtur. Recte Syrus כלהין *omnia hæc* illud verbum interpretatus eſt.

DIS-

DISSERTATIO XI.

qua

FLAVII IOSEPHI

De

HERODIBVS HISTORIA,

a νοθείας ſuſpicione contra V. CL.

IOANNEM HARDV-INVM

iuſtis vindiciis adſeritur, & nummis antiquis conciliatur,

habita A. 1696.

DE Herodibus diſſerturi principio indicamus, cuius fide in enarratione innitamur. Is *Flauius Ioſephus* eſt, Iudæorum hiſtoriæ auctor locupletiſſimus, cui tantum antiqui, recentes, & medii tribuerunt, vt nemini hiſtoricorum plus potuerint. Quantum enim eſt, quod Hieronymus illum epiſt. XXII ad Euſtochium cap. XV cum optimo comparat, dum *Liuium Græcum* appellat? hoc eſt eum, cuius in condenda hiſtoria ingenium, induſtriam, & fidem non minus omnes mirentur, quam T. Liuii Patauini, *cuius viſendi cauſſa Gaditanum quemdam ab vltimo terrarum orbe veniſſe, ſtatimque, vt viderat, abiiſſe*; cum Plinius lib. II epiſt. III, tum idem Hieronymus epiſt. CIII cap. I referunt. Euſebio, probatiſſimo & ipſi auctori, H. E. lib. III cap. IX Ioſephus eſt ἄξιος πιστεύεσθαι, *dignus*

cui

cui fides habeatur: & vt vnum tantummodo ex recentioribus, ſed facile principem, adiungamus, magno Scaligero prolegom. Emend. Temp. idem φιλαληθέστατος, *veritatis ſtudioſiſſimus* non immerito cenſetur.

II. Quanto igitur laus eſt illuſtrior, ab laudatis viris, non interrupto conſenſu, laudari: tanto maior admiratio ſubit, quod clariſſimus vir, & tam Plinio illuſtrato, quam vrbium & populorum ex nummis geographia eximiam laudem doctrinæ conſequutus *Ioannes Harduinus*, Proluſione Chronologiæ ex nummis reſtitutæ Lutetiæ nuper excuſa, in tantum derogat de Ioſephi auctoritate, vt pro inepte ficto & ſuppoſiticio auctore habeat, ad id nummorum, vt ait, fidè inductus, qui paſſim Flauianis narrationibus in Herodiadum hiſtoria aduerſentur. Nos vt omnino magni antiquos nummos facimus, & ex iis multa in hiſtoriis & chronologia emendari cenſemus; ita commoueri nondum poſſumus, vt præ hiſce nummis, quos Harduinus producit, omnis antiquitatis & memoriæ in Ioſepho conſenſionem negligamus, aut penitus eluſam illam contemni vel euerti patiamur. Quanta igitur fieri induſtria poteſt, doctiſſimi viri nummos & rationes quibus nititur, ita exponemus omnium conſpectui, adiecta veritati conſona interpretatione, vt & nummis genuinis ſua fides, & Ioſephi ſimul hiſtoriæ ſua intemerata conſtet auctoritas.

III. Nota eſt Ioſephi de Herodum familia traditio, a doctis omnibus huc vsque magno conſenſu approbata, & in Antiqua noſtra Hiſtoria, locis vbique ex Ioſepho ſignificatis, breuiter repetita. Scilicet Hero-

rodem, Antipatri filium, illuſtri genere proſelytorum, Idumææ ortum, ſummam rerum in Palæſtina a patre acceptam (is autem Cæſari Iulio debuerat) Antigoni Haſmonæorum vltimi, quem Parthi iuuabant, inuaſione amiſiſſe, ſed breui poſt Antonii ope cum titulo Regis recepiſſe, atque ita ſatis multos annos totam Palæſtinam, quæ inter Syriam, Arabiam & Aegyptum patet, Auguſti Cæſaris auſpiciis, qui confirmauerat regnum, ſeuero imperio tenuiſſe. Huius filium Archelaum, quum IX annos Iudææ & Samariæ imperitaſſet, Ethnarchæ nomine, in Galliam relegatum eſſe, & ex poſſeſſione eius prouinciam Romanam factam, quam procuratores Cæſaris rexerint: reliquos filios, Herodem Antipam & Philippum, vtrumque ſuæ tetrarchiæ præfuiſſe, illum quidem Galilææ & Perææ; hunc Iturææ & Trachonitidi; & hoc mortuo; illo itidem relegato, Agrippam, primi Herodis ex interfecto filio Ariſtobulo nepotem, Claudii Cæſaris fauore totum auitum regnum, ſublata prouinciæ forma recepiſſe, ſed hoc poſt paucos annos exſtincto Iudæam iterum prouinciam factam, filium vero, Agrippam minorem, Chalcidenæ regulum, deinde Abilenes & Philippi tetrarchiæ exſtitiſſe.

IV. Ab his diſſentit non vna ratione Harduinus. Primum ait, Herodem per Iulium Cæſarem ingreſſum dominationem eſſe: nec illum totam Palæſtinam, ſed tantum Iudæam & Samariam rexiſſe: in eodemque regno, cum regio etiam titulo, Archelaum patri ſucceſſiſſe: Galilæam autem cum ceteris partibus ſub poteſtate Zenodori tetrarchæ fuiſſe, cui viuo patre, Herodes, Herodis filius; Philippus frater eius, vter-

que tetrarcha, ſed diuiſa poſſeſſione, ſucceſſerint. Et hunc tetrarcham Herodem, Baptiſtæ interfectorem, non Iudæum, nec proſelytum, ſed gentilem, poſtea regem factum, eundem eſſe qui Iacobum ſuſtulerit, & Petrum coniecerit in vincula, eumque perperam ſub Agrippæ nomine a tetrarcha diſtingui. Neque Iudæam poſtquam ſemel a morte Archelai (nam & huius exſilium negat) prouinciæ formam induerit, vnquam rurſus regni habitum, vt Ioſephus prodit, recepiſſe. Et quæ reliquæ de hiſce rebus paradoxæ opiniones ſunt. Singula ordinatim examinabimus.

V. Vir celeberrimus de initio dominationis Herodis ita ſentit pag. 24. *Iudæa Herodi data eſt hanc, vt nunc videtur, ob cauſſam: Erat Iulius Cæſar dictator in magno ære alieno Herodis, vt coniicere eſt ex illa Tullii voce ad Atticum lib.* VI *epiſt.* I, SED HEVS TV! IAMNE A CAESARE PER HERODEM TALENTA ATTICA QVINQAGINTA EXTORSISTIS? Mira res, ne dicam, ridicula. Scripta epiſtola in Aſia eſt a proconſule Cicerone, quum Cæſar adhuc in Gallia eſſet. Quo pacto igitur ad illum Herodis Idumæi pecunia? qui ante Alexandrinum bellum ne notus quidem Cæſari fuit. Præterea variatis ſcripturis vexatus ita locus eſt, vt quidam non *Herodem*, ſed *Orodem* legant: quidam pro *iamne vos* monſtroſe *Genuarios*; vnde ſunt, quæ *Genuavos*, quod nomen Allobrogum ciuitatis eſt, exſculpant. Quam clarior explicatiorque eſt Ioſephi hiſtoria, Antipatrum, Herodis patrem, Hyrcani regis amicum, in Peluſiaca expugnatione, & in prœliis ceteris egregiam Cæſari operam in Aegypto præſtitiſſe, a quo id præmium laboris accepert,

Digitized by Google

perit, vt Hyrcano regi in gerenda republica adiungeretur, aut ſolus illam adminiſtraret, atque iſte, quod ſimul pontifex erat, rebus ſacris magis, quam ciuilibus præeſſet. Vide Ioſeph. lib. 1. de Bello cap. VII & VIII.

VII. Nunc fines regno Herodis conſtituendi ſunt Patre ſuperſtite præfectus Galilææ erat, vnde in amicitiam Sexti Cæſaris, Syriæ proconſulis, venit. Sed patre, Malichi fraude, hoc eſt veneno, ſublato, incidit Antigoni bellum, Parthorum auxilio geſtum, quo Hyrcanus rex captiuus abductus, Phaſaelus, Herodis frater, in carcere ſe interfecit; ipſe Herodes ægre euaſit in Italiam: vbi rex ab ſenatu Romano, Antonii ope, declaratus, aliquamdiu de regno cum Antigono certauit, donec ille Romanis armis, & Soſio duce oppreſſus, captusque, & ſecuri percuſſus fuit. Sic Herodes in totum regnum Haſmonæorum venit, cuius pars etiam Galilæa & vicinæ regiones erant. Vir contra clariſſimus Io. Harduinus pag. 24. *Herodis ethnarchiam regiamque poteſtatem ad Iudæam tantummodo cum Samaria pertinuiſſe* contendit.

VII. Argumenta, quibus perſuaſus eſt, fere hæc ſunt: primum, quia Lucæ 1. comm. 5. vocetur βασιλεὺς τῆς ἰȣδαίας tantum *Iudææ rex*. At ſi arcte ſumitur *Iudæa*, neque Samariæ imperitauit, quod contra Harduinum eſt: ſin laxe, tam Galilæam & Peræam, quam Samariam comprehendit. Deinde obiicit Archelai ſucceſſionem in his duabus tantum partibus, qui tamen Matth. cap. II. comm. 22. dicatur ἀντὶ τȣ̃ πατρὸς, *pro parente ſuo regnaſſe*, quæ formula integram hereditatem, a patre filio relictam ſignificet. Verum eſt, ſignificat id, quod vult vir clariſſimus, niſi

teſtamentum interueniat, aut ſuperioris domini, qui Auguſtus erat, alia diſpoſitio: quibus duæ tantum ex quatuor regni partibus maiori filio ceſſerunt: reliquæ fratribus tetrarchis Antipæ & Philippo. Etiam illud putat, pag. 26, Herodis regnum coarctare, quod nullas vrbes in Galilæa, fidei erga Romanos & reuerentiæ monimenta, condiderit, ſicut alibi Cæſaream & Sebaſten. At nec in Idumæa condidit, & ſi accurate loquimur, nec in ipſa Iudæa, quia Cæſarea, vt ex Act. Apoſt. XII comm. 19 apparet, extra limitem Iudææ fuit. Sufficit aliquibus regni locis condidiſſe: in ſingulis partibus ædificare neceſſarium non erat.

VIII. Tandem illud, tanquam præcipuum vrget, quod Herodis temporibus Galilæa Zenodori tetrarchæ fuiſſet, a quo Herodis filii vel adfinitate vel alio titulo acceperint, non autem ex paterna hereditate. Id credit fide nummi vnius alteriusque, qui Octauiani vultum præferant, & in poſtica vultum Zenodori ſine diademate; cum inſcriptione ΖΗΝΟΔΩΡΟΣ ΤΕΤΡΑΡΧΗ...., ΓΗ.....& in altero, ΖΗΝΟΔΩΡΟΥ ΤΕΤΡΑΡΧΟΥ .... detritis litteris ceteris, vt legi nequeant. Priore annus Græcorum ita expreſſus conſpicitur, L. ΒΠΣ, id eſt CLXXXII. Sed quid inde conficitur ad minuendos Herodiani regni fines? Ioſephus Antiq. Iud. lib. XV. cap. XIII Zenodoro Trachonitidem cum vicinis partibus adſignat, easque diſerte a Galilæa diſtinguit, quas Auguſtus poſt mortem Zenodori donauerit Herodi. Id quod & Dio Caſſius confirmat lib. LIV pag. 526, ſub vrbis annum DCCXXXIV, *τῷ Ἡρώδῃ Ζηνοδώρου τινὸς τετραρχίαν ἔδωκεν*, *Herodi Zenodori cuiusdam tetrarchiam donauit:*

Digitized by Google

nauit Auguſtus. Hæc tetrarchia fere illa erat, quam poſtea Philippus ex paterna hereditate accepit, Paneadem etiam, quod Ioſephus addit, complexa: ſed tota extra Galilæam. Harduinus autem pag. 30, *Eo*, inquit, *animus vt credam inclinat, Galilea ſimul tetrarchiam fuiſſe* Zenodorum. Quoniam vero nihil præter inclinationem ſuam, hoc eſt coniecturam, adfert; nos potiori iure, id eſt regni Haſmonæi, in quo Herodes ſucceſſit, adſeueramus, extra *Zenodori* huius poſſeſſiones Galilæam exſtitiſſe. Quod de *vultu* obuertit, inſueto in nummis Iudaicis, contra ipſum auctorem inuertimus; quia Galilæa vbique ab Iudæis habitata erat, vti pernotum eſt ex euangeliis; nummi vultum præferentes, vt Zenodori ſunt, ad Galilææ dominum non poſſunt pertinere. Vnum, antequam ad reliqua pergamus, de Herode non prætereundum eſt, poſt patris mortem, ſed ante bellum Parthicum, *tetrarcham* ab Antonio, quemadmodum & Phaſaelus frater; conſtitutum fuiſſe, quod Ioſephus tradit lib. XIV cap. XXIII; Hyrcano autem capto, & exſtincto fratre Phaſaelo, *ethnarchæ* nomen ſibi vſurpaſſe, quod nos vir illuſtriſſimus & princeps in his litteris *Ezechiel Spanhemius* docet de Præſt. & Vſu Numiſm. pag. 447, producto nummo, cui inſcriptum eſt ΗΡΩΔΟΥ ΕΘΝΑΡ..., quem is pro ſummo iudicio ſuo non alium, quam primum Herodem cenſet fuiſſe, antequam regium nomen ab Romanis impetraret.

IX. Nunc de *Archelao* diſquiremus, quem Ioſephus ἐθνάρχου, *Ethnarchæ* honores, non regios, ab Auguſto accepiſſe refert l. XVII Antiq. cap. XIII; ipſumque antequam poſſeſſionem Auguſtus confirmaret,

φειδοποιεῖσθαι τοῦ βασιλείου ὀνόματος, *regio nomine abſtinuiſſe.* (ibidem cap. xi) quod illud vnice a Cæſaris auctoritate & adſenſu dependeret. Harduinus autem æque regem, ac patrem, fuiſſe ſibi perſuaſum habet, quia Matth. cap. II comm. 22. *βασιλεύειν, regnaſſe* dicatur, & in locum patris ſucceſſiſſe. Quis vero neſcit, ſacros ſcriptores ſæpe cum vulgo loqui, cum Iudaico præſertim, etiam minores principes *reges* dicuntur, quemadmodum Herodes alter in vna eademque hiſtoria a Matthæo cap. xiv ineunte, & Luca cap. ix comm. 7. recte & ex Romanorum genio & decreto, *τετράρχης tetrarcha*; a Marco autem cap. vi comm. 14 *βασιλεύς, rex*, populari loquendi modo, appellatur. Succeſſit in locum quidem patris Archelaus, ſed ex parte, quæ ibidem ad Iudæam (*ἐπὶ τῆς Ἰουδαίας*) reſtricta eſt: non in toto regno: neque in nomen etiam regium, quod non hereditarium erat, ſed Romanorum liberalitate concedendum.

X. In annis etiam Archelai, & exitu non levis eſt diſſenſus. Ioſephus ait extremo lib. xvii, Archelaum *δεκάτῳ ἔτει τῆς ἀρχῆς, decimo principatus anno*, id eſt exacto nono imperii, accuſatum a ſuis & Viennam Galliæ ab Auguſto relegatum eſſe. In re conſentit Dio Caſſius lib. lv p. 567. *Ἡρώδης ὁ Παλαιστινὸς, αἰτίαν τινὰ ἀπὸ τῶν ἀδελφῶν λαβὼν, ὑπὲρ τὰς Ἄλπεις ὑπερωρίσθη Herodes* inquit, *Palæſtinus a fratribus accuſatus trans Alpes relegatus eſt.* Quod is octauo ante mortem Auguſti anno, qui & Chriſti ætatis ferme octauus erat, contigiſſe, per conſules annorum ſingulorum enumerat. Ex Ioſephi autem calculo non ante vndecimum annum Chriſti poteſt acci-

diſſe.

diſſe. Quod Harduino p. 38 videtur cum ſacro codice pugnare, quo *Chriſtus Dominus dicatur, ante annum ætatis duodecimum, ſingulis annis templum frequentaſſe, id quod poſt annum ætatis fere octauum intelligendum videtur: vt ſaltem per annos quatuor ante id tempus in templum ſe contuliſſe credatur, quod adire Archelao viuo, quem fugerat, noluiſſet.* Quod vix ex Lucæ contextu, (cap. II) probaueris, vbi κατὰ τὸ ἔθος, non ad Chriſtum puerum, ſed ad parentes vel ad feſtos dies eorumque ritus referendum eſt, niſi ex verbis comm. 44, νομίσαντες ἐν τῇ συνοδίᾳ εἶναι quod multi interpretes faciunt, idem velimus colligere. Cui opinioni non repugnamus, nec vero ex eo firmiter, quod Archelaum fugerit, probari credimus, viuente illo in templum non veniſſe. Ex Aegypto reuerſi cum puero parentes non tam Archelaum, vt Herodis filium, refugerunt (ſic enim nec ſe filio alteri credidiſſent Galilææ imperanti) ſed proditionem ex habitationis loco in Bethlehemitico agro, timuerunt.

XI. Sed de annis faciliores ſumus, quum numeris, præſertim per notas ſcriptis, per facile aliquid erroris adlabi poſſit. Nulli genuini nummi, ab Archelao percuſſi, ſuperant, ex quibus decidi controuerſia poſſit: id ſolum ex nummo, quem Harduinus oſtendit, clarum probatumque videtur ante annum XXXIX receptæ Aſiæ, ſeu pugnæ Actiacæ ſublatum Archelaum fuiſſe. Is enim nummus *Spica*, fertilitatis ſymbolo, & *Palma*, Iudææ gloria, inſignitus non alius quam ΚΑΙϹΑΡΟϹ nomen habet, & anni notam ΛΘ, ex quo conĳcitur, ſin Iudæa iam prouincia cuſum

 eſſe,

eſſe, non in regno, aut ethnarchia. Quoquo autem anno Archelai imperium ceſſauit, de modo ceſſationis maior eſt controuerſia. Ioſepho is relegatus eſt: Harduino ſine herede obiit. Quod vero, vt ſupra diximus, Ioſepho Dio Caſſius conſentit, qui communi nomine *Herodem* vocat, quem alii *Archelaum*, vt in Antipa quoque & Agrippa conſueuit fieri; huic receptæ ſententiæ eo conſtantius inhæremus, quo propius ad illam etiam Iudæi accedunt. Ben Gorion enim cap. LXI extremo: ויהי מקץ ה׳ ימים עלה על ארקילאוס חיל הרומיים ויאסרהו שר החיל בנחשתים וישלחהו אל רומי וימת שם *Poſt quintum diem* (a ſomnio Archelai) *adſcendit contra Archelaum exercitus Romanorum, cuius dux illum catenis conſtrinxit, miſitque Romam vbi mortuus eſt.* Conſentit auctor in deportatione, licet modi & loci definitione aberret.

XII. Sed grauiſſima lis, vt prædiximus, de *Herode* tetrarcha eſt, & *Agrippa* rege, quos diſtinguit Ioſephus vt filium Herodis, Baptiſtæ interfectorem, Antipam ſingulari nomine, eundemque tetrarcham Galilææ, non regem, in Galliam a C. Cæſare relegatum: & alterum Agrippam Herodem, Herodis magni ex Ariſtobulo, quem interfecerat, nepotem, a Caio Cæſare tetrarchiis Philippi & Lyſaniæ, ac regio nomine ornatum, poſtea etiam tetrarchia Antipæ a Claudio Iudææ quoque & Samariæ regionibus auctum ſed breuis imperii regem, vix tertio Claudii expleto anno fataliter peremtum. Harduino autem vnus idemque eſt Herodes longo tempore tetrarcha, tandem etiam rex, atque ſic idem qui Baptiſtam & Iacobum, Ioannis

fra-

Digitized by Google

fratrem, interfecit. Quam ſententiam nunc noſtrum eſt diligentius examinare.

XIII. Primum in eo Harduinus eſt, vt tetrarcham Herodem non Iudæum, nec proſelytum, ſed gentilem fuiſſe perſuadeat p. 54. ſeq. At vero qui natus eſt Iudæo patre; & ea gente oriundus, quæ tota ante nonaginta annos proſelytorum lege Iudæis adſcripta fuerat: & qui præfuit genti Iudaicæ, vt Galilæi erant: ac quotannis ad ſacra Iudæorum profectus Hieroſolymam eſt, & Ioannem Baptiſtam libenter audiuit; hunc Iudæis ritibus initiatum fuiſſe negabimus? Natus is erat Herode rege, Iudaiſmi obſeruatore, vt præter Ioſephum vel ex Auguſti ioco apud Macrobium lib. II Saturn. cap. IV, *Melius eſt Herodis porcum eſſe quam filium*, apparet. Non exſtat in Scripturis ſanctis, tetrarcham hunc regis Herodis filium eſſe, quod Ioſephus adfirmat; ſed ſi Ioſepho non credemus, euincit vetus inſcriptio, a diligentiſſimo viro Iac. Sponio Miſcell. Erud. Antiq. ſ. 338. in lucem producta: ΗΡΩΔΗΝ ΗΡΩΔΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΥΙΟΝ ΤΕΤΡΑΡΧΗΝ &c. Nec illa ætate Idumæi, vnde Genus Herodes ducebant, proſelyti, ſed Iudæi erant, a longo tempore in Iudaiſmum recepti, adeo, vt Scaliger ad Euſeb. Animaduerſ. p. 165 probet, Herodem maiorem proſelyti abnepotem exſtitiſſe. Quæ ſatis confirmant, non ita tetrarcham, vt ἕλληνες, *Græci*, Ioann. XII. verſ. 20, quod Harduinus credit, Hieroſolymam ſacrorum cauſſa profectum, ſed tanquam Iudæum & Iudaica ſacra pleniſſime profeſſum. quod autem p. 56. ex illicito coniugio, cum fratris vxore inito, & ab Ioanne improbato, contra Iudaiſmum tetrarchæ argumentum petit; nobis plane contrarium videtur; nec dignum, cui multis verbis reſpondeamus. O 5 XIV.

Digitized by Google

XIV. Deinde ex nummo & numero annorum tetrarchiæ Ioſephum falſitatis incuſat. Is ita ſcalptus Græcis litteris eſt: ΗΡΩΔΗΣ ΤΕΤΡΑΡΧΗΣ. ΜΓ. & in altera facie ΓΑΙΩΚΑΙΣΑ, ΓΕΡΜ. ΣΕΒ. ſiue vt eminentiſſimus vir Hen. Noris, ſingulari diſſertatione *de Nummo Herodis Antipæ*, æri inciſum expreſſit, in anticæ laurea ΓΑΙΩΚΑΙΣΑ. ΓΕΡ.... ΝΙΚΩ: in poſtica circa palmam ΗΡΩΔΗΣ ΤΕΤΡΑΡΧΗΣ, cum anni litteris ΜΓ. Ex quo conſtare videtur ſub Caio Caligula XLIII annum tetrarchiæ Herodem egiſſe. Sed nec hoc Ioſephi hiſtoriæ repugnat, qui non ſub alio, quam Caio principe, relegatum tetrarcham dixit, & poſtremo quidem illius anno. Vide Antiq. Iud. lib. XVIII cap. IX. Et laudatus Noriſius pro docta ſua computandi ratione ita calculum diſponit, vt hinc XLIII tetrarchæ annus cum vltimo Caligulæ bene conueniat. Quod ſi vero aliam & vulgarem rationem numerus tetrarchiæ excedere videatur; non inconueniens erit dicere, Antipam a viuo patre, ſeu aliquot ante mortem annis, Galilææ fuiſſe præfectum, ſicut ipſe pater Herodes ab Antipatro parente ſuo, adhuc ſuperſtite & principatum tenente, vt ſupra diximus, eidem Galilææ præpoſitus fuerat. Hæc ſatis tuendo calculo ſunt, ſi vtique non alia æra, quam tetrarchiæ acceptæ, intelligenda ſit.

XV. Ad hæc vnum eſſe tetrarcham & regem ex communi nomine *Herodis* Harduinus putat, quum Scriptura neque *Antipæ*, neque *Agrippæ*, maioris, nempe, nomen habeat. Sed nihil proficit. Etiamſi enim diſcriminationis nomina, quæ Ioſephus pandit, Scriptura non vſurpauerit; habet tamen alios diſcernendi ſatis claros characteres, dum v. gr. Act. XII &

Digitized by Google

xiii, vtroque ineunte capite, alterum Herodem *regem*, alterum *tetrarcham* nominat; qui ſane diuerſi honores & munia ſunt. Et quoties alii ſcriptores *Antiochos, Ptolemaeos* nominant, non appoſito, quo differant inuicem, vllo cognomine? Iuſtinus quidem Martyr Dial. contra Tryph. p. 330 Herodem quoque Herodis, ſub quo natus Chriſtus eſt, filium βασιλέα, *regem*, vocat; ſed eum βασιλέα Ἰουδαίων, *Iudaeorum regem*, & διάδοχον *ſucceſſorem patris* appellat, ſatis imperitiam hiſtoricarum rerum prodidit.

XVI. Ad alium itaque nummum p. 48 vir clariſſimus prouocat, in quo ſcriptum eſt ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΗΡΩΔ...... ΤΔΙΟΣ: & in altera parte ΚΛΑΥΔΙΩ ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ ΕΤ. Γ, *Rex Herodes Philoclaudius & Claudio Caeſari Auguſto, anno III*. Quid cogit vero, vt de Herode Herodis filio haec intelligamus, aut quid impedit, quo minus cum ſummo viro, quem iterum honoris cauſſa nominamus, Ez. Spanhemio, pag. 443, de Agrippa Maiore interpretemur? Is ſane, Ioſepho teſte lib. xix extremo, tres annos vixit in aucto ſibi a Claudio regno, in cuius beneficii profeſſionem *Philoclaudius* cenſeri voluit, & aliquot regni ſui vrbes, vt Gabam, Tiberiadem, *Claudias* appellauit; quod ſupra laudatus Henricus Noris in Epoch. Syro-Maced. pag. 389 & 463 itidem ex nummis declarauit. Quo & illum nummum referendum putamus, quem Lucas Holſteinius, Germanorum quondam inter Italos decus in Steph. Byz. pag. 154 ex Barberina gaza oſtendit, ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΗΡΩΔΗΣ, & in auerſa, ΚΛΑΥΔΙΑ ΚΑΙΣΑΡΙΑ, *Rex Herodes, Claudia Caeſaria*.

§. XVII.

Digitized by Google

§. XVII. Hic eſt ille Herodes, Ioſepho *Agrippa maior* cognominatus; cuius mentio facta eſt XII cap. Apoſtol. Actuum. Quod ſi Ioſephi teſtimonium pro more ſpreuerit vir doctiſſimus Harduinus; nequaquam tamen contemni licebit antiquiſſimi interpretis Syri ſuffragium, qui vt omnem ſcrupulum eximeret, non tam interpretem quam paraphraſtam egit, dubitabilem locum cap. XII comm. I. ſumma perſpicuitate ita interpretatus, ܗܪܘܕܣ ܡܠܟܐ ܗܘ: ܕܡܬܟܢܐ ܐܓܪܦܘܣ *Herodes rex, qui cognominatur Agrippas.* Quid clarius dici potuiſſet, & quidem in tanta antiquitate, qua vix maiorem habere poſſumus? Sic omnes codices ferunt, nec quidquam variantis lectionis obſeruatum vnquam eſt, vnde de nouitate aut interpolatione coniici fortaſſis poſſit.

§. XVIII. Quum ergo vir clariſſimus nihil ex nummis adferat, quo recepta ex Ioſepho de Herodibus ſententia euertatur; vtique in ea perſtantes, Act. XII Herodem Agrippam, Ariſtobuli filium, cui Claudius Cæſar auitum regnum donauerat, intelligendum eſſe cenſemus. Hinc a Tiberio, cui maledixerat, in vincula coniectus, a Caio Cæſare ſolutus & rex tetrarchiæ Philippi & Lyſaniæ factus, poſt tertium annum ab eodem tetrarchæ Herodis poſſeſſionem accepit: mox a Claudio Samariam quoque & Iudæam, vt ſic omnem Palæſtinam ſiue Iſraelis terram, per triennium, ad fatalem vsque mortis pœnam, ab Ioſepho non minus quam a S. Luca (licet ab illo obſcurius) notatam, poſſederit. Vide Antiq. Iud. lib. XIX extr. & Dion. Caſſ. lib. LIX pag. 645. & lib. LX p. 670.

Digitized by Google

XIX. Accedit egregium ab hoſte teſtimonium, Iuſto nempe Tiberienſi, Galilæo, cui graues inimicitiæ cum Ioſepho, æquali ſuo interceſſerunt, nihilominus cum iſto in Herodum diſtinctione conſentiente. Ex eius chronico Photius Biblioth. cod. XXXIII hæc excerpſit: Ἄρχεται τῆς ἱςορίας ἀπὸ Μωσέως, καταλήγει δὲ ἕως τελευτῆς Ἀγρίππα τȣ͂ ἑϐδόμȣ μὲν τῶν ἀπὸ τῆς οἰκίας Ηρώδȣ ὑςάτȣ δὲ ἐν τοῖς Ιȣδαίοις βασιλεῦσιν· ὃς παρέλαβε μὲν τὴν ἀρχὴν ἐπὶ Κλαυδίου ηὐξήθη δὲ ἐπὶ Νέρωνος, καὶ ἔτι μᾶλλον ὑπὸ Οὐεσπασιανȣ͂. τελευτᾷ δὲ ἔτει τρίτῳ Τραϊάνου. Hoc eſt, in Herodum regnatrice familia ſeptimum ac vltimum fuiſſe Agrippam minorem, qui ſub Claudio regnare cœperit: vita exceſſerit anno tertio Traiani. Bene autem hic numerus cum Ioſepho conuenit, cui I eſt *Herodes Magnus*: II *Archelaus*: III *Philippus*: IV *Antipas*: V *Agrippas maior*: VI *Herodes Chalcidus*: VII *Agrippa minor*.

XX. Negat Harduinus Herodem Actuum Apoſtolicorum Iudææ imperaſſe, aut prouinciam Romanam rurſus regnum fieri potuiſſe. At quot exempla in Aſia ſunt, Ciliciæ, Ponti, Syriæ Commagenæ, vbi, prouinciæ formulis abrogatis, regna reſtituta ſunt? Ex Tabulis, Hiſtoriæ Antiquæ noſtræ ſubiectis, omnia clariſſime dilucent. Sed Hieroſolymæ forſan hoſpes fuit, vt tetrarches Herodes, cui vinctum Seruatorem Pilatus ſubmiſit. Apoſtolos itaque tanquam Galilæos, ad Galilææ principem, forte præſentem, procurator Cæſaris remiſit, præſertim in cauſſa non ciuili, ſed religionis Iudaicæ. Ita ſentit & interpretatur ſæpe laudatus Harduinus p. 55. Verum haudquaquam hæc ſufficiunt

ad

ad ſenſum Lucæ interpretandum. Si hoſpes tantum fuit; vnde poteſtatem ſupplicii in milites præſidis Romani habet, neglectæ cuſtodiæ reos? nam XIX commate eiusdem capitis, *ἐκέλευσε ἀπαχθῆναι, duci ad ſupplicium* & ſecuri feriri *iuſſit*, quod Latini etiam ſimpliciter *duci* dicunt. Plinius de Chriſtianis ad Traianum epiſtola, *perſeuerantes duci iuſſi.* Vide quæ ibi adnotauimus. Syrus interpres rurſus perſpicue, ܘܕܢ ܐܢܘܢ ܠܢܛܘܪܐ ܘܦܩܕ ܕܢܬܩܛܠܘܢ *condemnauit illos cuſtodes, & præcepit interfici.* Addo: ſi hoſpes tantum fuit, cur Hieroſolymis Cæſaream diſceſſit, & *διέτριβεν, habitauit* ibidem tanquam in regia ſua? Quando autem prouincia erat Iudæa; non Galilæi principis, ſed præſidis Romani ſedes Cæſarea erat, vti ex Felicis & Feſti hiſtoria longe eſt clariſſimum.

XXI. Ipſe nummus, quo Harduinus gloriatur, inſcriptus ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΜΕΓΑΣ ΑΓΡΙΠΠΑΣ ΦΙΛΟΚΛΑΥΔΙΟΣ, *Rex magnus Agrippas Claudii amicus*, pro Ioſephi ſententia cum primis facit. Si enim *magnus rex* ille fuit, vti fuit, nummo præferente; omnino ſequi oportet, vt maiores poſſeſſiones, quam geminam tetrarchiam, ab Harduino ipſi tributam, Galilææ & Philippi, (vide pag. 65) tenuerit, quæ vix *regis* aut *reguli* nomine, ne dicam *magni*, dignæ habebantur. Ioſepho autem hic Agrippa amplioris regni, auiti nempe, ſeu totius Palæſtinæ dominus laudatur, a quo minus ambitioſus ille titulus abhorret.

XXII. Diximus ſupra de religione Herodis illius tetrarchæ: a quo diuerſum Herodem regem eſſe, Act. XII memoratum, quum demonſtrauerimus; de eius etiam

re-

religione diſpicere non nullum in hiſtoria pretium erit, Harduinus, cui vnus eſt tetrarcha & rex, eodem loco negat, qui Iacobum occiderit, Iudæum fuiſſe. *Nec proſelytum*, inquit, p. 55. *neque Iudæum fuiſſe, Lucas aperte declarat; qui eum non ſtudio religionis impulſum, ſed,* QVIA PLACERET IVDAEIS, *bellum Chriſtianis indixiſſe narrat.* Anne vero Iudæi non ſunt, qui *Iudæis ſtudent placere?* Sic neque Romani fuiſſent, qui *populares* dicebantur effuſis patrimoniis, vt populo placerent, eius fauorem ſibi & ſtudium populi conciliantes: nec ex imperatoribus Romani, qui ob eandem cauſſam *ciuiliſſime*, vt Eutropius ait, ſeſe in imperio geſſerunt.

XXIII. Huius Agrippæ frater fuit *Herodes, rex Chalcidenſis*, Ioſepho auctore lib. II de Bello cap. XIX Gr. (Lat. cap. X) cuius nummum Petrus Seguinus, vir huius ſtudii peritiſſimus, produxit, ita ſignatum in laurea: ΚΛΑΥΔΩ ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ ΕΤ. Ε. id eſt, *Claudio Cæſari Auguſto anno. V.* & in auerſa parte, ſenili capiti, & faſcia regali præcincto circumſcriptum: ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΗΡΩΔ........ΓΔΙΟΣ, *Rex Herodes* φιλοκλαύδιος. Harduinus contra pag. 58, *Quid ſi non tantum nullus Herodes Chalcidicus, ſed neque regnum Chalcis vllum fuit?* Ita facillime cenſet præiudicio occupatus, falſa omnia eſſe, quæ ex ſola Ioſephi hiſtoria promuntur. Hic vero Herodem, Agrippæ fratrem, lib. XIX cap. vlt. dicit τῆς Χαλκίδος δυναστεύοντα, *Chalcidis dynaſtam*: & lib. II de Bello c. XIX de eodem, ἦρξε τῆς Χαλκίδος, *regnabat in Chalcide*. Immo *rex* a Claudio appellatus in epiſt. apud Ioſeph. lib. XX cap. I. Momentum quæſtionis ex eo pendet, an quinto Claudii anno ſuperfuerit Herodes Agrippa, quod vero ſimile non eſt, etiam contra Euſebium,

Digitized by Google

bium, qui in Chronicis *quarto* imperii anno interiiſſe dicit, quod laudat & approbat Scaliger Animaduerſ. pag. 189. Quid? quod Dio Caſſius, incorrupta fide Auctor, lib. LX pag. 670. de Claudio Cæſare: ἀδελφῷ αὐτοῦ Ηρώδῃ δυναστείαν τινὰ ἔδωκε, *fratri* (maioris Agrippæ) *principatum quemdam dedit*, quem Ioſephus lib. XIX cap. IV &c. nominatim ſignificat non alium, quam *Chalcidicum* fuiſſe. Nondum ergo ſatis rationis eſt, vt ab Ioſepho & Euſebio refugiamus, quibus cum bene etiam Dio, vt cognouimus iam, concordat.

XXIII. Filius *Agrippæ*, ſupereſt, in Actibus Apoſtolorum cap. XXV cum ſorore *Berenice* memoratus. Hic Romæ apud Claudium erat ſeptemdecim annorum adoleſcens, quum de morte patris nuntius adferretur. Cui ſucceſſorem hunc Claudius conſtituiſſet, niſi amici admonuiſſent, periculoſum eſſe limitaneum regnum, vt Iudaicum erat, puero regi committere. Rurſus itaque in prouinciæ formam Iudæa cum ceteris Agrippæ poſſeſſionibus redacta, Cuſpio Fado miſſo, qui præſes ordinaret regerétque. Vide Ioſephum extremo lib. XX. Negat Harduinus, Iudæam iterum prouinciam factam, quæ nunquam ceſſauerit, poſtquam ſemel facta ſub Auguſto fuerat. Reſpondimus ſupra ſectione XIX, exemplis regionum in Aſia, quæ ex Romanis prouinciis regna, & rurſus prouinciæ factæ fuerant. Nunc Taciti ſuffragium accedat ex lib. V. Hiſtor. cap. IX *Claudius defunctis regibus, aut ad modicum redactis, Iudæam prouinciam equitibus Romanis aut libertis permiſit.*

XXV. Nec vero Agrippa, Agrippæ filius, regno caruit, ſed id non ſtatim poſt mortem patris conſequutus eſt. Ioſephus Scaliger in Euſeb. p. 189, *Non ſtatim, ait, ab obitu*

Digitized by Google

obitu patris regnum illi traditum, ſed nomine Cæſaris tamdiu adminiſtratum, quoad Rex tutelæ ſuæ fieret. Idem paucis interiectis ad Taciti verba annali XII c. XXIII, ITVRAEI ET IVDAEI, DEFVNCTIS REGIBVS SOHEMO ATQVE AGRIPPA, PROVINCIAE SYRIAE ADDITI, *Intelligendum*, inquit, *Ituræos Syriæ perpetuo additos fuiſſe: Iudæos autem, quoad Agrippa Iunior ad tutelam ſuam perueniret. Sed quinquennio poſt obitum Agrippæ ſenioris hoc contigiſſe quis credat, niſi qui in ratione temporum, & hiſtoria externa, Corn. Tacitum non ſemel, neque leuiter peccaſſe meminerit.* Malim aliter ſcripſiſſe vir maxime dignitatis. Bene enim inter Tacitum atque Ioſephum conuenit. Mors Agrippæ maioris, vt ſupra ex Ioſepho & Euſebio oſtenſum, in annum IV Claudii incidit. Minor Agrippa, XVII annorum puer, non ſucceſſit patri, cuius regnum prouinciæ formam ſubiit, aut Syriacæ prouinciæ adiectum fuit. Nono imperii anno, ineunte, hoc eſt C. Pompeio & Q. Veranio coss. in Chalcidico regno, Herodi patruo, haud dubie tum morituro, Agrippam, Agrippæ filium, imperator Claudius ſuffecit: ſed quadriennio poſt, hoc eſt imperii ſui duodecimo anno, demta Chalcide, eidem Philippi & Lyſaniæ tetrarchias, hoc eſt Trachonitidem, Batanæam, & Abilenam donauit, quum interea Iudæa, Samaria, & Galilæa, ac reliqua eiusdem iuris, a præſide Romano vsque ad excidium vrbis regerentur. Vide Ioſephum lib. XX. cap. V. Diu præfuit regno ſuo Agrippa, per quinquaginta annos, ab IX Claudii ad III Traiani. Photius enim patriarcha, Cod. XXXIII Bibliothecæ, ex Iuſto Tiberienſi, qui æqualis Ioſepho fuit, verbis ſupra adlegatis hæc recenſet: Ἄρχεται τῆς ἱστορίας ἀπὸ

Μωσέως, καταλήγει ἕως τελευτῆς Ἀγρίππα τοῦ ἑβδόμου μὲν τῶν ἀπὸ τῆς οἰκίας Ἡρώδου, ὑστάτου δὲ ἐν τοῖς Ἰουδαίων βασιλεῦσιν. ὃς παρέλαβε μὲν τὴν ἀρχὴν ἐπὶ Κλαυδίου, ηὐξήθη ἐπὶ Νέρωνος, καὶ ἔτι μᾶλλον ὑπὸ Οὐεσπασιανοῦ. τελευτᾷ δὲ ἔτει τρίτῳ Τραϊανοῦ. Hoc eſt: *Incipit* (Iuſtus) *hiſtoriam a Moſe: deſinit in morte Agrippæ, ſeptimi illius e familia Herodis, & vltimi inter Iudæorum reges. Qui regnum ſub Claudio accepit, quod auctum a Nerone eſt, magisque a Veſpaſiano. Mortuus anno tertio Traiani.* Multa numiſmata huius regis ſuperſunt cum Veſpaſiani, Titi, Domitiani iconibus percuſſa, quæ ſummus patronus noſter Ez. Spanheimius de Præſt. & vſu numiſm. p. 864. oſtendit, quorum illud, quod cum Veſpaſiani effigie eſt, in poſtica habet: ΕΤΟΥ ΚΘ ΒΑ. ΑΓΡΙΠΠΑ *anno* XXIX *regis Agrippæ*, quod ſatis argumentum eſt longæuæ dominationis.

XXVI. Hæc de Herodibus eorumque ordine & ſucceſſione. Quod reliquum eorum eſt, quæ contra Ioſephum Harduinus vrget, nunc vindicandum nobis ſumimus. Cuius fidem ille vt omnibus ſuſpectam faciat, primum obiicit, *Antipæ* nomen, quod Ioſepho debemus, in nummis & inſcriptione ſupra n. XIII adducta non apparere. At vero ſi id valeret, etiam *Archelai* nomen ſuſpectum foret, quod, vt ipſe Harduinus fatetur, in nummis non occurrit, & pro illo *Herodes* apud Caſſium inuenitur. Quale autem ſit *Antipæ* nomen, Gorionides cap. LXIII ineunte oſtendit, qui אנטיפטר, *Antipatrum*, Græco nomine appellat; ex quo fit *Antipas*, ſicut ex Harpocrates *Harpocras* apud Plinium lib. X. epiſt. V. Pergit Harduinus Ioſepho falſitatem obiicere, dum Herodem Antipam modo in

Galli-

Galliam, modo in Hiſpaniam relegatum dicat. Sed & hæc perfacile conciliari poſſunt, quum in Galliam primum, deinde vt grauior pœna eſſet, in Hiſpaniam vsque, atque ſic longiſſime a patria, abduci potuerit. In Hiſpaniam miſſum fuiſſe Gorionides quoque cap. LXIII, & Rabbi Ganz. pag. 36. confirmant, ספרד locum exſilii nominantes, quæ Iudæis Hiſpania eſt. Ad hæc ex eo etiam ſuſpectum vult Ioſephum reddere p. 51, quod Claudium in imperio capeſſendo ab Agrippa, qui forte Romæ erat, adiutum ſcribat, quum non pronum ad fidem ſit, ditionis barbaræ regulum conſiliorum ſenatus arbitrum fuiſſe. Sed & heic non deeſt, qui Ioſephi fidem tueatur, Dio Caſſius lib. LX p. 670. de Claudio: τῷ Ἀγρίππᾳ τῷ Παλαιστινῷ, συμπράξαντί οἱ τὴν ἡγεμονίαν (ἔτυχε γὰρ ἐν τῇ Ῥώμῃ ὤν) τὴν ἀρχὴν προσεπηύξησε *Aggrippæ Palæſtino, qui eum in potiundo principatu adiuuerat, regnum auxit.*

XXVII. Alia via vir clariſſimus Ioſephum adgreditur, templi Hieroſolymitani nouam ſtructuram, quam ille lib. XV cap. XIV Herodi tribuat, *confictam* in magnificentiæ prædicationem eſſe, pag. 32. obiiciens. Non autem confictam eſſe illam templi inſtaurationem, etiam ex diuino ſcriptore Ioann. cap. II comm. 20, non obſcure probatur. Illi enim XLVI anni οἰκοδομήσεως, ad Zorobabelis templum, quod quadriennio perfectum fuit (Eſdræ VI, 15.) referri non poſſunt. Neque cum prouincia Iudæa eſſet, ceſſauit templum renouari, nec vero auſpiciis Romani illud præſidis fiebat. Cæſares enim principi cuidam Iudaici generis hanc ſacrorum & templi curam permiſere, vt, Agrippa maiore ſublato, Claudius Herodi fratri, Chalcidenſi re-

Digitized by Google

gulo, conceſſit, Ioſeph. lib. xx cap. I & III, quod ius poſtmodum Agrippæ minori manſit, vsque ad templi & vrbis euerſionem. Vide ibidem cap. VII, & cum primis cap. VIII. f. 699, vbi de Agrippa rege dicitur, *ἐπεπεπίςευτο ὑπὸ Κλαυδίου καίσαρος τὴν ἐπιμέλειαν τοῦ ἱεροῦ, templi curam ei Claudius Cæſar concrediderat;* quamuis neque Herodi illi, nec Agrippæ iuniori in Iudæam vel Hieroſolyma quidquam iuris fuerit, quod omne penes præſidem ſeu procuratorem erat.

XXVIII. Aliud crimen Ioſepho Harduinus impingit, ex quo conſtare putat, auctoriali Palæſtinam non fuiſſe conſpectam, quia lib. xv cap. XIII Cæſaream Palæſtinæ *ἐν τῇ φοινίκῃ, in Phœnice*, poſuiſſet. Nouum crimen & ante inauditum, cuius ſi reus Ioſephus agendus eſt, ante hunc princeps geographorum Strabo quoque condemnari debet. Hic enim lib. XVI p. 520. *Iam Cœleſyria peragrata, ἐπὶ τὴν φοινίκην μέτιμεν, in Phœnicen tranſimus.* Recenſitis vrbibus, tandem claudit p. 523. hiſce verbis: *Τοιαύτη μὲν ἡ φοινίκη Hactenus de Phœnicia.* Medio ſermone & in mediis Phœnices vrbibus infit: *Μετὰ τὴν Ἄκην, Στράτωνος πύργος προσορμὸν ἔχων, poſt Alcen* (quæ Ptolemais eſt) *Stratonis turris, nauale habens.* Hæc autem ipſa Cæſarea. Plinius lib. v. cap. XIII *Stratonis turris, eadem Cæſarea, ab Herode rege condita.* Quo iure nunc Ioſephus accuſatur, qui idem ſenſit quod Strabo, quod alii geographorum hiſtoricorumque? quibusdam longior in auſtrum Phœnicia procurrit, licet aliis anguſtiori limite definiatur. Liuius lib. XXXV. cap. XIII *Antiochus rex, ea hyeme Raphiæ in Phœnice Ptolemæo regi Aegypti filia in matrimonium*

data,

Digitized by Google

data, -- extrema iam hiemis Epheſum peruenit. Raphia autem prope Aegypti fines ad mare eſt.

XXIX. Tandem etiam de *Haſmonaeorum regno*, Ioſephum Harduinus ſubleſtæ fidei inſimulat. At vero diu ante Ioſephum Strabo lib. XVI p. 524. in Syriæ & Iudææ enarratione: πρῶτος ἀνθ' ἱερέως ἀνέδειξεν ἑαυτὸν βασιλέα Ἀλέξανδρος, *primus pro pontifice ſe regem fecit Alexander*, qui & Iannæus erat; Hyrcani & Ariſtobuli pater: quod ſatis ad *fabulam*, quam obiicit Harduinus, diluendam eſt; licet in eo corrigendus Strabo ſit, quod Alexander hic non primus fuerat, qui diademate & regis titulo uteretur, ſed frater eius Ariſtobulus eodem honore anteceſſit. Ad hoc, credo, inductus eſt vir clariſſimus, quod nummos forſan Haſmonæorum regum non repererat. Sed ſic multæ & præſtantiſſimæ partes hiſtoriarum negandæ forent. v. gr. Imperium Trapezuntinum, quod per CCL annos ſtetit, ab Alexio Comneno conditum, quum Conſtantinopolis in Latinorum poteſtatem veniſſet; ex nummis adhuc illuſtrari nondum potuit, nec peritiſſimi viri eos videre ſe meminerunt. Nec vero propterea fabula eſt quod Nicetas, Gregoras, Paullus Venetus, Chalcocondyles de illo narrauerunt.

XXX. Denique in foro quoque Grammaticorum, Harduinus reum Ioſephum facit: *Taceo*, inquit p. 64. *de Ioſephi ſolœco*, Ἀγρίππου, *quod etiam in codd. MSS. legitur, pro* Ἀγρίππα, *vt nummi exhibent ipſius Agrippæ, quicum vixiſſe vult videri.* Sed bona verba, quæſo. Solœcum non eſt, quo optimi Græcitatis ſcriptores vſi ſunt. Gemina forma gignendi caſus in his nominibus eſt, & Ἀγρίππα quidem Act.

 Apoſt.

Apoſt. xxv. 23 & apud Xiphilinum Veſpaſiano tam Stephani editione p. 222, quam Sylburgii p. 322. reperitur, nec vero ſolœca eſt altera in ᾳ terminata, qua Plutarchus in Antonio p. 946. Dio Caſſius ineunte lib. LII, Appianus Alexandrinus B. Civ. lib. v, & elegantiorum imitator Zonaras in Auguſto, vſi ſunt. Hosne ergo ſolœciſmi accuſabit Harduinus? Nec in aliis propriis, in ας finitis, inuſitatum eſt. v. gr. Ἀινέου Ἀρέτου Μαικήνου Theodorus Gaza, Iſagog. lib. 1. p. 4. κλίνεται Αἰνείας, Αἰνέου & nummus ab Andr. Morellio, ſagaciſſimo antiquitatis ſcrutatore, in Specim. Tab. XXIII nuper productus: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΕΤΟΥ ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ. & ipſe Dio Caſſius d. l. *μετὰ τε τοῦ Ἀγρίππου καὶ τοῦ Μαικήνου.* Neque alterius formæ, quam ſolam Harduinus Græcam putat, ignarus fuit Ioſephus noſter, quod vel vno exemplo ſatis ſit oſtendiſſe. Lib. XIV Antiquit. cap. II pag. 469 *Πέτρα, τὰ βασίλεια τοῦ Ἀρέτα.*

XXXI. Super eſt, quod infantium cædem de induſtria præterierit, *ne legiſſe ſacras Noui Teſtamenti litteras videretur:* p. 36. Etiam Scaligero in Euſeb. Animaduerſ. p. 176. *mirum eſt, tam belluinæ crudelitatis exemplum ab Ioſepho præteritum eſſe, qui tanta diligentia, reliqua ſæuitiæ Herodianæ facinora perſequitur.* Miramur ipſimet; nec vero id ſatis putamus eſſe ad fraudem ſcribentis, quo Harduinus refert, euincendam. Fieri enim alia de cauſſa potuit, & ſi qua culpa eſt in Nicolaum Damaſcenum potius, quam Ioſephum, illa reiicienda. Iſte enim haud dubie præteriit, quia viuente Herode ſcripſit, cuius amicus & orator ad Auguſtum fuit; quem dum preſſe, vti non diſſite-

Digitized by Google

fitetur, Ioſephus inſequutus eſt; forte accidit, quod aliis pluribus accidiſſe nouimus, vt non dedita opera, ſed partim memoriæ lapſu, partim tenaci præeuntis perſequutione, deteſtabile factum effugerit animum, memoriam & manum ſcribentis.

* * *

CL. V. Io. Harduinus pag. 39. *νοθείας* ſcriptores acc̃uſat, qui Romanos *imperatores* vocant *βασιλέας*, & *imperium* illorum *βασιλείαν*. Eſto, exoſa Latina fuiſſe vocabula *regnum* & *rex*: Græca tamen mitius fuerunt, nec inuitis Romanis, habita: Herodianus lib. I, cap. II de Marco imperatore, *βασιλεύοντι Μάρκῳ*: & cap. VII de Commodo, *τὴν τοῦ βασιλέως ἄφιξιν*; ac ibidem de Fauſtina auguſta, *βασίλισσα*. Et ante Herodianum Pauſanias Phoc. cap. XVI *βασιλεὺς Αὔγουστος*: & Dionyſius Perieg. v. 1052

Αὐσονίου βασιλέως, – – – –

Auguſtum Cæſarem, ſub quo ſcripſit, deſignans: ac Diodorus Siculus ecloga libri XXXV INΠEPATΩPA *αὐτὸν ἀναγορεύειν καὶ ἀποκαλεῖν, ὅ ἐστι βασιλέα.* Non eſt itaque quod cum Harduino *τὸν βασιλέα ὑπερέχοντα* I Petri II comm. 14 de Polemone malimus, quam cum Grotio de Romano imperatore, interpretari. Sequiori æuo ita *βασιλέως* vocem ſibi Conſtantinopolitani vindicarunt, vt ceteros reges, etiam ipſos Germanicos imperatores, ægre *βασιλέας*, ſed tantum *ῥῆγας* (a *ῥὴξ, rex*) appellauerint. Exempla proſtant paſſim in Hiſtoria Byzantina.

DISSERTATIO XII.

De

ORIGINIBVS & ANTIQVITATIBVS MEDICIS,

habita Ann. 1696.

OBſcuræ ſunt rerum origines & multis fabularum nebulis involutæ, primis repertoribus in deorum numerum a credula antiquitate relatis; quos homines fuiſſe nec ipſi pagani pernegare potuerunt. Quod vt in aliis ſane multis rebus; ita in *medicina* inuentione cum primis locum habet, quia vtiliſſima hæc ars mortalium generi. omnis autem conſecratio vtilitatibus & beneficiis debetur, a magnis viris in turbam hominum profectis, ſine quo commodo non facile reperitur vllus diuinitatem hominum opinione; aut ſuperſtitione potius, poſt fata conſequutus.

CAPVT I.

DE APOLLINE ET MINERVA.

APollo forte antiquiſſimus illorum eſt, cui ceteri, qui medicæ artis aliquid inuenerunt, debuiſſe omnes, aut plerique credebantur adeo, vt nomen quoque ſuum a medendi ope habuiſſe quibusdam viſus fuerit, Euſebio auctore lib. III Præpar. Euang. cap. I, ὡς ἀπαλλάττων καὶ ἀπολύων τῶν περὶ σῶμα νοσηματικῶν παθῶν, *quaſi corporis ægritudinum*

dinum ſolutor & propulſator. De quo Callimachus, hymno eiusdem laudibus ſacrato, verſu 45.

ἐκ δέ νυ Φοίβου
Ἰητροὶ δεδάασιν ἀνάβλησιν θανάτοιο,
a Phœbo autem
Medici didicerunt depulſionem mortis.

II. Plurima in hanc rem conferri poſſent, niſi ab aliis larga manu iam olim data copioſe eſſent, in quibus clariſſimus vir Io. Henr. Meibomius in Iusiurandum Hippocratis cap. IV in primis mihi laudandus eſt. Addo ſummum virum & ſemper honoris cauſſa nominandum Ezechielem Spanhemium eruditis in Callimachum obſeruationibus pag. 75. Ipſum Iusiurandum Hippocratis incipit, Ὄμνυμι Ἀπόλλωνα ἰητρὸν, *Iuro per Apollinem medicum*, antequam ceterorum medicinæ præſidum numinumque rationem habeat: quod antiquiſſimum illorum Apollinem fuiſſe arguit. Hunc enim medicorum filiis medicamenta dare creditum fuit antiquitus. Euripides Alceſtide v. 969.

- - - ὅσα Φοῖβος
Ἀσκληπιάδαισιν παρέδωκε
Φάρμακα, πολυπόνοις
Ἀντιτεμὼν βροτοῖσι,

quæcunque Phœbus Aeſculapii poſteris tradidit medicamenta, miſeris præcidens (mala) *mortalibus.* Ideo ἀκέστωρ, medicus, idem in Euripidis Andromacha v. 900 dictus eſt. Et Pindarus Pyth. oda v verſ. 85. de eodem:

Ὁ καὶ βαρειᾶν νόσων
Ἀκέσματ' ἄνδρεσσι καὶ

Γυναιξὶ νέμει,

qui & grauium morborum remedia viris & mulieribus diſtribuit. Nec aliter Latini poetæ de illo. Horatius carmine ſæculari:

Augur & fulgente decorus arcu
Phœbus, acceptusque nouem Camenis
Qui ſalutari leuat arte feſſos
Corporis artus.

Et ipſum Apollinem Ouidius de ſe loquentem Metamorphoſ. lib. I verſ. 521 fingit:

Inuentum medicina meum eſt, opiferque per orbem
Dicor, & herbarum ſubiecta potentia nobis.

III. Idcirco Romæ in peſtilentia, apud Liuium lib. IV cap. XXV, *ædes Apollini pro valetudine populi vota* fuit: qui & lib. XL cap. LI *ædem* APOLLINIS MEDICI *ad Tiberim* memorauit. Ipſe Cicero Terentiani ſuam in eadem opinione confirmauit lib. XIV ep. VII, χολὴν ἄκρατον, inquit, *noctu eieci. ſtatim ita ſum leuatus, vt deus mihi aliquis medicinam feciſſe videatur. Cui quidem tu deo, quemadmodum ſoles, pie & caſte facias, id eſt Apollini & Æſculapio.*

IV. Et *Mineruam* quoque in præſidio medicinæ eſſe ab Romanis & Græcis fuit creditum. Pauſanias Attic. cap. XXIII τοῦ Διιτρέφους πλησίον θεῶν ἀγάλματά ἐστιν, Ὑγιείας τε, ἣν Ἀσκληπιοῦ παῖδα εἶναί λέγουσι, καὶ Ἀθηνᾶς ἐπίκλησιν καὶ ταύτης Ὑγιείας. *Proxime ad ſtatuam Diitrephis poſita ſunt deorum ſimulacra. Hygiæ, quam filiam Aeſculapii fuiſſe dicunt: & Mineruæ, cui itidem Hygiea cognomentum.* Et Suidas: Ὑγεία Ἀθηνᾶ. ἐπώνυμόν ἐστι τῆς Ἀθηνᾶς, *Hygea cognomen eſt Mineruæ.* Quæ ideir-

idcirco etiam *Pæonia*, id eſt medica cognominatur, &c, ut Pauſanias Attic. cap. II refert; Athenis fuit Ἀθηνᾶς ἄγαλμα Παιωνίας, *ſimulacrum Mineruæ Pæoniæ*; & apud Oropios βωμὸς Ἀθηνᾶς Παιωνίας, *ara Mineruæ Pæoniæ*, eodem teſte, Attic. cap. XXXIV. Placentina inſcriptio apud Gruter. p. 1062.

MINERVAE MEDICAE
CABARDIAE
VALERIA SAMMONIA
VERCELLESIS V. S. L. M.

Cabardiæ, a loco ignoto Latii forſan denominat, qui fanum aut ſimulacrum habuit, vide pag. 81 in ſct. 8, non longe a Trebia reperta, eſt MINERVAE CABARDIACENSI. Adde Reineſ. Inſer. p. 244. Eodem prope loco Aldus Manutius P. F. inuenit lapidem, quem Ortograph. p. 198 ita exſcriptum exhibet:

MINERVAE
MEMORI
COELIA IVLIANA
INDVLGENTIA
MEDICINARVM
EIVS INFIRMITATE
GRAVI LIBERATA
D. P.

CAPVT II.
DE AESCVLAPIO ET CHIRONE.

NOtior in his fabulis *Aeſculapius* eſt, Apollinis filius; qui vel a patre accepit medendi ſcientiam, vel,

Digitized by Google

vel, vt Pindarus Pyth. od. III epod. II extr. & Apollodorus lib. III. cap. x, n. 3 referunt, a Chirone Centauro, cui alendum erudiendumque pater tradiderat. Hic quum feliciter artem, quam didicerat, exercuiſſet, & ipſe pro deo cultus fuit non modo apud Graecos, apud quos natus fuerat, qui Ἀσκληπιὸν, *Aſclepium* vocabant; ſed ab Romanis etiam, quibus *Aeſculapius* eſt, inſigni legatione Epidauro expetitus, & draconis forma in Italiam aduectus, de quo Liuius lib. x extremo, & Epitome libri XI, ac Valerius Maximus lib. I. cap. VIII exempl. 2, & Ouidius Metam. lib. XV verſ. 685 ſeqq. conſulantur.

II. Mortuos reſuſcitaſſe poetae fingunt & mythologi; id quod de letaliter adflictis cum Diodoro Siculo lib. IV cap. LXXIII interpretamur, cuius generis aliquot Apollodorus d. l. recenſet, in quibus *Hippolytus* notiſſimus & multorum carminibus decantatus eſt. Lactantius diuin. Inſtitut. lib. I. cap. x, ortum, exitum, merita his verbis coniunxit: *Aeſculapius, & ipſe non ſine flagitio Apollinis natus, quid fecit aliud diuinis honoribus dignum, niſi quod ſanauit Hippolytum: mortem ſane habuit clariorem, quod a deo meruit fulminari.* In fabulis enim apud Apollodorum d. l. eſt; *ἐκεραύνωσεν αὐτὸν, fulmine deleuit illum* Iuppiter, quod inuidiae deorum is tribuit, ne plures mortales diuinam artem diſcerent: alii accuſationi Plutonis, vti apud Diodorum d. l. eſt; alii auaritiae Aeſculapii imputauerunt. Scholiaſtes Pindari in Pyth. od. III verſ. 96. Λέγεται ὁ Ἀσκληπιὸς χρυσῷ δελεασθεὶς ἀναστῆσαι Ἱππόλυτον τεθνηκότα. *Dicitur Aeſculapius, auro corruptus; reſuſcitaſſe Hip-*

Digitized by Google

Hippolytum. Certum humanitatis mors argumentum: attamen poſt fata deus fuit creditus: & in ſideribus *Ophiuchus* appellatus, vti Eratoſthenes, vetus auctor cum Arato editus, in Ophiucho ſcripſit; λέγεται Ἀσκληπιὸς, ὃν Ζεὺς χαριζόμενος Ἀπόλλωνι εἰς τὰ ἄστρα ἀνήγαγε. *Dicitur Aeſculapius eſſe, quem Iuppiter in Apollinis gratiam aſtris inſeruit.*

III. Diuinitatem illam commendant templa, nummi, & veteres inſcriptiones. Templa celebriora erant *Epidaurium*, Melæ lib. II cap. III, Plin. lib. IV. cap. V. *Achaicum* inter Patras & Dymen, Strab. VIII pag. 266. *Coum*, id eſt templum cum luco in inſula Co, fatale Turullio, vni ex Cæſaris percuſſoribus, apud Valer. Max. lib. I. cap. I. n. 19. & Dion. Caſſ. lib. LI pag. 448. *Cyrenaicum* & ad formam eius *Lebenaum* in Creta, Pauſan. Corinth. cap. XXVI: *Pergamenum*; Herodian. IV cap. VIII, quod ἰατρεῖον, *officinam medicam* Lucianus vocat in Icaromenippo: *Romanum* in Tiberina inſula, Liv. lib. II cap. V, & epit. XI. Inſcriptiones Gruterus congeſſit: p. 67. n. 9, AESCVLAPIO ET HYGIAE CETERISQ. DIIS DEABVSQVE. Ibidem num. ſeq. NVMINI AESCVLAPI ET HYGIAE. Et pag. 68 n. 5, ΑϹΚΛΗΠΙΩ ΚΑΙ ΥΓΕΙΑ ϹΩΤΗΡϹΙΝ, *Aſclepio & Hygiæ ſeruatoribus.* Hoc ſcilicet frequens illius elogium erat, vt σωτὴρ, *ſeruator* laudaretur. Antea laudatus vir illuſtriſſimus Ezechiel Spanhemius epiſt. I. ad nobiliſſimum Morellium, ineditam inſcriptionem profert: ΣΚΛΗΠΙΩ ΣΩΤΗΡΙ ΚΑΙ ΥΓΕΙΑ *Aeſculapio ſeruatori & Saluti*: quod idem ſummus vir ex nummis Coorum & Nicæenſium pag. 51 illuſtrat, in quibus ΣΩΤΗΡ, *ſeruator*, Aeſculapius appella-

Digitized by Google

pellatur: & in Ancyrano nummo ΑΣΚΛΗΠΙΑ ΣΩΤΗΡΙΑ, *ludi in Aeſculapii ſeruatoris honorem* inſtituti memorantur.

IV. Cultus fuit Aeſculapius in multis ciuitatibus, Epidauri, Smyrnæ, Pergami, & in Abonoticho Paphlagoniæ, & in Lycia, & reliquis locis, quæ Thom. Reineſius Inſcript. p. 152. ſeq. indicauit. Plura nominabimus infra ſectione VIII. Vnde etiam huic Deo cognomina, vt ibidem p. 152 AESCVLAPIO EPIDAVRIO (ſic legendum, non *Epidauro*) & p. 154 AESCVLAPIO PERGAMENO, quod Pergami præcipue colebatur, quo profecti ſunt de ſalute conſulturi, quibus deus per ſomnia reſpondere credebatur, quemadmodum de Antonino Caracalla, Rom. imperatore, Herodianus refert lib. IV cap. VIII, Pergamum adiiſſe, χρήσασθαι βουλόμενος θεραπείαις τοῦ Ἀσκληπιοῦ, *vt Aeſculapii curationibus vteretur*. Addit vero, ἐς ὅσον ἤθελε τῶν ὀνειράτων ἐμφορηθεὶς, *ſomnia, quamdiu voluit, captauit*, &c. quod inſtar oraculi fuit ſciſcitantibus de euentu valetudinis.

V. Imago, qua cultus Aeſculapius fuit, vt Albricus philoſophus cap. XX ait, *homo erat cum barba valde prolixa*, quia, quod phalliſcus poeta dicit carm. XXXVI,

Intenſa ſemper Aeſculapio barba eſt.

Vnde ludibrium Dionyſii tyranni erat, qui, vt Cicero lib. III Nat. deor. cap. XXXIV, & Valer. Maximus lib. I cap. I. ext. 3, ac Lactantius lib. II cap. XV. referunt, *barbam auream* ſimulacro detraxit, quaſi incongruens eſſet, vt imberbis Apollo barbatum

tum filium haberet. Hoc habitu prudentia medentium requirebatur. Alibi tamen imberbis fictus fuit, vt in nummo Antonini Pii apud principem harum literarum Ezech. Spanhemium eſt, de Præſt. & vſu Numiſm. p. 181.

VI. Signum eius eſt *draco*, vt in eodem nummo eſt, etiam in altero *p.* 177 Abonotichitarum Paphlagonum, vbi impoſtor Alexander, Aeſculapium ſimulans, grandem ex Macedonia aduectum ſerpentem alebat; quem, tamquam frenatum deum, gens rudis adoraret, eoque, vt oraculo, vteretur. De qua fallacia Lucianus Pſeudomantem ſuum conſcripſit. Formam huius draconis cum capite hominis linteo, quod impoſtor addiderat, ſub *Glyconis*, Γλύκων@, nomine, exhibet vir nob. Andr. Morellius Specim. Rei numm. Tab. VII p. 132, ex antiquo nummo *Ionopolitarum*, qui iidem & Abonotichitæ ſunt: pro quo *Glaucon* in alio nummo apud laudatiſſimum Spanhemium eſt p. 176. Alexandro huic *draco* ipſum Aeſculapium repræſentabat, quemadmodum Romanis etiam, vt ſupra expoſuimus. Aliis in nummis & figuris *draco* apponitur homini, Aeſculapium referenti, *baculo* eius *intortus*, vti in nummo Pergameno, apud laudatum Morellium Specim. Tab. I, quem ἐ παίυ Spanhemius, epiſt. IV ad eumdem, illuſtrauit. Suffragatur Ouidius, de eodem lib. XV Metamorphoſ. vers. 659 dicens,

— — *ſerpens baculum qui nexibus ambit.*

Pauſanias Corinth. cap. XXVI ita ſimulacrum Aeſculapii proponit, quod ſolio ſedens altera manu *βακτηρίαν*, *baculum*, teneat, τὴν ἑτέραν τῶν χειρῶν

ὑπερ

ὑπὲρ κεφαλῆς ἔχει τοῦ δράκοντος, alteram ſuper capite draconis habeat. Serpens autem plurimum deorum ſignum erat propter animalis huius felicitatem, vigilantiam, ſalutem, potentiam, de quibus Iacobus Wildius V. C. Tab. xv Numiſm. ſectione 88 inſpiciatur: ſingulari autem & proprio modo Aeſculapii erat. Scholiaſtes Ariſtophanis in Plutum act. III ſc. II p. 76 Κοινῶς μὲν πᾶσι τοῖς ἥρωσι δράκοντες παρετίθεντο, ἐξαιρέτως δὲ τῷ Ἀσκληπιῷ. Forte hoc inde eſt, quia Pauſanias Corinth. cap. xxviii genus quoddam ſerpentum fuluo colore memorat, quod ſit Aeſculapio ſacrum, τρέφει δὲ μόνη ἡ τῶν Ἐπιδαυρίων γῆ, *& quod ſola Epidauriorum terra alat.* Et Porphyrius apud Euſebium Præpar. Euang. lib. III cap. xi hoc animal vocat *ἰατρικώτατον, maxime medicinale,* cuius rei cauſſas ibidem expoſitas vide. Addunt alii, quod exuta pelle quotannis iuueneſcat, & nouum vigorem, tamquam ex medicina, accipiat. Princeps huius ſententiæ, quantum nobis conſtat, Aurelius eſt Macrobius, cuius lib. I Saturnal. cap. xx hæc de draconibus Aeſculapii opinio eſt: *Ideo,* inquit, *ſimulacris eorum* (Aeſculapii & Salutis) *iunguntur figuræ draconum, quia præſtant vt humana corpora, velut infirmitatis pelle depoſita, ad priſtinum reuireſcant virorem, vt vireſcunt dracones per annos ſingulos pelle ſenectutis exuta.* Pompeius Feſtus IN INSVLA aliam rationem adfert: *eiusdem* (Aeſculapii) *tutela eſſe draconem, quod vigilantiſſimum ſit animal, quæ res ad tuendam valetudinem ægroti maxime apta eſt.*

VII. Sed

VII. Sed vt alii pleriſque gentilium ritus ab Iudæorum religione originem aut occaſionem habuere, ita non errauerit forſan, qui ab *æneo ſerpente*, ſalutis cauſſa in ſolitudine erecto, manaſſe ad gentes crediderit, vnde ſerpentem Aeſculapio ſuo adfingerent. *Perticam* quoque illam, cui Moſes impoſuit ſerpentem, & ῥάβδου ἀνάληψις, feſtum eius apud Coos, vmbram ὑψώσεως Ioann. III comm. 14, referre. Accedit, quod Damaſcius in Iſidori Vita apud Photium Cod. CCXLII. p. 573, Aeſculapium non Græcum aut Aegyptium, ſed ἐπιχώριον φοίνικα, *Phœnicium indigenam* fuiſſe tradidit. De qua re conſulantur ſummi viri Petr. Dan. Huetius in Demonſtr. Euangelica Prop. IV cap VIII, itidemque illuſt. Spanhemius epiſt. I ad elegantisſime doctum Morellium p. 69.

VIII. Cicero lib. III Nat. Deor. c. XXII tres facit Aeſculapios, primum Apollinis, qui ſpecillum & vulnerum obligationem inuenerit; alterum Mercurii fratrem, fulmine percuſſum: tertium Arſippi & Arſinoæ, qui primus purgationem alui, dentisque euulſionem repererit. Sic & in Ioue, in Hercule, & Mercurio euenit, vt quum fabulæ non conſtarent ſibi, plures eiusdem nominis confingerentur. Pauſanias d. l. ſummam eorum, quæ de Aeſculapio veriora videntur, hanc fecit; Epidaurium fuiſſe ex Argolide, Coronidis filium; non Arſinoæ; nec Meſſenium, quod contra Heſiodum ex oraculo auctur. Epidauro initium colendi fuiſſe ob medicinæ beneficia: hinc Pergamum religionem aduectam: Pergamo Smyrnam: Epidauro æque in Cyrenaicam & Cretam inſulam. Addo Galatiæ Ancyram, Co-

Digitized by Google

on inſulam, & Bithynas vrbes Amaſtriam, Nicæam, Tium, ex nummis antiquis; & Carthaginem ex Appiani Punicis p. 81. quarum vrbium tutelaris deus & σωτὴρ deſcriptus eſt Aeſculapius. Præcipue tamen Epidauri & Pergami colebatur, vt alterutra eius patria crederetur, ſiue vt Ariſtides oratione de vrbium concordia conciliat, Epidaurus Aeſculapii patria eſſet; colonia ab eodem in loca circa Pergamum deducta. Adi omnino conſummatiſſimi viri E. Spanhemii laudatam epiſt. IV pag. 213. & epiſt. I. pag. 78.

IX. Cultus Aeſculapii partim ex ſupra dictis patuit, videlicet quibus locis templa habuerit, in iisque conſulentibus de valetudine reſpondiſſe per inſomnia ſit creditus. Addimus templis Sicyonium, in monte Titane ab Alexanore, Machaonis filio, exſtructum, a Pauſania Corinth. cap. XI deſcriptum. Hic adiicit de cultu numinis pag. 137, velatum ſimulacrum eſſe, vt tantum facies, manus & imi pedes appareant, quod & in Hygeiæ ſimulacro obſeruatum ſit. Non adiri facile propius id ſimulacrum propter τὰς δράκοντας τὰς ἱερὰς, ὑπὸ δείματος, *ex metu ob dracones ſacros*, qui ibi alerentur. His πρὸ τῆς ἐισόδου τροφὴν καταπίθεσθαι, *cibum in primo aditu apponi.*

X. Romanum cultum a paucis deſignatum habemus. De templo in Tiberina inſula ſupra dictum auctoribus Liuio & Valerio Maximo. De ſupplicatione idem Liuius lib. X extremo: *Libri aditi, quinam finis, aut quod remedium eius mali* (peſtilentiæ) *ab diis daretur; inuentum in libris, Aeſcula-*

ſculapium ab Epidauro Romam arceſſendum, neque eo anno, quia bello occupati conſules erant, quidquam de ea re actum, præterquam quod vnum diem Aeſculapio ſupplicatio habita eſt. Sextus Pompeius Feſtus IN INSVLA de ceteris ita: *In Inſula Aeſculapio facta ædes fuit, quod ægroti a medicis aqua maxime ſuſtentantur. eiuſdem eſſe tutelæ draconem, quod vigilantiſſimum ſit animal, quæ res ad tuendam valetudinem ægroti maxime apta eſt. Canes adhibentur eius templo, quod is vberibus canis ſit nutritus. Bacillum habet nodoſum, quod difficultatem ſignificat artis. Laurea coronatur, quod ea arbor plurimorum ſit remediorum. Huic gallinæ immolabantur.* Quo Socrates ad Platonem in extremo Phædone adluſit, quum iam venenum bibiſſet, Critonem adloquens: τῷ Ἀσκληπιῷ ὀφείλομεν ἀλεκτρυόνα, *Aeſculapio gallum debemus*; quaſi tum vero conualuiſſet, quum ad meliorem vitam, vt putabat, emigraturus eſſet.

XI. Sed non prior diſcipulus præceptore fuit, *Aeſculapius* nempe *Chirone* Centauro. *Chiron* autem Saturni & Philyræ filius, vt in fabulis eſt apud Apollodorum lib. I. cap. II ſect. 4, medicinæ quoque, ſaltem partis, inuentor fuiſſe dicitur. Plinius lib. VII cap. LVI *Medicinam Aegyptii apud ipſos volunt repertam: alii per Arabum, Babylonis & Apollinis filium: herbariam & medicamentariam a Chirone, Saturni & Philyræ filio.* Obiter noto: *Arabum* Aſclepium eſſe vel ita quoque dictum, vel vocabulo prauato, quod de matris etiam nomine ſuſpicari licet. De parentibus autem illis ſupra diximus. Sed

Digitized by Google

ad Chironem reuertor. Suidas, Χείρων, Κένταυρος, ὃς πρῶτος εὗρεν ἰατρικὴν διὰ βοτανῶν, *Chiron, Centaurus, qui primus artem medicam inuenit illam, quæ per herbas curat.* & Hyginus fab. CCLXXIV *Chiron Centaurus artem medicinæ chirurgicam ex herbis primus inſtituit.*

XII. Hunc autem præceptorem Aeſculapii fuiſſe, Pindarus refert Pyth. od. III epod. II, quum mater Coronis exſtincta fuiſſet, & rogo iam impoſita, vt cremaretur, adcurſu Apollinis infantem ex vtero & flamma ereptum eſſe.

Καί ῥά μιν Μάγνητι φέρων
Πόρε Κενταύρῳ, διδάξαι
Πολυπήμονας ἀν-
θρώποισιν ἰᾶσθαι νόσους.

qui eum Magneſio adferens tradidit Centauro, vt doceret eum noxios hominibus ſanare morbos. Et Apollodorus lib. III cap. X ſect. 3 ἁρπάσας τὸ βρέφος ἐκ τῆς πυρᾶς πρὸς Χείρωνα τὸν Κένταυρον ἤνεγκε. παρ' ᾧ καὶ τὴν ἰατρικὴν καὶ τὴν κυνηγετικὴν τρεφόμενος ἐδιδάχθη, *infantem* (Apollo) *ex rogo eripiens ad Chironem Centaurum tulit, a quo & medicinam & venandi artem perdidicit.* Clarior autem diſcipulus magiſtro factus, forte quod Chiron ſagitta Herculis venenata vulneratus mortem immortalis ipſe, a ſuperis petiit & impetrauit, vt idem Apollodorus lib. II cap. V ſect. 4 in Herculis laboribus recenſuit.

XIII. Fingunt nihilominus & ipſum Chironem, mortalitate defunctum, in aſtra translatum eſſe, ſolum, vt Homerus Iliad. Λ verſ. 831 laudat, δικαιό-

τα-

Digitized by Google

ότατον Κενταύρων, *ex Centauris virum iuſtiſſimum.* Seneca Thyeſte v. 860, Zodiaci ſidera recenſens, poſt ſcorpium de ſagittario dixit:

Et qui nervo tenet Aemonio
Pennata ſenex ſpicula Chiron,
Rupto perdet ſpicula nervo.

CAPVT III
DE
AESCVLAPII LIBERIS.

Diximus de Aeſculapii origine; de poſteritate eius & liberis aliquid adiungere non alienum ab re eſt. Filios duos habuit, plures filias Aeſculapius: ſinguli paternæ artis periti; ex filiabus etiam quæ in diuarum numerum reciperentur. De filiis Cornelius Celſus principio proœmii: *Vetuſtiſſimus auctor* (medicinæ) *Aeſculapius celebratur. qui quoniam adhuc rudem & vulgarem hanc ſcientiam paullo ſubtilius excoluit, in deorum numerum receptus eſt. Huius deinde duo filii, Podalirius & Machaon, bello Troiano ducem Agamemnonem ſequuti, non mediocrem opem commilitonibus ſuis attulerunt. Quos tamen Homerus non in peſtilentia, neque in variis generibus morborum aliquid attuliſſe auxilii, ſed vulneribus tantummodo ferro & medicamentis mederi ſolitos eſſe propoſuit.* Homerus de his catalogo nauium vers. 238

Τῶν αὖθ' ἡγείσθην Ἀσκληπιοῦ δύο παῖδε,
Ἰητῆρ' ἀγαθώ, Ποδαλείριος ἠδὲ Μαχάων.
His duces erant Aeſculapii duo filii,
Medici boni, Podalirius & Machaon.

II. Exemplum medicinæ Machaonis præbet Homerus Iliad. Δ verſ. 193 ſeq. qui v. 212 ἰσόθεος φώς, *vir*

vir deo equiparandus propter artis præſtantiam vocatur. Vnde peritiſſimum quemque medicorum Martialis *Machaonem* dixit lib. 11 epigr. lxvi.

Quid tibi cum medicis? dimitte Machaonas omnes.

De Podalirio, cum fratre, Iliad. Λ verſ. 832

Ἰητροὶ μὲν γὰρ Ποδαλείριος ἠδὲ Μαχάων,

Nam medici quidem Podalirius & Machaon,

quorum tum alter in prœlio erat, alter in caſtris vulneratus iacebat, vt neuter vulnerato Eurypylo potuerit ſubuenire. Ouidius ſub finem lib. II. de Arte amandi:

Quantus apud Danaos Podalirius arte medendi,
Aeacides dextra, pectore Neſtor erat.

III. Filiæ Aeſculapii numerantur plures, & ſex omnino, ſi bene numerum inimus. Hippocratis iureiurando adiunguntur Aeſculapio *Hygeia & Panacea*, per quas æque, vt per Aeſculapium & Apollinem, iuratur. Non quidem ibi filiæ vocantur, ſed id aliunde demonſtrandum eſt. Pauſanias Attic. cap. xxiii ἄγαλμα Ὑγίας, ἣν Ἀσκληπιοῦ παῖδα εἶναι λέγουσι, *ſimulacrum Hygiæ, quam Aeſculapii filiam eſſe perhibent.* Vnde eſt quod in templis etiam iuxta patrem fuit poſita. Item Pauſanias Corinth. cap. xxiii ἄγαλμα ἔχει καθήμενον Ἀσκληπιοῦ λίθου λευκοῦ, καὶ παρ' αὐτὸν ἕστηκεν Ὑγεία. *ſimulacrum habet ſedentem Aeſculapii, & iuxta eum Hygeia ſtat.* Habitus velatus in ſignis erat, vt ſola facies, manus & imi pedes conſpicerentur, ceteris veſte Babylonia contectis, vt ibidem cap. xi demonſtratur: haud

dubie

dubie propterea, quod valetudo tegumentis adiuuatur.

IV. *Panacea*, Πανάκεια, ab eodem memoratur inter ſalutis deas, Attic. cap. XXXIV, in Oropiorum ara eſſe imagines Ἀφροδίτης καὶ Πανακείας, ἔτι τε Ἰασοῦς καὶ Ὑγιείας καὶ Ἀθηνᾶς Παιωνίας, *Veneris & Panaceæ, inſuper Iaſus ac Hygeæ, & Mineruæ Paoniæ.* Medias harum Aeſculapii filias eſſe, ex Scholiis in Ariſtophanis Plutum, actu II extremo, conſtat, quæ ita habent: πολλοὶ δὲ παῖδες τοῦ Ἀσκληπιοῦ, Ποδαλείριος, Μαχάων, Ἰασώ, Πανάκεια, Ὑγεία. *Multa proles Aeſculapii: Podalirius, Machaon, Iaſo, Panacea, Hygea.* Iaſo ergo tertia eſt, ab ἰᾶσθαι *medendo* dicta, quia, vt idem ſcholiaſtes addit, Aeſculapii liberorum ἀναπέπλασται τὰ ὀνόματα παρὰ τὸ ἰᾶσθαι καὶ πάντα ἀκεῖσθαι καὶ παρὰ τὸ ὑγείαν παρέχειν, *nomina formata ſunt a ſanando, & medendo omnibus, & præbendo quæ ſunt bonæ valetudinis.*

V. Adduntur *Aceſo* & *Aegle*, de quibus Meibomius cap. VI dicit, *ſolo nomine ex Suida notas eſſe:* ſed nec certo notæ ſunt auctore illo. Ait enim tantummodo: Ἀκεσώ, ὄνομα κύριον, θηλυκόν, *Aceſo, nomen proprium femineum:* de altero: Αἴγλη καλεῖται καὶ ὁ Ἀσκληπιός, *Aegle vocatur etiam Aeſculapius.* Quin potius filia eius. Plinius lib. XXXV cap. XI de pictoribus: *Tales ſunt, cum Aeſculapio filiæ, Hygia, Aegle, Panacea, Iaſo.*

VI. Certior ſextæ ratio, quæ Ῥώμη, *Roma*, quaſi *Valentia* fuit nominata, de qua Seruius ad Eclogæ I verſ. 20 ex Maſino, Lupercorum poëta, hæc adduxit,

Digitized by Google

duxit, Salmaſio in Solinum pag. 6. in ordinem cogente, quæ confuſe Maurus ſine metro ſcripſerat:

Sed diua flaua & candida
Roma, Aeſculapii filia,
Nouum nomen Latio facit.
Hinc conditricis nomine
Ab ipſa omnes Romam vocant.

VII. Ex his *Hygeia & Panacea*, hisque interpoſita apud Pauſaniam *Ieſo*, in diuis, vt vidimus, numerabantur, quibus *Romen* Marinus addidit. De Hygeia ſiue Hygia id cum primis clarum eſt, etiam ex veteri inſcriptione, Albæ Iuliæ reperta, apud Grut. pag. 68

ΚΥΡΙΩ ΑΣΚΛΗ-
ΠΙΩ ΚΑΙ ΥΓΙΗ
ΘΕΟΙϹ ΕΠΗΚΟΥΡΙΟΙϹ

Hoc eſt: *Domino Aeſculapio & Hygiæ, diis auxiliatoribus.*

VIII. An hæc eadem quæ Salus, Romanorum dea? Non videtur. *Saluti* enim templum Samnitico bello Iunius Bubulcus conſul vouit, idemque cenſor locauit, dictator dedicauit, ante aduectam Aeſculapii religionem. Liuium vide, lib. IX cap. XLIII & lib. X cap. I. Meminit eius Macrobius lib. I Saturn. cap. XVI & XX: ſed ad Lunam referri, vt multa nomina ad Solem. Plus Romani a Salute petierunt quam ab Hygeia Græcorum; hoc eſt præter valetudinem firmam, etiam florentem rerum ſuarum ſtatum. Vt enim SALVS PVBLICA, SALVS PRINCIPIS, SALVS AVGG. in nummis & marmoribus ſe latius profert quam ad ſaluum ſtatum corporis AVGVSTI; ita numen quoque præſidens credebatur laxius, quæ homini ſalutaria

ria

ria ſint, complecti, non ſolam dare ſanitatem. Macrobio autem dicto cap. xx videtur *Hygeia*, peregrinum numen, quam Latine etiam *Salutem* vertunt, eam eſſe, dicenti, *Salus naturæ lunaris effectus eſt, quo corpora animantium iuuantur ſalutifero firmata temperamento. Ideo ergo ſimulacris eorum* (Aeſculapii & Salutis) *iunguntur figuræ draconum, quia præſtant vt humana corpora, velut infirmitatis pelle depoſita, ad priſtinum reuireſcant vigorem, vt vireſcunt dracones per annos ſingulos pelle ſenectutis exuta.* Et ſic quoque Inſcript. Reineſ. p. 152 AESCVLAPIO EPIDAVRIO D. D. P. ET SALVTI.

IX. Deæ *Meditrinæ* apud Feſtum mentio fit in *Meditrinalia*, quæ a *medendo* dicta. Varro L L. lib. V *Meditrinalia dies dictus a medendo*; quia eo die muſtum guſtantes dicebant: *Vetus nouum vinum bibo; veteri nouo morbo medeor.* An ergo eadem *Meditrina* quæ Salus? non videtur, ob rationem antea dictam. Propius ad Hygeiam vi vocabuli accedit, niſi tantum *ominis gratia*, vt Feſtus dicit, Meditrinalia celebrata. Veteri Kalendario Rom. v. eidus Octob. ſunt adſcripta.

X. Quum ſit de filiis Aeſculapii egerimus, ob temporis æqualitatem non prætereundus *Paeon* eſt, deorum apud Homerum medicus, cui Παιήων nomen poetice eſt pro Παιών Iliad. E. verſ. 401 de vulnerato Plutone:

> Τῷ δ᾽ ἐπὶ Παιήων ὀδυνήφατα φάρμακα πάσσων
> Ἠκέσατ᾽.

Hunc Paeon, dolorem lenientia medicamenta inſpergens,

Digitized by Google

ſanauit, Vbi Scholiaſtes Didymus: *ἰατρὸς θεῶν ἰατρὸς Παιών*, *deorum medicus eſt Paean*, Et verſ. 899

- - - - - Παιήον' ἀνώγειν ἰήσασθαι,

hoc eſt, imperat Paeoni Iuppiter a Diomede vulneratum Martem ſanare. Ab hoc *Paeoniae herbae* dicuntur Aeneid. VII. verſ. 769, id eſt, vt Seruius interpretatur, *medicinales, a Paeone medico deorum.*

XI. Addit Virgilius Georg. III. verſ. 550 *Melampodem*:

Phillyrides Chiron, Amythaoniusque Melampus.

Seruius quidem non ad medicinam, ſed luſtrationis religionem eius merita refert: Pauſanias autem Corinth. cap. XVIII, quum inſania Argiuas feminas inuaſiſſet, *Μελάμποδος ὁ Ἀμυθάονος ἔπαυσε σφᾶς τῆς νόσου*, *Melampus*, inquit, *Amythaonis filius*, *morbum earum ſanauit*: cuius honori templum dedicatum fuit, eodem teſtante in Attic. cap. XLIV.

CAPVT IV
DE GENERIBVS MEDICORVM ET SECTIS.

HActenus de medicinae origine fabuloſa, quae inuentores eius caelo dicauit, quamquam non dubitamus, ſub fabulis aliquid veri, ſed humanum & mortale latuiſſe. Certiora habet Plinius lib. XXIX. cap. I, circa Peloponneſium bellum medicinam ex nocte denſiſſima emerſiſſe, reuocante in lucem Hippocrate, genito in inſula Coo, Aeſculapio dicata. Vbi morem fuiſſe addit, vt liberati morbo ſcriberent in templo eius dei, *quid auxiliatum eſſet, vt poſtea ſimilitudo*

pro-

Digitized by Google

proſcerent. Inde Hippocratem exſcripſiſſe fertur, &, vt Varro credidit, templo cremato, inſtituiſſe medicinam hanc, quæ clinice vocatur. Poſtea, ſubdit Plinius, non fuiſſe quæſtus modum, quoniam Prodicus Selymbriæ natus, e diſcipulis eius, inſtituens, quam vocant, *Iatralipticen*, reunctoribus quoque medicorum ac mediaſtinis vectigal inuenerit. Aliam factionem medicorum, ab experimentis *empiricen* cognominatam, cœpiſſe in Sicilia, Acrone Agrigentino Empedoclis phyſici auctoritate commendato.

II. Pergimus cum Plinio loqui, *Diſſiderunt hæ illæ ſcholæ, & omnes damnauit Herophilus, in muſicos pedes venarum pulſu deſcripto per ætatum gradus.* Sed addit & hanc ſectam deſertam fuiſſe, quod *neceſſe fuerit in ea litterarum ſcire*, ſiue, vt lib. xxv cap. [illegible] extremo ait, *propter nimiam ſubtilitatem.* Strabonis tamen ætate, vt ipſe lib. [illegible] commemorat, refert, inter Laodiceam & Phrygiæ Carurum ad Caris fanum fuit *didaſcaleum* [illegible] *ſchola medicinæ Herophileorum* [illegible] *a Zeuxide.* Crinas Maſſilienſis aſtronomiam cum medicina coniungens, ad ſiderum motus rationem ciborum quotidie ex ephemeride diſtribuendo, in quo ſequutus Ægyptium Petoſirim videtur, de quo Iuuenalis Satyr. vi, v. 579.

. . . . . *nulla videtur*
Aptior hora cibo, niſi quam dederit Petoſiris.

Charmis, itidem Maſſilienſis, ægros merſit in lacus, & frigidam ſuadebat etiam inter ipſos algores hiema-

les.

les. Vnde *pſychrolutae* dicti apud Senecam epiſt. LIII & LXXXIII, qui hoc genere medicinae vtebantur.

III. Antonius quoque Muſa, Auguſti Caeſaris medicus, damnatis calidis Baianis aquis, ψυχρολουσίαν maximopere commendabat; vt in Horatii exemplo habemus lib. I epiſt. XV ineunte, & ipſum Auguſtum Caeſarem, vt Dio Caſſius auctor eſt lib. LIII p. 517, *ψυχρολουσίαις καὶ ψυχροποσίαις ἀνέσωσε, lauacris frigidis frigidisque potionibus ſanauit.* Sed in Marcello, ſororis Auguſti filio, eadem medicina fefellit, vt idem Dio retulit.

IV. Ex his, Plinianis praeſertim, diuerſa medicorum genera producuntur. *Clinici* lecto affixis, & cum morbo luctantibus, praeſto ſunt: κλίνη enim lectus eſt. Vnde ipſi etiam clinici. Martialis medicum aliquoties *clinicum* dixit, & Prudentius Aeſculapium *clinicum deum*, Apotheoſ. [illegible]. Alia notione *clinici* aegrotantes ſunt, maxime apud eccleſiaſticos ſcriptores, v. gr. Hieronymus epitaphio Paulae ſiue epiſt. XXVII cap. II. *Quis clinicorum non eius facultatibus ſuſtentatus eſt?* vnde *baptiſmus clinicorum*, id eſt moriturorum, in eccleſia veteri non inuſitatus erat.

V. Diſtinguuntur a *vulnerariis*, hoc eſt chirurgis, quod antiquiſſimum genus medicorum eſt: idque ſolum memoratum ab Homero, laudatumque in Paeone, Machaone & Podalirio. Plinius lib. XXIX cap. I tradit, qui primus Romam e Graecia medicus veniſſet, Archagathum *vulnerarium* fuiſſe, ita *e re dictum*, quod vulnera ſanaret: ſicut *ocularii* dicuntur qui curandis oculis operam addicunt. Celſus lib. VI cap. VI *medicum ocularium*; Scribonius Largus ſim-

ſimpliciter *ocularium* Compoſit. xxxvii appellat; etiam chirurgum ocularium dixere, vti eſt inſcriptione antiqua Grut. p. 400 n. 7

P. DECIMIVS P. L. EROS
MERVLA MEDICVS
CLINICVS CHIRVRGVS
OCVLARIVS VI VIR.

VI. Notabilior *iatraliptice*, quæ per vnguenta & olea curabat: quam exercentes *iatralipta* appellabantur. Plinius lib. x ep. iv *grauiſſima valetudine vſque ad periculum vitæ vexatus, iatraliptem adſumſi*: cuius ibidem *ſollicitudinem & ſtudium* laudat. Adde eiusdem libri epiſt. xxii: Orientis fere propria medicina, qui generoſiſſima olea fundit, & præſtantiſſima vnguenta ſuppeditat. Nec tantum vngebant digitis ægrotos, ſed lauabant etiam calido oleo, non ſecus ac aqua in balneis, quemadmodum Herodem iam ſenem, ſeu in ſupremo morbo, medici iuſſerant, vt Ioſephus ait lib. i. de Bello cap. vltimo, ἐλαίῳ θερμῷ πᾶν ἀναθάλψαι τὸ σῶμα, χαλασθὲν εἰς ἐλαίου πλήρη πύελον, *totum corpus calidiori oleo fouere demiſſum in ſolium oleo plenum.* Sed alius ritus eſt miraculis primæ eccleſiæ tribuendus, quando Proculus Chriſtianus Seuerum imperatorem *per oleum curaſſe* dicitur apud Tertullianum ad Scapul. cap. iv. Is nempe ritus notari videtur, de quo Marci vi comm. 13, & Iacobi cap. v comm. 14 noſtratium plurimi, qui ſacra tractant, interpretantur.

VII. Præter hanc in morbis vnctionem fuit alia tuendæ & roborandæ valetudini in gymnaſiis vſitata & balineis. Frequens balneorum vſus veteribus, & ferme

Digitized by Google

fermè quotidianus, præſertim poſtquam deliciæ quoque & voluptas ex iis requiri cœptæ. Inter lauandum etiam *vnctio* erat, vnde in balinei partibus *vnctuarium hypocauſtum* a Plinio lib. II epiſt. XVII memoratur. Vncti ſunt vel ante lotiones, vel poſt illas: quidam etiam vtroque tempore, idque vel ſimplici oleo, vel variis odoribus condito, modo *diapaſmate ad coercendos ſudores*, vt Plinius dixit lib. XXI cap. XIX, hoc eſt ad *grauëolentiam ſudoris inhibendam*. Dioſcorides enim, quem Plinius expreſſit, lib. I. cap. CXXI, τὴν ἱδρώτων δυσωδίαν vocat. Vnguenti in balneis abluendi meminit Seneca epiſt. LXXXVI. Veniebat, ait, de Scipionis balneo, *vt ſudorem illic ablueret, non vt vnguentum*, quod inſequutum luxurioſius æuum adiderat. Vnguenta autem *deſtringendo* in balneis abradebantur, quod vel *linteo* fiebat, vel etiam *ſtrigili*. Martialis lib. XIV epigr. LI de ſtrigilibus.

Pergamus has miſit: curuo deſtringere ferro,
Non tam ſæpe teret lintea fullo tibi.

Adde Plinium lib. III epiſt. V num. 14, & quæ ibi parens adnotauit. Hinc *vnctores*, *reunctores* (qui poſt ablutiones vngebant) in vetuſtis monimentis nominati; apud Plautum Trin. II. ſc. I. Martialem XII epigr. XVII, & Plinium XXIX cap. I. Vetus inſcriptio apud Gruter. p. 636 C. PLAETORIVS VNCTOR. Alia: AVRELIVS EROS VNCTOR.

VIII. Aliud luctatorum oleum erat, nec eius idem vſus, aut cauſſa eadem, vt poſt dicemus. *Ceroma* appellabatur, quod ſequebatur *baphe*, ſiue adſperſio pulueris. Seneca de lutulento itinere epiſt. LVII ineunte: *Totum athletarum fatum mihi illo die perpe-*

tien-

tiendum fuit: a ceromate nos haphe excepit in crypta Neapolitana. Et epiſt. LXXXVIII *Luctatores, & totam oleo ac luto conſtantem ſcientiam, expello ex his ſtudiis liberalibus.* Adde Petrum Fabrum lib. II, Agoniſt. cap. v, ex Papinio & Lucano illuſtrantem.

IX. Olei ab athletis adhibiti non vna cauſſa fuit. Luctantibus lubrica membra faciebat, ne apprehendi poſſent facile. Contra quod *haphe* erat, arenæ ex *coniſterio*, quod etiam membrum gymnaſii fuit, adſperſio. Maior gloria *ἀκονιτί*, *ſine puluere* viciſſe, hoc eſt virtute ſumma & maximo labore, ſine auxilio inſperſæ arenæ. Id Plinius ſignificat lib. XXXV cap. XI de Dioxippo, celebri luctatore, *pancratio Olympia citra pulueris tactum (quod vocant aconiti) vicit: contra Nemeæ.* Lego *tactum*, vti in MSS. eſt, non *iactum*; vt ad *haphen* reſpiciatur ſupra nominatam: *ἁφὴ* enim *tactus* eſt. Hieronymus Mercurialis lib. I. cap. VIII etiam Horatium teſtem citat, qui lib. I epiſt. I ait

Quis circum pagos & circum compita pugnax
Magna coronari contemnat Olympia cui ſpes,
Cui ſit conditio dulcis ſine puluere palmæ.

Vulgus interpretatur *ſine magno labore*, quod certe ignaui, non *pugnacis*, eſſet optare. Extra tamen luctationes *ἀκονιτὶ* aliter ſonare, & , vt Heſychius quidem interpretatur, *ἀμαχητὶ, ἀπόνως*, *ſine pugna, ſine labore*, non ignoramus: vt contrarium ei ſit, quod apud Horatium oda I eſt, *puluerem collegiſſe*, hoc eſt curſu decertaſſe vehementiore. Sic Herodiano lib. II cap. XIII *ἀκονιτὶ ἁλίσκεσθαι*, eſt faciliime & ſine repugnantia capi. Alios vſus olei luctatorum ex Galeno addit Mercurialis d. l. ſcilicet exſolue-

re

re præteritam laſſitudinem, & futuram mitigare &c. Ceram admiſcebant, vt oleum fluidum diutius hæreret. Inde κηρῶμα, ceroma dictum. Sed hæc extra medicinam, ad quam reuertendum.

X. Præſidium valetudinis etiam *inſolatio* credebatur, cuius commoda & noxas Mercurialis lib. VI cap. I exponit. Erat autem vel citra vnctionem, vel cum illa; eademque vel ſedendo, vel iacendo, vel ſtando, vel ambulando fiebat. Plinius lib. III epiſt. V. num. 10 de auunculo: *poſt cibum æſtate, ſi quid otii, iacebat in ſole.* Grauioris ætatis hæc recreatio erat, natiuo calore iam ſenſim decreſcente. Hinc Horatius ſenile corpus, aut ſenili ſimile, *ſolibus aptum* dixit lib. I. epiſt. XX, v. 24. Eam ob cauſſam veteres *ſolaria* in ædibus habebant, ſiue vt Græci vocabant, *heliocaminos.* Plinius in villica ſtructura lib. II epiſt. XVII n. 20 *In hac* (horti diæta) *heliocaminus, alia xyſtum, alia mare, vtraque ſolem; cubiculum autem valuis, cryptoporticum feneſtra proſpicit.* Locus erat quaqua verſum apertus & ſoli expoſitus in ſummis ædibus, aliquando tectus, vti inſcriptione veteri apud Sponium Erud. Antiq. p. 52 legitur SOLARIVM TECTVM. Si quid tecti & parietis habuit, ita illud conſtructum arte fuit, vt repercuſſu ſolis infuſi tepor augeretur.

XI. Victu quoque valetudini conſulebatur, cuius intemperies vt cauſſa eſt morborum; ita moderamentum, conſeruatio ſanitatis. *Siccis cibis* ad hanc vtebantur, quam *xerophagiam* vocabant, vt humore ſubtracto minus putredinis naſceretur. Cicero ad ægrotantem Tironem ſuum, lib. XVI. ep. IV damnat iuru-

iurulentorum vſum. *Plane*, inquit, *curationes eius* (medici Patrenſis) *non probo. Ius enim dandum ti- bi non fuit, quum* κακοςόμαχⓈ *eſſes.* Etiam validis pro ſeruando robore ſicca commendabant. Tertullianus de Ieiunio, libro extremo; *pugiles & pyctæ xerophagiis inualeſcunt.* Hoc *coliphium* athletarum erat, de quo Iuuenalis ſatyr. II. verſ. 53:

Luctantur pauca, comedunt coliphia pauca.

ab ἶφι, quod *robur* eſt, & κῶλον, *membrum* appellatur, quia hic panis roborando corpori inuentus eſt. Nec panis ſolum, ſed carnes etiam minus ſuccidæ, aut induratæ intelliguntur. Vide Petri Fabri de Agoniſt. lib. III cap. III. Hæ itaque etiam ad xerophagiam athletarum referebantur.

XII. Chriſtiani imitati ſunt, non ſaginandi corporis, ſed ſubigendi cauſſa, ciborum ſiccitatem ſiue xerophagiam in ieiuniis ſuis amantes. Tertullianus de Ieiun. cap. XV pro Montanis ſectatoribus, vt putatur; *Quantula eſt apud nos interdictio ciborum? duas in anno hebdomades xerophagiarum, nec totas, exceptis ſcilicet ſabbatis & dominicis, offerimus Deo.* Quid quæris? Chriſtianis abſtinentia erat a ſucculentis; & temperantia, quæ ſiccis etiam modice vtebatur: athletis *ſaginatio arida*, vt idem Tertullianus cap. IV de Pallio appellat.

CAPVT V.

DE MOTV ET MVTATO CAELO SIVE AERE.

Digitized by Google

HAs quoque partes in cauſſis valetudinis corroborandæ antiqui poſuerunt, vt medice exercerent opus, & non numquam peregrino ſe aere confirmarent. Corporis enim æquabilis motus & perpetua exercitatio valetudinis conſeruandæ, vti eſt, remedium credebatur, cui eum iuuenes ſe adſuefecerant, non difficile erat ſenibus etiam continuare. Spurinnæ Veſpricii exemplum, quod Plinius lib. III epiſt. I laudat, ſatis ſit fidei huius rei faciendæ, cui hanc regulam conſtantiſſime ſeruanti *poſt ſeptimum & ſeptuageſimum annum aurium oculorumque vigor integer: agile & viuidum corpus, ſolaque ex ſenectute prudentia* erat.

II. Quies enim nimia & delicatior vita quam officiat valetudini, vtriusque generis hominum exempla manifeſtant, quod molliſſime viuentes, & valetudinis, vt opinantur, quam maxime habentes rationem plerique ſunt debiliores: duro contra labore adſueti & robur corporis & conſtantiam valetudinis conſeruant. Variæ autem ſunt exercitationes, & ex illis eligendæ, quæ cuiusque vitæ atque ſtudio ſint accommodatæ. Litterarum ſtudiis ſaluberrima ambulatio, qua ſedentaria vita, quam poſcunt illa ſtudia, per interuallum temperetur. Id in priſcis Romanis obſeruamus, præſertim in ſeceſſu agentibus libere, vti ex Ciceronis dialogis, & Plinii epiſtolis intelligimus.

III. Quo & omnis veterum gymnaſtica ſpectabat; præſertim modica, & ab athleticis laboribus ſeiuncta, gratia tuendæ valetudinis & boni corporis habitus, inſtituta. Hæ erant ambulatio, geſtatio, pila: etiam

am venatio, cuius non modo cauſſa fuit, ſe militiæ præparare, quam Plinius Panegyr. cap. LXXXI perſequitur; ſed etiam corpus ſanum vegetumque conſeruare, quod ex Galeno lib. II de tuenda valetud. cap. VIII Mercurialis lib. IV cap. XV vberius exponit.

IV. Peregrinatio, ſeu profectio in regiones ſalubriores, quantum tam motu ipſo, quam cæli temperamento ad tuendam valetudinem & firmum corporis habitum ferat, vel ſolum Ciceronis nos exemplum docet. Erat ille debiliori corpore ac voce graciliori, quam vt munus oratoris, quod intendebat, ſuſtineret. Hinc vitæ ipſius amici metuebant, hortabanturque, vt cauſſas agere deſiſteret, in quibus biennium iam verſatus erat, & nomen ex illis adeptus tantum, vt nec vlla cauſſa eſſet, quæ non digna eius patrocinio videretur. Peregrinatione autem confirmatus ita fuit, vt muneri ſuo ſufficeret.

V. Sed cur non ipſum de ſe aperte id diſſerentem audimus? in Bruto, ſeu de claris oratoribus libro, cap. XCI de ſe ita narrauit: *Erat eo tempore in nobis ſumma gracilitas & infirmitas corporis, procerum & tenue collum: qui habitus & quæ figura non procul abeſſe putatur a vitæ periculo, ſi accedit labor & laterum magna contentio. Eoque magis hoc eos, quibus eram carus, commouebat, quod omnia ſine remiſſione, ſine varietate, vi ſumma vocis, & totius corporis contentione dicebam. Itaque quum me & amici & medici hortarentur, vt cauſſas agere deſiſterem; quoduis potius periculum mihi adeundum, quam a ſperata dicendi gloria diſceden-*

cedendum, putaui. Sed quum cenſerem, remiſſione & moderatione vocis, & commutato genere dicendi, me & periculum vitare poſſe, & temperatius dicere; vt conſuetudinem dicendi mutarem, ea cauſſa mihi in Aſiam proficiſcendi fuit.

VI. Et interiectis paucis: *Quum veniſſem Athenas, ſex menſes cum Antiocho, veteris Academiæ nobiliſſimo philoſopho fui. - - - - Eodem tempore Athenis apud Demetrium Syrum, veterem & non ignobilem dicendi magiſtrum, ſtudioſe exerceri ſolebam. Poſt a me Aſia tota peragrata eſt cum ſummis quidem oratoribus, quibus cum exercebar ipſis lubentibus, - - - - quibus non contentus Rhodum veni, meque ad eundem, quem Romæ audiueram, Molonem applicaui, cum auctorem in veris cauſſis, ſcriptoremque præſtantem; tum in notandis animadvertendisque vitiis, & inſtituendo docendoque prudentiſſimum. - - - - Ita recepi me biennio poſt non modo exercitatior, ſed prope mutatus. nam & contentio nimia vocis reciderat, & quaſi referuerat oratio, lateribusque, vires & corporis mediocris habitus acceſſerat.* Tantum Tullius profecit valetudine ſub Aſiæ ſalubri cælo. Neque enim id ſola ei moderata exercitatio attulerat, ſed motio etiam crebra ex itineribus, & cæli mitior ſpiritus, quo in Aſia fruebatur: quia ſi ex vocis remiſſione fuiſſet, quum Romæ vehementiorem dicendi vſum repeteret, neceſſe foret in priſtinam infirmitatem, aut grauiorem etiam, recidere.

VII. Fuerunt etiam certa itinera, quæ certis morbis profutura ſuſciperentur. Romanis phthiſicis & ſangui-

Digitized by Google

ſanguinem eiectantibus nauigatio in Aegyptum prodeſſe credebatur, quo eamdem ob cauſſam libertum ſuum Zoſimum C. Plinius Cæcilius lib. v epiſt. xix miſit, *qui & inde poſt longam peregrinationem confirmatus rediit*. Auunculus quidem lib. xxxi cap. vi id aliter interpretatur, quaſi *neque Aegyptus per ſe petatur, ſed propter longinquitatem nauigandi*. Id quod a Celſo didiciſſe videtur, qui lib. III cap. xxII ait: *Si vera phthiſis eſt, - - - opus eſt longa nauigatione, ideoque aptiſſime Alexandriam ex Italia itur*. At ſi hoc motus præſtat nauigationis, isque mollior, vt in mari eſt mediterraneo; cur non in Syriam aut in Cyprum inſulam, qui æque longus curſus & idem mare eſt, a phthiſicis nauigabatur? non apparet diuerſitatis ratio, niſi Aegyptiacum cælum aliquid contulit, aut peritia medicorum, quos Aegypti habebat Alexandria, qui corrigerent vel ſupplerent, ſi cui minus forſan ſalutaris nauigatio exſtitiſſet. Ammianus enim Marcellinus lib. xxII ſub finem de illa vrbe tradit: *Medicina ita ſtudia augentur in dies, vt, licet opus ipſum redoleat; pro omni tamen experimento ſufficiat medico ad commendandam artis auctoritatem, ſi Alexandria ſe diceret eruditum*.

VIII. Multitudinem enim medicorum in ea vrbe teſtatur Fulgentius Planciades lib. I Mytholog. pag. 16 ed. Munkeri, *Galeni curiam pene cunctis Alexandria angiportis inſertam eſſe*: cetera corrupta ſunt, ſaltim dubia, vt tamen ſenſus ſatis certus relinquatur, plura pæne anatomicæ ſectionis loca ibi, quam habitacula ciuium, inueniri. Nam, vt hoc adficiamus, anatomica quoque, ſiue inſectio corporum,

 anti-

antiquum medicinæ ſubſidium, ſeu magiſterium potius, fuit. Vel ſolus Herophilus medicus, ſæpe a Plinio laudatus, *ſexcentos exſecuit, vt naturam ſcrutaretur*, Tertulliano auctore de Anima cap. x, ideoque contemptim ab eodem vocatus *lanius*, quia ex eius & Eraſiſtrati diſciplina viui etiam, forſan damnati & puniendi, ſecabantur, quod poſteritas emendauit. Cornel. Celſus procemio extremo: *Incidere viuorum corpora & crudele & ſuperuacuum eſt: mortuorum vero, diſcentibus neceſſarium.*

IX. Eadem ratio medendi huic morbo, de quo diximus, erat in *Foro Iulio* Vmbriæ, *Concubienſi* cognominato. Plinius de eodem liberto ſuo lib. v. epiſt. xix ad Paullinum: *Ante aliquot annos, dum intente conſtanterque pronuntiat, ſanguinem reiecit, atque ob hoc in Aegyptum miſſus a me, poſt longam peregrinationem confirmatus rediit nuper: deinde quum per continuos dies nimis imperat voci, veteris infirmitatis tuſſicula admonitus, rurſus ſanguinem reddidit. Qua ex cauſſa deſtinaui eum mittere in prædia tua, quæ Foroiulii poſſides. Audiui enim te ſæpe referentem, eſſe ibi & aerem ſalubrem & lac huiusmodi curationibus accommodatiſſimum.* Non ergo lacti ſoli curationem tribuit, ſed *aeris ſalubritati*: quod etiam de lacte *Stabiano* cenſendum, in ſimili morbo a Galeno lib. v de meth. med. cap. xii, & Symmacho lib. vi epiſt. xvii commendato.

X. Loco quoque & aere medicinam iuuari, eamdemque alio atque alio loco tutius ſecusue adhiberi, non ignorauerunt priores. Plinius lib. xxv cap. vi, refert,

refert, ex eoque repetit Gellius lib. XVII cap. XV, Linium Druſum, popularem illum tribunum, quod comitialem morbum pateretur, *Anticyram nauigaſſe,* in eaque *elleberi* vſu morbo liberatum eſſe. *Ibi enim,* quod Plinius addit, *tutiſſime ſumitur.* Ergo periculoſius ſumitur alibi. Pauſanias Phoc. cap. XXXVI id tribuit Anticyræ Phocenſium, ad Criſſæum ſinum poſitæ: Strabo lib. IX pag. 288, & Byzantius chorographus, Maliacæ, ad ſinum ſitæ Maliacum iuxta montem Oetam: Plinius cum Gellio *inſulam* dicunt Anticyram, quod verius de peninſula videtur explicandum.

CAPVT VI
DE
MEDICORVM STATV
AC DIGNITATE.

MEdicorum conditionem ſupereſt vt memoremus. Primi illorum in tanta admiratione fuere, vt non homines, ſed dii crederentur. Hinc ἀποθέωσις Aeſculapii, & forſan ipſius quoque Apollinis. Podalirius, Machaon, vt deo nati, non minus maximi æſtimabantur, perinde ac Pæon, æqualis illorum, ab Homero adeo vſque laudatus, vt deorum æque quam hominum vulnera curaſſe perhibeatur. Poſt fabularum nebulas, penes *ſapientes*, hoc eſt philoſophos, medicina erat etiam pars ſapientiæ, id eſt philoſophiæ. Atque ita Pythagoras, Empedocles, Democritus, vt Corn. Celſus procemio tradit, non minus medicinæ nomine quam ſapientiæ clari extiterunt.

terunt. Democriti autem, vt quidam crediderunt, diſcipulus fuit Hippocrates Cous, qui primus quidem ex omnibus memoria dignis ab ſtudio ſapientiæ hanc diſciplinam ſeparauit. Itaque & huic ætati medicinæ ſua gloria ſtetit, atque eximia artis dignitas.

II. Quam vt firmarent Athenienſes, legeeauerunt, *ne quis ſeruus aut femina medicinam diſceret*, vt Hyginus refert fab. CCLXXIV. Prius ignominioſum arti; non æque alterum videbatur. Ideoque etiam Agnodice, quum virili habitu, demtis capillis, Herophilo in diſciplinam ſe tradidiſſet, artemque didiciſſet, a medicis in Areopago accuſata, & periculum damnationis ſubitura, adcurſu matronarum liberata fuit, quarum hæc ad iudices vox erat: *Vos coniuges non eſtis, ſed hoſtes; quia, quæ ſalutem nobis inuenit, damnatis.* Adfuerat enim laborantibus partu, quarum pudor viros medicos arcebat. Nec Romanis ignotæ feminæ *medicæ*. Gruterus Inſcript. p. 635 FLAVIAE HEDONES MEDICAE, item, D. M. IVLIAE QVINTIANAE CLINICE; ac p. 636 IVLIAE Q. L. SABINAE MEDICAE; &, MINVCIA D. L. ASTE MEDICA: item, SENTIAE ELIDI MEDICAE CONTVBERNALI, quæ extrema vox aliquid ſeruile notat, ſed ex quo nec omnes has ſeruas fuiſſe collegeris, nec ſola gynæcea & mulierum adfectus curaſſe, quod Pignorius putat; licet vltro demus, iis plerumque præfuiſſe.

III. Idem in ſeruis ponit *medicos chirurgos, ab oculis, clinicos*, quibus *aliptæ* accedant ſiue *unctores*

nes ſupra memorati; nec vero omnis hæc ars ſeruilis fuit, ſed ab ingenuis etiam & nobiliſſimis viris exercita. Quis enim Cornelium Celſum, Scribonium Largum ſimileſque probabit liberos minus fuiſſe, quam aliarum artium diſciplinarumque cultores? Si quid ingenium fauiſſet, nec litterarum ſtudia ſeruis interdicta fuerunt, vt eſſent amanuenſes, anagnoſtæ, a bibliothecis: quibus ſi fides adfuiſſet integritaſque, in hac via ad libertatem emerſere, manumiſſi a dominis ſuis, & maioribus rebus a patronis plerumque admoti.

IV. Clariſſimus vir Iacobus Sponius Miſcell. erud. Antiq. p. 144 medicinam Romæ profeſſos, cenſet ingenuos omnes, ſaltim libertos fuiſſe, ac indigne fert, Robortellum, eiuſque ſequaces, adſerere, *Romæ tantum ſeruos medicinam exercuiſſe*. In lapidibus enim, quos ibi magno numero exſcripſit, nullum ſignum ſeruitutis eſſe, in aliquo etiam *VI virum auguſtalem* medicum nominari, quod munus inter prima ciuitatium officia eminebat. Quod ſi quidam illorum *ſeruus* appelletur, vt pag. 143 num. 7 Illuſtrius Celadianus TI. CAESARIS AVG. SER. eumdem vero non ſimpliciter *medicum*, ſed adiecta conditionis nota MEDICVM OCVLARIVM vocari, qui *chirurgus ocularius* apud Gruterum p. 400 n. 7 appellatur.

V. Nec vero omnes huius generis medentes ſerui erant, ſed apud Gruterum ſat ampla dignitas, ingenui ſtatus teſtimonium, coniungitur p. 416 n. 8, MEDICVS OCVLARIVS SEX. VIR. COL. IVL. FANESTRIS. Iulius Cæſar, vt apud Suetonium eſt cap. XLII, *omnes medicinam Romæ profeſſos ciuitate donauit*. Non autem

Digitized by Google

ſerui ſic donabantur, ſed peregrini. Græcia enim medicos in Italiam effudit. Quid multa? Eadem fata medicinæ fuerunt ac liberalium litterarum, quæ maxime quidem ingenuos decebant, in vniuerſum autem ſeruos, ſi ingenio valerent, ob merita manumittendos aliquando, non excluſerunt. Neque enim exiſtimandum eſt, poſt manumiſſionem demum litterarum ſtudiis initiatos eſſe.

VI. Seruata dignitas & aucta fuit a Cæſaribus. Amplum Romæ *collegium Aeſculapii & Hygiæ* fuit, LX virorum, cuius leges laudatus Sponius ſect. II artic. XI ex Romano marmore deſcripſit expoſuitque, quod vtique in honorem medicinæ inſtitutum fuerat. Immunitate gauiſi ſunt, ab Antonino, & Diocletiano, Maximianoque A A A. conceſſa, lege I & V Cod. de Profeſſoribus & medicis. Inprimis Conſtantinus M. lege I Cod. Theod. de Medicis & profeſſoribus, *medicos, grammaticos, & profeſſores alios litterarum, immunes eſſe cum rebus, quas in ciuitatibus ſuis poſſident*, præcepit. Interpolauit legem Tribonianus, & *doctores legum*, quos poſthabuerat Conſtantinus, adiecit; etiam de *ſalario reddendo* admonuit: contra reſtrinxiſſe ad ſolos pæne *archiatros* videtur, quæ Conſtantinus omnibus medicis conceſſerat. *Medicos*, inquit, & *MAXIME archiatros, vel ex archiatris*, &c. ſed quidquid huius rei eſt, ortum habet ex confuſione trium diuerſarum legum Cod. Theodoſiani, eodem titulo, ſub diuerſis conſulibus latarum, quas in vnam conflauit Tribonianus, quaſi vno tempore latas, quum, ceteris conſulibus præteritis, ſolos primæ nominauit, quod ſolemne eidem eſt, &

ſæpius

ſæpius caſtigatum ab Iacobo Gothofredo, viro non minus hiſtoriarum & antiquitatum, quam legum Romanarum conſultiſſimo.

VII. Hæc de laude & honoribus medicinæ apud antiquos. Vt vero nulla ars tam nobilis, tam vtilis & ſalubris eſt, cui non maculam abuſio adſpergat, vti philoſophiæ, iuris prudentiæ, & aliis accidit; ita etiam Græcorum infido ingenio nobiliſſimæ artis laudibus detractum fuit. Cato Cenſorius apud Plinium ſæpe dicto lib. XXIX ſub initium, in Græcos medicos inuectus, *Iurarunt*, inquit, *inter ſe barbaros necare omnes medicina: & hoc ipſum mercede faciunt, vt fides iis ſit, & facile diſperdant.* Leuiorem fidem eius gentis non ignoramus: omnes autem ſuſpectos habere, quaſi in perniciem ceterorum coniurauerint, iniquum eſt vtique, & Catoniano rigori relinquendum. Plinius interpres Catonis, *Non rem*, ait, *antiqui damnabant, ſed artem.* Puta ſimplici & probata medicina contentos fuiſſe; noua & periculoſa recuſaſſe experimenta, ex quibus artem Græci cum hominum periculo faciebant, quæſtus cupidi, pretium vitæ humanæ conſtituentes. Vnde ibidem Cato dixit, *Bonum eſſe illorum libros inſpicere, non perdiſcere.* Summa, rem probat: abuſum damnat. Si quid præterea damnat, recedendum ab eo eſſe iudicamus. Adde Plinium d. l. ſectione (Harduini) VIII. Excuſat Græcos Romanorum vſus, apud quos plurimi Græci genere medicinam faciebant, nec tamen propterea minus caros eisdem, aut minus fideles fuiſſe probari poteſt.

VIII. Id quoque huic arti videtur derogare, quod Plinius d. l. dixit: *Solam hanc artium Græcarum non-dum*

dum exercet Romana grauitas in tanto fructu: pauciſſimi Quiritium attigere, & ipſi ſtatim ad Græcos transfugæ. Non apertiſſimus verborum ſenſus eſt: quem ſi, vt ſonant, intelligas, videtur infra Romanorum grauitatem maieſtatemque fuiſſe, medicinæ operam ita dare, vt ceteris diſciplinis liberalibus. Cauſſa poterat eſſe, quod eloquentia principatum apud iſtos tenebat; poſt eam philoſophia & iuris ſcientia erant, quæ tria ſtudia, quidquid Romani ingenii excellebat, vnice occupauerant, vt nihil, vel exiguum, medicinæ ſupereſſet. Quod vero ſequuntur verba; *auctoritas aliter quam Græce eam tractantibus, etiam apud imperitos expertesque linguæ non eſt;* de lingua interpretamur etiam antea producta, vt ſenſus ſit, nondum Romanæ linguæ grauitate, vt ceteras artes, ſic medicinam etiam in vrbe exerceri, & ſi qui pauci id tentauerint (in quibus & Celſus numerari poteſt) tamen ab inſueto more pleroſque reſilire ad vſum Græcitatis. Ita nec quidquam dignitati artis ex Plinii auctoritate obuerti poteſt.

CAPVT VII.
DE
AVGVRIO SALVTIS

INter ritus & cærimonias ſacras Romanorum erat etiam *Augurium ſalutis*, vt Suetonius & Tacitus vocant: ſiue, vt Dio Caſſius, *οἰώνισμα τῆς ὑγιείας, augurium ſanitatis.* At vero dudum vir ſummus Iſaacus Caſaubonus ad Suetonium obſeruauit, *σωτηρίας* potius, quam *ὑγιείας* vertendum fuiſſe, vt *felicitas publica* ſignificaretur.

II.

II. Supra enim probauimus, Hygieam ſiue Hygeiam, & Salutem non eamdem eſſe per omnia, quia illa ſolam ſanitatem corporis, hæc præter illam etiam alias & publicas felicitates ſouet: quamquam vtraque in diuarum numerum, paganorum ſuperſtitione, recepta fuiſſe dicatur. Quod quum de Hygia ſeu Hygeia (nam non vno modo Græce ſcribitur *ὑγία*, *ὑγεία*, & *ὑγίεια*) ſupra ſatis declaratum ſit, etiam de Salute non parce; de huius tantum vocabuli interpretatione non nihil adiiciemus. Reineſii claſſe I num. CXIV hæc exſtat inſcriptio:

AESCVLAPIO EPIDAVRIO
D. P. P.
ET SALVTI.

Heic Salutem eamdem eſſe quæ Hygiea ſiue Hygia Græce dicitur, & in dearum æque numero cultam, cum per ſe patet ex ſocietate Aeſculapii, cui adiungitur; tum ex eiuſdem claſſis inſcriptione CXVIII:

AESCVLAPIO ET SA-
NITATI.

Salus ergo in conſociatione hac eſt ipſa *Sanitas*, quam itidem præſidem ſanitatis deam, ſeu bonæ valetudinis ſeruatricem, intellexerunt.

III. Parum autem hæc forſan notio ad *ſalutis* adfert *augurium*, vti id a Dione eſt deſcriptum; ſed altera potius, quæ generatim *felicitatem* ſonat, & proſperos rerum omnium, quæ ſuſcipiuntur, ſucceſſus. Dio de ritu ita lib. XXXVII pag. 40. *Τότε οἱ Ρωμαῖοι πολέμων ἀνάπαυσιν τὸν τοῦ ἔτους χρόνου ἔσχον, ὥστε καὶ οἰώνισμα τὸ τῆς ὑγιείας ὀνομαζόμενον διὰ πάνυ πολλοῦ ποιῆσαι.* *Annuo tunc ſpatio Romani bellis vacarunt*

Digitized by Google

runt, ita vt longo tempore intermiſſum Augurium ſalutis, uti vocabatur, repeterent. Factum hoc M. Cicerone & C. Antonio conſulibus. Nec vero puro (*καθαρὸν*) id tum augurium peractum fuit, ſed *ἔξεδροί τινες ὄρνιθες ἐπέπταντο, aues quædam infauſto volatu turbauerunt*, vt iterare fuerit neceſſe.

IV. Idem Caſſius formam ritus his verbis definiuit: *τοῦτο μαντείας τις τρόπος ἐστὶ, πίστιν τινὰ ἔχων, εἰ ἐπιτρέπει σφίσιν ὁ Θεὸς ὑγίειαν τῷ δήμῳ αἰτῆσαι, ὡς οὐχ ὅσιον οὐδὲ αἴτησιν αὐτῆς, πρὶν συγχωρηθῆναι, γενέσθαι. Hoc* (augurium) *eſt quoddam diuinationis genus, quo probatur, concedatne ipſis numen, vt populo ſalutem poſtulent, quaſi nefas eſſet eam prius, quam concedatur, petere.* Raritatem ritus ſingularitas diei oſtendit, quia eo tantum die celebrari fas erat, *ἐν ᾗ μηδὲν στρατόπεδον μήτε ἐπὶ πόλεμον ἐξῄει, μήτ᾽ ἀντιπαρετάττετό τις, μήτε ἐμάχετο, quo die nullus exercitus ad bellum eſſet profectus, nullus hoſtis in aciem eduxiſſet, aut pugnatum eſſet.* Neque ciuili tumultu, aut quum in armis eſſet populus, rite peragi potuit.

V. Quantum ex hiſtoriis cognoſcimus, tria tantum aut quatuor huius celebrationis exempla habemus. Primum Cicerone conſule, quum diu (inde, credo, a Syllanis temporibus) neglectum fuiſſet, inſtauratum eſt publice, per Pompeium vbique orbe pacato: & hoc ſupra Dio Caſſius memorauit. Secundum Auguſto v conſule poſt annos XLIV a Ciceronis & Antonii conſulatu. De hoc idem Dio lib. LI pag. 457 *τὸ οἰώνισμα τὸ τῆς ὑγιείας ἐποίησαν, augurium ſalutis fecerunt.* Et Suetonius Aug. cap. XXXI

Non-

Nonnulla etiam ex antiquis carimoniis paullatim abolita reſtituit; vt Salutis augurium, Diale Flaminium, reliqua. Poſt denuo intermiſſum renouauit imperator Claudius, de quo Tacitus annal. XII cap. XXIII ait: *Salutis augurium, quinque & viginti annis omiſſum, repeti, ac deinde continuari placitum.* Quod vero poſt XXV annos reſtituiſſe tradit, ſi ſaluus eſt ille numerus, idem argumento eſt, ſub Tiberio etiam augurium illud peractum fuiſſe, in cuius imperium ille annus, a quo ſuum Tacitus numerabat, neceſſe eſt incidiſſe. A quinto enim conſulatu Cæſaris Auguſti, hoc eſt ab altero anno ab Actiaca victoria, vsque ad Claudii Cæſaris imperium, eiusque primum annum, ſunt ſeptuaginta circiter anni: at inter vtriusque, Tiberii & Claudii, initia imperandi, ſunt anni viginti ſeptem, vt ita circa initium vtriusque imperii cum a Tiberio, tum a Claudio *augurium ſalutis* factum eſſe oporteat.

VI. Tandem ergo in quæſtionem venit ad propoſitum noſtrum idoneam, num etiam hoc augurium ad medicas antiquitates pertineat? Supra cum Caſaubono prope negatum iuimus, qui felicem ſtatum populi requiſitum eſſe contendebat; quod vero Dio Caſſius vtroque loco ὑγιείας, *ſanitatis* augurium appellat, id, puto, doctiſſimum virum Io. Henr. Meibomium permouit, vt medicis rebus non adſcriberet ſolum in Hippocratis Iusiurandum commentario; verum etiam pag. 58 dicat, *in Aeſculapii templo, in Tiberis inſula,* id obſeruatum & peractum fuiſſe, quod quo auctore adfirmet, nobis nondum licuit cognoſcere.

ſcere. Nihil ergo in tam clarorum hominum diſſenſione definimus: nec vero diffitemur, in alteram Caſauboni ſententiam nos magis propendere.

DISSERTATIO XIII.

De

LXX. INTERPRETIBVS

habita Ann. 1696.

VTique in ſummis Dei beneficiis poſt infinita alia numerandum eſt, quod ſanctiſſimam voluntatem ſuam non voce ſola ſed litteris etiam, ne obliuio noceat, manifeſtatam voluit. Culpa hominum accidit, vt iuſtiſſimus iudex ſingulari hoc beneficio tantum vnam Ebræorum gentem adficeret, donec tempora, quæ iuſtæ pœnæ loco per ignorantiam transmittenda erant, implerentur, vt cæleſte myſterium de ſeruando humano genere per omnes gentes promulgaretur. Vt vero ſolem orientem diluculum antecedit, ſeu tenuis lux & dubia, prænuntia maioris & fulgentiſſimæ: ſic Euangelii claritati per orbem terrarum diſpergendæ proluſit quaſi cæleſtis prouidentia, qua factum fuit, vt inter denſiſſimas tenebras diuina quædam lux paganis hominibus ſeu pluribus gentibus oriretur, ſanctis Dei ſcripturis ex Ebræo ſermone,

mone, qui paucorum erat, in Græcam linguam, omnibus prope gentibus communem, vtiliſſime conuerſis. Cui maximo operi, quod plures adminiſtri adhibiti fuiſſe feruntur; ab illorum numero, quem fama credidit, *LXX viralis* illa verſio appellatur, de qua noſtra in præſenti erit diſſertatio.

II. Principum eſt bene mereri de poſteritate, quod alii bellis & proferendis finibus, alii ſtupendis ædificationibus, alii aliter obtinere ſatagunt: ſed, quod ſapientes cenſent, nulla via eſt expeditior ad poſteritatis memoriam atque ſalutem, quam qua auctis litterarum ſtudiis & faciliora illa & clariora per manus quaſi tradunt poſteritati. Cum vero mortales omnes ſint, qui in litteris proficiunt; immortali opere, quantum præſtare homines poſſunt, conſulendum eſt futuro tempori ac ſeræ poſteritati. Hæ ſunt bibliothecæ, egregii illi theſauri, cum quibus nec Perſicæ gazæ, nec orbis diuitiæ comparandæ ſunt. Quantum enim animus præſtantior eſt corpore; tantum theſauros, qui animum nutriunt, quam qui corpori proſunt, cenſemus præſtantiores eſſe.

III. Aegyptia gens in antiquiſſimis fuit, quæ ſapientiam coluiſſe refertur, ideoque etiam haud dubie prima, quæ bibliothecis inſtruendis, ne mortalitate hominum eruditio pereat, operam dediſſe legitur. Diodorus Siculus lib. II. c. XLIX de Oſymandua tradit, antiquiſſimo Aegyptiorum rege, præter monimenta alia bibliothecam condidiſſe, ſuper cuius limen præſcribi iuſſerit ΨΥΧΗΣ ΙΑΤΡΕΙΟΝ MEDICINA ANIMI, ſiue, vt Iuſtus Lipſius vertit, ANIMI MEDICA OFFICINA. O veriſſimum verbum! quid præſtantius, quid vtili-

Digitized by Google

us conferre principes ad animum alendum & exornandum poſſunt, quam omnium temporum ſapientiam litterarum monimentis commendatam, h. e. bibliothecam, ad vſum etiam poſterorum, non ſui tantum temporis, publice dedicatam.

IV. Hoc illuſtre exemplum imitati mihi Ptolemæi videntur, cum Alexandriæ, quæ Aegypti metropolis eſt, bibliothecam condi & in immenſum augeri ſuo ſumtu ſtudioque procurarent. Quod ſi cui longius repetitum id exempli videatur, propinquiora in Græcis habemus, quos Aegyptii reges imitati feruntur: videlicet Piſiſtrati, de quo Tertullianus Apologet. cap. XVIII opinatur, *Ptolemæorum eruditiſſimum, quem Philadelphum ſupernominent, ſtudio bibliothecarum Piſiſtratum æmulatum fuiſſe*: & Ariſtotelis, quem Strabo lib. XIII p. 419 auctorem Ptolemæis fuiſſe tradit ſtruendæ illius, quæ vbique celebratur, Alexandrinæ bibliothecæ. Non indigna verba, quæ plenius adſcribamus, quod etiam Græcarum origini teſtimonium ferunt: Ὁ Ἀριστοτέλης, πρῶτος, ὧν ἂν ἴσμεν, συναγαγὼν βιβλία, καὶ διδάξας τοὺς ἐν Αἰγύπτῳ βασιλέας βιβλιοθήκης σύνταξιν, *Ariſtoteles primus omnium, qui nobis ſunt noti, bibliothecam compoſuit, idque Aegypti reges facere docuit.*

V. Nouæ vrbi a ſe conditæ Alexander M. more ſua nouos reges, ex Macedonum gente ortos, reliquit, imperii diuiſione Ptolemæo, Lagi Filio, ſtrenuo duce Alexandri, Aegypti regnum poſt multas concertationes conſecuto. Hic, an filius ſucceſſor, auctor Alexandrinæ bibliothecæ fuerit, non eſt omnium certiſſima conſenſio. A. Gellius extremo lib. VI *Ptolemæ-*

is,

Digitized by Google

it, vt pluribus, tantæ bibliothecæ collectionem tribu-it. *Ingens*, inquit, *numerus librorum a Ptolemæis regibus vel conquiſitus, vel confectus eſt, ad millia ferme voluminum ſeptingenta.* Proinde clari ſcriptores ſunt, qui tam primo Ptolemæo, quam ſucceſſori Philadelpho, hoc opus intribuunt: quidam etiam ſoli primo. Irenæus enim lib. III. c. XXV *Ptolemæum Lagi filium* bibliothecæ nominat conditorem: & Clemens Alexandrinus lib. I. Strom. p. 341. verſas ait fuiſſe ſcripturas ex Ebræo ſermone in Græcam linguam ἐπὶ βασιλέως Πτολεμαίου τοῦ Λάγου, ἤ ὥς τινες, ἐπὶ τοῦ Φιλαδέλφου ἐπικληθέντος, *ſub Ptolemæo Lagi: aut, vt dicunt nonnulli, ſub altero Ptolemæo, qui Philadelphus nominatus fuit.* Conciliari nobis videtur inter vtramque ſententiam poſſe. Ingens opus & immenſus labor tantum librorum numerum comportare ex omnium gentium librariis theſauris conquiſitum, vt adeo vix vnius hominis ſit, aut vnius ætatis tantam rem conficere. Quid ſi ergo dicamus, a Lagi filio cœptum fuiſſe; a nepote conſummatum opus, ſi conſummari poteſt; cui ſemper aliquid reliquum eſt, quod poſterorum induſtria augeatur? Non enim dubitamus, ſubſequentes etiam reges huic ampliſſimæ bibliothecæ ſuos quemque cumulos addidiſſe. Quod dum dicimus, ita quidem ſocios vel inſtituendæ vel cumulandæ admittimus bibliothecæ, vt primas partes, h. e. præcipuas, Ptolemæo Philadelpho, ſecundo Aegyptiorum poſt Alexandrum regi, concedamus. Ita veteres, recentes ſcriptores plerique Ioſephus, Epiphanius, Cedrenus, Iſidorus, & alii, & qui ad hos provocat Iuſtus Lipſius de Bibliothecis Syntagm. cap. II.

Digitized by Google

VI. Flauius Ioſephus, cordatiſſimus ſcriptor, lib. XII. cap. II Antiquit. Iud. Demetrium Phalereum, ex Athenis ſuis exſulem, fuiſſe *ἐπὶ τῶν βιβλιοθηκῶν τοῦ βασιλέως, regiis bibliothecis præfectum* tradit, qua fide, varie diſputatur ab eruditis. Hunc dicit in mandatis habuiſſe, *πάντα τὰ κατὰ τὴν οἰκουμένην συναγαγεῖν βιβλία, omnes ex orbe terrarum conquirere codices*, quod ille etiam ſtudioſiſſime effecerit, vt rex, audito numero librorum quot collegerat & quot breui habiturus eſſet, lætatus fuerit, & ad pergendum in colligendo exſtimulauerit. Hauſit hæc Ioſephus ex Ariſtæi, vt ipſe non diffitetur, Hiſt. Iud. cuius *ἀποσπάσματα*, & inter ea colloquium regis Philadelphi cum hoc Demetrio, huiusque epiſtolam ad regem de Iudaicis libris, & regis epiſtolam ad Eleazarum pontificem, Euſebius de Præpar. Euang. lib. VIII. ſub initium refert. Vnde communis ex traditione opinio plurimorum de Demetrio Phalereo curatore bibliothecæ in Aegypto regiæ.

VII. Abunde eruditum & ſatis idoneum tantæ rei perficiendæ Demetrium fuiſſe, non eſt quod dubitemus, quippe ipſe librorum amantiſſimus fuit, & *πλήθει βιβλίων καὶ ἀριθμῷ στίχων σχεδὸν ἅπαντας παρελήλακε τοὺς κατ' αὐτὸν περιπατητικοὺς εὐπαίδευτος ὢν καὶ πολύπειρος παρ' ὁντινοῦν, multitudine librorum & numero ordinum omnes ſuperauerit, peripateticos, doctiſſimus ipſe & peritiſſimus omnium confeſſione*, vt Diogenes Laertius in vita huius Demetrii præclare iudicauit. An vero Demetrius Philadelpho vnquam hanc operam præſtiterit, magna lis eſt & controuerſia. Demetrius clarus antea & tantis meritis

ritis in rempub. fuit, vt pluſquam trecentis ſtatuis Athenienſes ipſum honeſtarent, quorum tandem inuidiam, vti fit facile in populari republica, grauiter incucurrit, & exſul ad Ptolemæum Lagi, Aegyptium regem, ſe recepit, a quo benigne exceptus, ad varia negotia adhibitus offendit regis filium, poſtea Philadelphi cognomine inſignitum, quod ſuaſerat patri, vt regnum non ad hunc, ſed alterius vxoris filium transferret. Sic factum, vt patre defuncto vita, ſucceſſor Philadelphus huius conſilii auctorem Demetrium in cuſtodiam daret, in qua ipſe eodem anno vitam aſpidis morſu finiuit. Quod ſi eſt, vti doctiſſimi viri ex Hermippo apud Laertium demonſtrant, e quibus ſolum Scaligerum in Euſebium num. MDCCIV allegaſſe ſufficiat; hoc, inquam, ſi eſt, quomodo auctor & collector Philadelphi bibliothecæ fuit, qui primo eius anno & captus ſiue cuſtoditus, & mortuus fuit?

VIII. Nolumus tantæ auctoritati refragari, neque nobis Ioſephus obſtat aut quiſquam alius veterum, quia, vt ipſi fatentur, non tam propria, quam Ariſtæi fide nituntur, quam infra in eadem materia dubiam ſuſpectamque habebimus. Nec vero fabulam eſſe, quicquid huius rei eſt, facile conceſſerimus, quia ſupra dictum, non vnius forte Ptolemæi hoc opus fuiſſe, ſed cœptum haud dubie a patre, continuatum à filio & poſteris. Sic fieri potuit vt patri Ptolemæo id officium præſtaret, in primis ſeminibus bibliothecæ ſpargendis, quod poſtea filio præſtitiſſe Ariſtæus & ſequaces crediderunt. Quod ideo curatius examinandum nobis fuit, quia ex Ariſtæi fide primus auctor fertur re-

 gi-

gi fuiſſe, vt Iudæorum Ebraicos libros ad augendam bibliothecam ſuam curaret Græce transferri. Vt enim Euſebius dicto libro cap. II ex Ariſtæo referentem Demetrius regi dixiſſe perhibetur, *προσηγγέλταί μοι καὶ τὰ τῶν Ἰουδαίων νόμιμα μεταγραφῆς ἄξια καὶ τῆ παρά σοι βιβλιοθήκης εἶναι, nunciatum ſibi eſſe, Iudæorum quoque monimenta, quæ deſcriberentur, ac regiam bibliothecam augerent, eſſe digniſſima.* Num vero Athenienſi exſuli plus conſtiterit de re libraria Iudæorum, quam ipſis Ptolemæis, non ſine cauſſa dubitatur. Ex Ioſephi enim libro XII ineunte conſtat, Ptolemæum Lagi vrbem Hieroſolyma ſabbato die, quo religio Iudæis erat reſiſtere, occupauiſſe, quod apud eundem ipſis Agatharcides Cnidius irridens exprobrauit, quod dum ſuperſtitionem colerent, libertatem amiſiſſent. In illo regis ingreſſu in vrbem, & quidem, vti ſimulabat, *ὡς θύσων quaſi ſacrificaturus eſſet*, non dubitamus, illorum ſacra perluſtraſſe, & librorum quoque inſpexiſſe armaria, & de illorum rebus ex colonia Iudæorum, quam ſecum in Aegyptum deducebat, edoceri potuiſſe, antequam Demetrius in Aegyptum veniſſet, Iudaicarum rerum, vtcunque peritiſſimus ceterarum, vel parum vel minime conſultus.

IX. Quod ergo id ſola Ariſtæi auctoritate ſtabat, omnino vacillabit, ſi, quanta illa ſit aut eſſe debeat, ex eruditorum ſententiis colligemus. Vir clariſſimus Humfredus Hody, Anglus, contra hiſtoriam Ariſteæ (nam & ita appellatur) de LXX Interpret. diſſertatione, abhinc vndecim annis Oxonii edita, doctis approbauit, Ariſteæ illam hiſtoriam ab Iudæo quo-

quodam confictam fuiſſe, ad conciliandam auctoritatem verſioni Græcæ. Iudaicam, ait, vanitatem referre, quod de Iudæis ſcribitur, tanta Philadelphi magnificentia decoratis impetrandæ Legis cauſa; & alia multa notauit, quæ ſcriptorem Iudæum produnt. Qui quod rationes adfert non contemnendas, facile nos argumentis ſuis perducit, vti in illius ſententiam concedamus; quæ tamen ſingula infra, cum de modo tranſlatæ ſcripturæ ex hoc Ariſtea diſputabimus, pluribus verbis, nec ſine pondere argumentorum, perſpicue demonſtrabuntur.

X. De Demetrio ſatis dictum tam quod contra ipſum obiici poterat ex temporum rationibus, quam quo pacto conciliari controuerſia & mitigari dubiatio poſſit. Addimus vnum forſan non pœnitendum argumentum: quæ Ariſtæus & Flauius Ioſephus Demetrio tribuunt Phalereo in cauſa bibliothecæ ſtruendæ & augendæ Lege Ebræorum; ab Gorionide iuniore, quem Ebraicum Ioſephum dicunt, cap. XVII. tribui Ariſtæo & Andreæ, regiis conſiliariis, quia in libro quem diximus Iudæum quendam ſub Ariſteæ, (nam & ſic ſcribitur) nomine finxiſſe, vti ex illo Ioſephus libr. XII cap. II. excerpſit, laudantur οἱ τιμιώτατοι φίλων, ἄνδρες ἀγαθοὶ κ παιδείᾳ διαφέροντες. *præſtantiſſimi ex regiis conſiliariis, viri optimi & eruditione excellentes.* Accedit, quod epiſtola Demetrii ad regem Philadelphum, quam vtdiximus, ex Ariſteæ hiſtoria Euſebius libr. VIII Præpar. Euangel. recenſet, etiam ſtili ratione doctis viris ſuſpecta videtur, tanquam indigna tam erudito & Attico

quidem ſcriptore. Qua de re vir doctiſſimus Henricus Valeſius Adnotation. ad Euſebii Hiſtor. Eccleſiaſt. libr. v, cap. VIII ſub finem conſulatur. Videtur ergo Iudæus ille, qui Hiſtoriam Verſionis LXX-viralis compoſuit, ad augendum ſplendorem ſuæ gentis & auctoritatem libro conciliandam clariſſimorum hominum nominibus abuſus eſſe, Demetrii & Ariſteæ, illius vt conſultatoris; huius tamquam ſcriptoris hiſtoriæ, quamuis tempora non plane conuenirent.

XI. De rege quoque, cuius auſpiciis ſacrorum librorum conuerſio facta ſit, diſputatur, quam præter ſupra allegatos, etiam Euſebius in Eccleſiaſtica Hiſto. dicto libro v cap. VIII Ptolemæo, Lagi filio attribuit; cum ceteri plerique eiusdem filio & ſucceſſori Philadelpho: quod laudatus Valeſius dicto loco cum Dionyſ. Petauio ita conciliat, quod Philadelphus fere biennium cum patre regnauerit, quo tempore forſan huiusmodi conſilia vel agitata primum, vel perfecta etiam fuerint, licet malimus ad initia referre, quidquid huius rei eſt, quam ad operis conſummationem.

XII. Sunt tamen clariſſimi viri, qui Ptolemæo Philadelpho plane denegant opus hoc diuinum & auſpicatiſſimum, inducti regis huius impietate, cui parricidium, fratricidia, inceſtum & neſcio quæ alia ſcelera obiiciunt, quaſi indignum ſit, ab eiusmodi homine ſacras ſcripturas in linguam exteram gentium. Sed his ſatisfecit, quem iterum honoris cauſſa nominamus, Humfredus Hody, contra Ariſteam Diſſertatione cap. XIX, negando patricidium,

quod

quod ex Cornelio Nepote de Regibus, adferebant; defendendo ſupplicia fratrum, tanquam rebellantium & reorum læſæ maieſtatis, excuſando inceſtum conſuetudine & more gentium; atque ita alia quoque minius interpretando vitia: qui potius ex Athenæi libr. v. cap. v. extremo cenſet Philadelphum Ptolemæum τῶν πάντ' ἄριστον fuiſſe, h. e. *vndequaque optimum*; & ex libr. XII. πάντων σεμνότατον γενόμενον τῶν δυναστῶν, *omnium grauiſſimum principem*: vt ſic non dubitemus, Philadelpho deberi & bibliothecæ conſummationem & procurationem Legis Iudaicæ in Græcam linguam conuerſæ; quamuis, quam Ariſteas & Ioſephus tradunt, religionem & pietatem erga cultum Iudaicum, nolimus admittere, ſummo eius augendæ bibliothecæ ſtudio, & variæ eruditionis cupiditati verſionis illius operam imputantes, quippe παιδείας εἴ τις ἄλλος καὶ αὐτὸς ἐπιμεληθεὶς, *litteraturæ, ſi quis alius, ſtudioſiſſimus erat*, vt dicto libro XII pag. 536. illum Athenæus laudauit: ſeu *litteraturæ ſagaciſſimus*. vt Tertullianus de eo ſcripſit Apolog. cap. XVIII.

XIII. Quiſquis ergo fuit, qui Ptolemæo conſilium de vertendis Ebræorum ſcripturis dedit; ipſos Interpretes, eorumque numerum atque dignitatem conſiderare nunc noſtrum erit. Ex Ariſteæ libro, quem ſecutus eſt Ioſephus Græcus, LXXII dicuntur exſtitiſſe, ἓξ ἀπὸ φυλῆς ἑκάστης, *ſex ex qualibet tribu*, & totidem petiiſſe ab Iudæorum pontifice regem, per tribus ſuas ita diſtributos, iidem auctores addiderunt. Fabuloſum hoc multis videtur, etiam Scaligero in Euſeb. Adnotationibus, quod fieri non

potuerit, vt Iudæorum pontifex ex ſingulis decem tribubus, olim ab Aſſyrio rege in captiuitatem abductis, vnde nunquam reuertiſſent, conſcripti ad regem Ptolemæum mitterentur. Nolumus controuerſiam reuocare, vtrum reuerterint ab exilio Iſraelitæ, an nunquam reducti fuerint; illud tamen negare non poſſumus, quod ex decem tribubus aliqui in Babylonia fuerint collocati, qui poſtmodum in Chaldæorum Perſarumque poteſtatem venerint, atque ita cum Iehudæ tribu Perſarumque beneficio redierint, vnde in Euangeliis quoque aliarum tribuum, vt Naphthali, Sabulon, Aſer &c. mentio inuenitur. Nec vero propterea tam amplum numerum interpretibus damus, quia neque neceſſarius fuit, neque illo tempore conquiri facile a pontifice potuit. Habuit ille rex in Aegypto ſua Iudaicam coloniam, habuit & Samaritanam, vti Ioſephus tradit libr. XII cap. I, a quibus & legis Ebræorum codicem & interpretes non imperitos potuiſſet impetrare, vt opus non fuerit excire tam ſplendida legatione ex Palæſtina; ſed vtique concedatur, maluiſſe regem a ſummo Pontifice, quam a ſuis colonis & Legem & interpretes, maioris fidei & auctoritatis cauſſa, impetrare. Aliter paullo Gorionides Ebræus d. l. miſſum a Pontifice Eleaſarum, poſtea martyrem, cum LXX viris in Aegyptum rogatu regis, & vertendæ ſcripturæ præfuiſſe, nempe אלעזר הכהן עם הע זקנים הכהנים החכמים המליצים *Eleaſarum ſacerdotem cum LXX ſenioribus ſacerdotibus, ſapientibus, & interpretandi peritis.* Suſpecta multitudo numeri,

ri, cùm pauciores rem conficere etiam potuerint. Quapropter non contemnendam cenſemus Talmudicorum ſententiam, qui in Maſſechet Sopherim חמשה זקנים *quinque ſeniores* fuiſſe tradunt, qui Ptolemæo verſionem adornauerint. Quod ſi eſt, uti omnino vero ſimilius apparet, etiam LXX illas cellulas occludi putamus, quibus ſcripturam in Græcum tranſtuliſſe olim ferebantur. S. Hieronymus lib. II aduerſus Rufinum cap. VII *neſcio*, inquit, *quis primus auctor ſeptuaginta cellulas Alexandriæ mendacio ſuo exſtruxerit, quibus diuiſi eadem ſcriptitarint, cum Ariſteas eiuſdem Ptolemæi ὑπερασπιστὴς, & multo poſt tempore Ioſephus, nihil tale retulerint, ſed in una baſilica congregatos contuliſſe ſcribant.* Vere dixit nec Græcum Ioſephum, nec, quem ille ſecutus eſt, Ariſteam de cellulis habere; Ebræum autem Gorionidem eas poſuiſſe non ignoramus, quippe d. l. de LXX ſacerdotibus eruditis, quos Eleaſarum, pontificem Alexandriam adduxiſſe, tradiderat, ſcripſit,

ויתן להם תלמי המלך ע' בתים ויבדיל איש
מרעהו ויתן לכל א' מהם ספרים יונים יודעים
לשון יונית וספרות וחכמותיה כמשפטה

dedit illis rex Ptolemæus ſeptuaginta ædiculas & ſeparauit ſingulos, & addidit ſingulis illorum ſcribas Græcos peritos linguæ Græcæ & ſcripturæ eius & ſapientiæ ſecundum indolem illius. Iuſtinus Martyr Paræneſi ad Græcos pag. XIV tradit, ſe vidiſſe τὰ ἴχνη τῶν οἰκίσκων ἐν τῇ Φάρῳ ἔτι σωζόμενα, *veſtigia domunculaurum iſtarum ad Pharum adhuc reliqua*: quas pag. XIII dixerat ἰσαρίθμους τῶν ἑρμηνευόντων οἰκίσκους μικροὺς, *pari cum interpretibus numero paruas domunculas.*

Sed

Digitized by Google

Sed valde veremur, credulitate deceptum ab Alexandrinis Iuſtinum fuiſſe. De mirabili tot diſſidentium conſenſu res nota eſt, & eſſet vtique miranda, ſi firmiore argumento & numerus interpretum & ſeparatio ſcribentium probari poſſit. Quapropter videtur Ariſteas, aut qui ſub huius nomine hiſtoriam illam Iudæus Alexandrinus compoſuit, & numerum & conſpirationem interpretantium in gloriam ſuæ gentis auxiſſe, quem Ioſephus quoque eiuſdem gentilis, imitatus eſt: de cellulis autem alii poſteriori ætate ad augendum miraculum adiecerunt. Vnde traditio manauit, quæ etiam apud plurimos Eccleſiæ Patres, qui magni fecerunt illam verſionem, locum inuenit. Sed incertior ratio; quia Epiphanius de Menſ. & Pond. cap. ait tantum xxxvi cellulas, & binos ſingulis incluſos interpretes memorauit. Appelletur autem LXX *Interpretum* tralatio, quamuis in numerum interpretantium iurare nolimus, nec poſſimus etiam certioribus documentis comprobare.

XIV. De Codice in Græcam linguam tranſlato nunc diſquirendum eſt. *Ariſteas*, vel Iudæus ſub huius nomine, ad augendum ſuæ Legis ſplendorem, & ex eo Ioſephus d. l. codicem legis *litteris aureis* ſcriptum a pontifice miſſum eſſe tradiderunt. Legatos, aiunt, a pontifice ad regem veniſſe *μετὰ τῶν διφθερῶν, αἷς ἐγγεγραμμένους εἶχον τοὺς νόμους χρυσοῖς γράμμασιν, cum membranis, quibus Leges inſcriptas litteris aureis habebant*: quod multi ad ποθήσει auctoris euincendam adhibent, quaſi Iudæis non alio colore, quam atramento, Talmude teſte, legem licuiſſet

iſſet tranſcribere. Quibus vir magno ingenio Iſaacus Voſſius de LXX Interpret. cap. IV reſpondet, Rabbinicum id commentum eſſe, & longe receptius quam vel ipſos Interpretes LXX, vel auctorem Ariſtæi nomen præferentem vel etiam Flauium Ioſephum, quos, tanquam Iudæos, non decuerit illud referre, quo abſtinuiſſent vtique ſi contra morem patriæ fuiſſe intellexiſſent. Finge vero licitum fuiſſe aureis literis legem exarare; nec vero exinde probaueris, certum omnino eſſe, quod de colore literarum Ariſtæus & Ioſephus prodiderunt, cum ab iſto etiam in gratiam gentis & honorem confingi ita potuerit.

XV. Grauior controuerſia eſt de ipſo codice, quantus ille fuerit, quantum ſcripturæ complexus ſit, ſolumne Pentateuchum, ſeu legem continuerit, an etiam Propheticos libros & Hagiographos. Ioſephus Prooemio Antiq. Iudaic. οὐδὲ πᾶσαν τὴν ἀναγραφὴν ἀλλ' αὐτὰ μόνα τὰ τοῦ νόμου, *non totam ſcripturam, ſed ea tantum, quæ legis ſunt*, conuerſa regi Ptolemæo refert. Vnde etiam lib. XII, cap. II νόμον, *legem* tantummodo appellat, cui ſententiæ multi adhærent viri clariſſimi. Contra Gorionides Ebræus d. l. ויבארו הכהנים את ספר התורה ואת שאר ספרי המקרא כ״ד ספרים ומליצים מלשון הקדש ללשון יונית *expoſuerunt ſacerdotes librum legis & reliquos libros ſcripturæ, viginti quatuor libros, & conuerterunt ex lingua ſancta in Græcam.* Hoc numero & conſueta formula עשרים וארבע *viginti & quatuor* totum ſuam ſcripturam Canonicam Rabbini appellant. Sed plurimi Iudæo-

rum

runt cum Ioſepho faciunt. Solus forſan Abarbenel ſingulari via incedit commentario in Daniel. pag. xxi, qui exiſtimat interpretes illos tranſtuliſſe omnes libros, qui ante captiuitatem conſcripti fuerant; non autem poſteriores. Sane ſtilus Pentateuchi Græci ab Hagiographis multum differre non incertum eſt, vt adeo doctiſſimi viri Io. Buxtorfii conciliatio nobis tutiſſima videatur in Anticrit. Parte II cap. VIII. *Dubitant*, inquit, *præſtantiſſimi auctores, tam veteres quam recentes, immo, quid dico, dubitant? indubitanter pronuntiant*, LXX. *Seniores Ptolemæo non vniuerſam ſcripturam, ſed ſolam Legem Moſis tranſtuliſſe: reliquos a variis, & variis temporibus translatos eſſe, ac fortaſſis non ita peritis, vt* LXX *illi fuerant.*

XVI. Quamuis ergo Hieronymus in Ezech. v. ſcribat, *& Ariſteam, & Ioſephum, & omnem ſcholam Iudaeorum quinque tantum libros Moſis a* LXX *translatos adſerere*, quibus ipſe reclamare non audet: tamen id non eo trahendum eſt, quaſi ante Chriſtum natum Prophetæ Græce non exſtiterint, qui ab aliis ad Pentateuchi exemplum poſtea haud dubie conuerſi ſunt. Siracides enim in Prologo dicit, non ſolum νόμον, ſed etiam τοὺς προφήτας καὶ τὰ λοιπὰ τῶν βιβλίων in verſione aliquid differentiæ habere ab Ebraico contextu. Ergo illius ætate Græce translatos Prophetas fuiſſe oportet. Immo plures vna verſiones exſtitiſſe probabile eſt, quod Patres vetuſtiſſimi non vno modo allegant, & Hieronymus Epiſt. cxxxv ad Suniam & Fretelam dicit, *alia eſt editio, quam Origines & Cæſarienſis Euſebius,*

omnes-

omneſque Graciæ tractatores κοινὴν, id eſt, communem appellant, atque vulgatam, & a pleriſque nunc Λουκιανὸς dicitur; alia LXX Interpretum, quæ & in ἑξαπλοῖς codicibus inuenitur, & a nobis in Latinam linguam fideliter verſa eſt. Hanc vulgatam, ſeu communem verſionem itidem Græcam in locum & nomen genuinæ LXX-viralis, poſtquam authenticum eius exemplar, quod in regia bibliotheca erat, Alexandrino bello combuſtum fuit, ſucceſſiſſe contendit vir illuſtris Iacobus Vſſerius Syntagm. de LXX interpretibus.

XVII. Sic non dubitandum eſt, bonam verſionem, & accuratam, ab interpretibus Ptolemæo adornatam fuiſſe, & in regia bibliotheca repoſitam. An autem illa prima omnium verſionum fuerit, in quæſtionem nunc adducimus, inducti Ariſtobuli Peripatetici, vetuſti ſcriptoris, auctoritate, qui apud Euſebium de Præpar. Euangel. libr. XIII cap. XII, ait, Ebræorum hiſtoriam *κ᾽ ὅλης νομοθεσίας ἐπεξήγησιν* conuerſam fuiſſe ante Demetrium Phalereum & imperium Perſarum. Verum hiſce non mouemur, quo minus primas partes LXX-virali tribuamus, quam ipſe Ariſtobulus ibidem ſingularibus laudibus ornat, cuius priora verba de hiſtoria rerum Iudaicarum, quæ a Græcis etiam notata fuerat; non de Bibliorum conuerſione interpretamur.

XVIII. Difficilior quæſtio eſt, an ſuperſit LXX Interpretum Græca verſio. Negat Vſſerius d. l. & quidquid ſuperſit, eſſe ex communi illa & vulgata credit, idque miſere a librariis ſubtractione, additione,

Digitized by Google

one, aliisque modis deprauatum. Contra Iſaacus Voſſius huic verſioni plurimum tribuit, tanquam genuino LXX. virorum operi, eamque ſolam verioris ſenſus participem eſſe, adeo, vt Ebræum quoque codicem, tanquam ab Rabbinis interpolatum, præ illis deprimat, in quo etiam Ludouicum Cappellum conſentientem habuit, cuius ſummum in eo ſtudium fuit, vt ex Græca verſione Ebræum textum, vt putabat, emendaret. Sed auſis hiſce haudquaquam tolerandis tum alii reſtiterunt clariſſimi viri, tum maxime Ioannes Buxtorfius in Anticrit. Sacra. Audaciores hos fecit diſcrepantia, quæ inter Ebræum textum eſt, & inter Græcam, quæ ſupereſt, verſionem, quæ vnde orta ſit, poſtmodum disquiremus. Nunc ad quæſtionem noſtram, eademne ſit an diuerſa, quæ exſtat verſio; reſpondemus, mediam viam & hic tutiſſimam eſſe, vt dicamus, non plane quidem diuerſam eſſe, tamen innumeris locis ita variatam, immutatam, turbatam, corruptam, vt plane alia videatur eſſe. Nec vero omnem illum diſſenſum, quod Hieronymus in Epiſt. CVIII putat, *ſcriptorum culpa adſcribendum eſſe* cenſemus, *dum de emendatis inemendata ſcriptitant*: ſed plures aliæ inueſtigari cauſſæ poſſunt tam memorabilis inter vtrumque codicem differentiæ.

XIX. Variæ ſunt cauſſæ ab eruditis inuentæ, cur diſſideant Græci ſæpenumero a lectione codicis Ebræi. Reprobamus quidquid exinde infertur contra Ebræam veritatem, quaſi corruptus ab Iudæis fuerit codex ſacer ſiue Ebræus, quem contra quaſcunque accuſationes tueri parati ſumus. Propiores firmi-

Digitized by Google

firmioreſque rationes nobis hiſtoria illorum temporum, & ſtatus Iudæorum eorumque religionis, ſuppeditat. Primum dubitant nonnulli, an Græci illi interpretes conuerterint ſcripturam ex Ebræo textu; nec potius ex Chaldaica quadam paraphraſi: qua de re conſuli poſſunt, quæ Buxtorfius in tractatu de Punctis pag. CXXVI adfert. Quibus non abſimiles ſunt, qui ad Pentateuchum Samaritarum, quam Iudæorum, verſionem magis accedere perſuaſi ſunt, quemadmodum Hottingerus longa ſerie in Theſauro Philolog. a pag. CCXCIIII harmoniam Samaritani & Græcorum demonſtrat. Non autem hæc noſtra facimus, ſed autoribus ſuis relinquentes, dicimus deinde, illud quoque incertum eſſe, fueritne purum correctumque exemplar: quo vſi ſunt illi interpretes. Punctis vocalibus caruiſſe fere omnes concedunt, nec vero inde punctorum nouitatem ſtabiliri cenſemus, quia neque circa conſonantes ſatis ſanus illorum codex fuiſſe videtur, niſi nimis ſupinam oſcitationem eorum ſtatuamus: quod Alphabeti ordine Hottingerus dicto loco a pag. CCCLVI perſecutus eſt. Neque vero ab omni negligentia & oſcitatione eosdem abſoluimus. Aliæ rationes, quæ ſuperſunt, ſatisdare magis noſtræ dubitationi videntur.

XX. Erat illo tempore non optimus ſtatus Eccleſiæ Iudæorum, ſed a litterali ſenſu vt plurimum ad allegoricum deſiliebatur, quæ cauſſa fuit, vt mallent ſenſum aliquem interpretes ſequi, qui tum receptus erat inter Iudæos, quam qui litteris & verborum ordine ex contextu ſe proferebat, quæ Iudaica conſuetudo etiam a Targumiſtis obſeruatur. Adhæc poſt Babyloniam

T capti-

Digitized by Google

captiuitatem non ſatis gnari Iudæi erant purioris Ebraiſmi, ſed lingua vtebantur impura, quæ Syriſmos, Arabiſmos & Chaldaiſmos inſperſos habebat. Inde eruditi obſeruant, Ebræas voces illos ſæpe non ad indolem Ebraiſmi veteris, ſed ad Syrorum, Chaldæorum, Arabum conſuetudinem explicare, v.g. *καθαρίσαι* Eſ. LIII, 10; *νικήσῃς* Pſalm LI, 6; *καταφρονηταὶ* Hab. I. 5; *φθόγγος* Pſ. XIX. 5.

XXI. Maxima autem turbatio & permutatio videtur orta ex Origenis præclaro inſtituto, quo varias editiones, vno volumine comprehenſas, columellis ita diſtinxit, vt diſcrepantia illarum vno intuitu perluſtrari poſſet. Quæ laudatiſſima illa *Tetrapla*, *Hexapla*, *Octapla* Origenis ſunt, deſcripta omnium accuratiſſime ab Epiphanio de Menſ. & Pond. cap. XIX. Voſſius quidem negat Octapla, & ex iis Hexapla facit, aliumque in Hexaplis ordinem conſtituit, ſpreta auctoritate Epiphanii: ſed refutatus fuit a Rich. Simone, Excerpto III adv. Iſaacum Voſſium. Sic coniunctis editionibus factum eſt, præſertim poſtquam ipſe Origenes LXX interpretum oram obſeruationibus circumſcripſerat, ac poſtmodum LXX ſeorſum, vt ſumtui parceretur, edebat cum aſteriſcis, obelis, lemniſcis, epiſemis, quibus aliorum interpretum diſſenſionem, vel additiones, aut detractiones notabat, vt idem tradit Epiphanius; tum, inquam, factum eſt, vt a deſcribentibus confunderentur, quæ diſtincte ab illo poſita erant; aut ex ora in textum reciperentur, cuius rei clariſſimum exemplum eſt Pſ. XXIX, 1 vbi בני אלים in Græca noſtra editione bis conuerſum legitur, ſemel *υἱοὶ Θεοῦ*, iterum *υἱοὺς κριῶν*, quod eius generis manifeſtam confuſi-

fuſionem arguit ex duabus diuerſis editionibus ortam, cum abſonum ſit ſtatuere, LXX Interpretes vnam vocem gemina atque diuerſæ notionis interpretatione voluiſſe explicare. Nullum itaque dubium eſt, quin in hodierna Græca editione multa compareant, quæ vel Symmachi, vel Aquilæ, vel Theodotionis fuerunt, vel e quinta aut ſexta editione transſumta, quod difficilius obſeruamus, quia cæteræ editiones omnes perierunt, & vix pauca fragmina apud Patres reperiuntur reliqua. Illud quoque non improbabile eſt, præter laudatas illas verſiones, quæ confuſæ fuerunt à deſcribentibus, etiam aliorum additamenta, aut mutationes acceſſiſſe; cum pia induſtria Chriſtiani antiqui in ora adleuiſſent, quæ explicationis cauſſa in ſuum vſum adſeruarent: aut imitatione pericopen ſimilem expreſſiſſent, quæ poſtea a deſcribentibus cum veteri textu fuerunt commixta, aut loco alieniore adiecta & interpoſita.

XXII. Exemplum proferamus. ſic addita ſunt Eſa. XXIX.3. *ὡς Δαβὶδ*, & Pſalm. XXXIV. 17. *δίκαιοι*, &c. Detractionis, quæ facilius obrepere inter deſcribendum poterat, exempla ſunto Ier. XXXI, 8. & XXXIII. in tota parte poſteriore, item cap. XXXIX, a v. 4-14.

XXXIII. Quod ſupra diximus, LXX interpretes ſaltim alios cum iis confuſos & permixtos, non fuiſſe immunes ab oſcitatione aut *παροράμασι*; id paucis exemplis nunc oſtendendum eſt. S. Hieronymus in Hoſ. II. 14. *pro SALTV*, inquit, *quod* Ebraice *dicitur* יער *LXX tranſtulerunt*, *TESTIMONIVM*, ד & ר *litterarum falſi ſimilitudine.* Sic Zachar. XII. 10. iisdem litteris permixtis aut traiectis דקרו, quaſi רקדו verterunt

αὐϑ' ὧν κατωρχήσαντο. Quidam libri præmittunt etiam veram interpretationem ἀνθ' ὧν ἐξεκέντησαν, quæ verba reſecta ſunt ab Anglicana in Polyglottis: olim autem coniuncta fuiſſe, ex Hieronymi Commentario videtur probari poſſe, qui ita adnotauit: *Ebraica littera* ר & ד *ſimiles ſunt & paruo tantum apice diſtinguuntur. Ex quo euenit, vt idem verbum, diuerſe legentes* (LXX) *aliter transferant.* Sed rectius cenſueris, eiusmodi geminam interpretationem ante Hieronymi tempora ex diuerſis editionibus coaluiſſe, ad eum modum quem paullo ante ad Pſalm. XXXIX, I. indicauimus.

XXIV. Hæc & ſimilia non obſtabant, quin magna apud priſcos Græcos Chriſtiana profeſſione huius verſionis auctoritas eſſet, præſertim, quod plerique rudes eſſent Ebraiſmi, qui vix tribus ex patribus, Origeni, Epiphanio (nec huic pleniſſime) & Hieronymo cognitus ac perſpectus fuit. Accedit graue pondus ad auctoritatem, quod ipſi Apoſtoli θεόπνευστοι ſæpenumero hac verſione vſi ſunt, etiam vbi ab Ebræo textu illa diſcrepat. Inſigne exemplum eſt Act. XV. 17, ex Amos IV, 11, 12, quo referri etiam poteſt Apoſtoli allegatio I. Cor. XV. 55. ex Hoſeæ XIII, v. 14. Scilicet quamuis Apoſtoli diſſenſum illum non ignorarent, tamen omnibus omnia facti (I Cor. IX. v. 22) ſequi LXX maluerunt, *ne animos Neophytorum, qui Græcæ verſioni adſueti erant, diuerſitate non neceſſaria turbarent, atque fidem illius redderent ſuſpectam,* quæ verba ſunt accuratiſſimi viri Io. Friſchmuthi Diſſertat. de LXX Interpret. §. 29. Sic etiam magni nominis Theologus Io. Gerhardus Harmon. Euangel. cap. CXLIIII, de voce

τραῦς

πραΰς Matth. xxi, v. 5. dicit, Euangeliſtam *ſecutum LXX. interpretes*. At vero Zach. ix. 9. non eſt עָנָו quod *manſuetum* ſignificet; ſed עָנִי, quod ſemper paupertatis notionem habet, quæ Iudaicum τῶν LXX ingenium offendit, tanquam indigna eſſet ſuo, quem ſperabant, Meſſia. Poſt quos & alii interpretes Iudæi omnes ita cenſuerunt, Kimchi & Abenmelech, עָנִי כְּמוֹ עָנָו h. e. עני *valere idem quod* ענו; & Raſchi cum Ionathane Chaldæo עִנְוְתָן, i. e. *mitis & manſuetus* interpretantur. Addit Kimchi rationem in Peruſch ad Pſalm ix. v. 19. כי עניים ברוב ענוים *quia pauperes plerumque manſueti ſunt*: nihil tamen obtinet, quo paupertatis notionem ex Zachariæ loco expungat, quæ vſu loquendi, ex ſynonymis דל & אביון h. e. *attenuatus & mendicus*, quibus cum non ſemel coniungitur, firma ſtat & inconcuſſa.

XXV. Eodem loco Zach. xi. 9. paſſiuum נוֹשָׁע ne indignius de Meſſia loquerentur, actiue σώζων, verterunt, quos alii interpretes ſecuti ſunt, Chaldæus פָּרִיק, *liberans*, Syrus ܦܳܪܽܘܩܳܐ *redemtor*, *ſeruator*, vt de recentioribus taceamus. Ebræum autem verbum ſiue cum Kamez legas, vt vult Maſora Parua: ſiue cum Patach, vt Dauid Kimchi tradit, & expreſſit Ioſeph Athias; vtroque modo paſſiuum eſt, illo, participium *ſaluatus*; hoc, *& ſaluabitur*, præterito, vt etiam Kimchi adnotauit, mutato propter præfixi rationem in futurum. Vox enim, vt Theologi interpretantur, conſolationem habet, ne filia Sionis offendatur miſeria Meſſiæ, ex qua liberatum iri propheta promittit, vel, ad certiores rei rationes, liberatum eſſe o-

Digitized by Google

ſtendit, vt alios quoque, immo vniuerſos poſſit liberare.

XXVI. Sic in pretio fuit & magnæ auctoritatis hæc verſio, propterea, quod illa quoque diuini viri vſi ſint; Nec vero exiſtimandum eſt, vbique aut ſemper Apoſtolos ea vſos eſſe, ſed ſæpe etiam ex Ebræo citauerunt, poſthabita verſione Græcorum, v. g. Mathæi II, 15, quæ verba aliter habent apud LXX. Hoſeæ XI. 1. Eadem ratio eſt Matth. VIII. 17, ſi conferatur cum Eſ. LIII. 4.

XXVII. Sed ad auctoritatem verſionis explicandam reuertamur, quam priſci patres, qui ante Hieronymum fuerunt, in modum nimium extulerunt, diuino ſpiritu adflatos interpretes fuiſſe credentes, quod haud dubie ex mirando illo conſenſu per cellulas diſtributorum acceperunt, de quo quid cenſendum ſit, ſupra indicauimus. Ipſe Hieronymus, qui toties hos interpretes hallucinatos fuiſſe oſtendit, aliquando cum vulgo locutus, idem, quod ceteri, interpretibus adiudicauit. Supra citata Epiſt. CVIII, quæ præfatio eſt in librum Paralipomenon, LXX, inquit, *interpretes Spiritu S. pleni, ea, quæ vera fuerunt, tranſtulerunt.* Quod etiam Auguſtinus ipſis tribuit, de Civ. Dei lib. XVIII. cap. XLII & XLIII. Alibi tamen idem Hieronymus epiſt. CXVII (quæ Præfatio in Eſaiam eſt) *Coniicio noluiſſe tunc temporis* LXX *interpretes fidei ſuæ ſacramenta perſpicue ethnicis prodere.* Sint autem venerabiles hi interpretes tam antiquitate, quam vſu & opinione venerabilium Patrum; Interpretes tamen fuiſſe, qui errare potuerunt, nec diuino ſpiritu adflatos nec infallibiles, vtique eſt cenſendum.

XXVIII. Tempus, in quo verſamur, nos aduentus do-

Digitized by Google

dominici ex Iacobi vaticinio Gen. XLIX,10. admonet, fore, vt *Schilo* adueniat, cum ſceptrum ab Iehuda ablatum fuerit. Mirari ſubit, cur LXX id diuinum nomen interpretati ſint *τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ, quæ repoſita ipſi ſunt.* Plerique conſpirant in eo, illos ſine Iod legiſſe שלה pro שילה h. e. *quod ei* vel *eius* ſcil. eſt, quemadmodum & Syrus vertit ܗܘ ܕܕܝܠܗ ܗܝ *is, cuius eſt illud.* An Onkelos etiam eodem reſpexerit, diſquirit Buxtorfius, Anticrit. pag. MCCXIV Ebræo-Samaritanus etiam ſine Iod ſcripſit, quod contra noſtram interpretationem obiicit Iſaacus Voſſius; verum Samaritanis, non particulam ſeu præfixum cum ſuffixo videri, ex illorum verſione clarum eſt, qua eandem vocem, vt ſingularem & memorabilem iisdem litteris repoſuerunt. Quam aptior interpretatio Rabbi Dauidis Kimchi in Lexico ad radicem שיל, quando hanc ipſam vocem, de qua diſputamus, exempli loco ponit, additque פירושו בנו *ſenſus* FILIVS EIVS, ſcilicet Iehudæ. Quod Iudæus quidem pro more a Meſſia ad Dauidem vult detorquere, qui ex tribu Iehuda foret והנבואה על דוד שהוא משבט יהודה *vaticinium*, inquit, *de Dauide eſt, quia is ex tribu Iehuda fuit:* at veritate conuictus, & conſenſu Targumiſtarum, ſtatim addit או על המשיח *aut de Meſſia* explicandum eſſe. Quam prope hæc interpretatio cum lingua Arabica conſentiat, vir doctiſſimus Ludouicus de Dieu Animaduerſ. in V.T. pag. 53. demonſtrauit. Addi poteſt noſtrum Præſidis Etymologicum Philologiæ Sacræ ſubiunctum pag. 59.

XXIX. Tandem etiam, quod ſpatium permittit, ad-

dimus aliquid de XIII. locis, quæ immutaſſe LXX, in Talmud dicuntur, vel in gratiam regis Ptolemæi, vel in gloriam ſuæ gentis. Ex illis vero plurima hodie nihil diſcriminis ab Ebræo habent. Exempla in Ialkut in Gen. I. & ab antiquis interpretibus adferuntur, ex quibus quædam indicaſſe ſufficiat. Primus locus eſt principio Geneſeos, vbi vocem Θεὸς præpoſuiſſe dicuntur ita: *Deus creauit in principio*, ne quid anteuerteret nomen diuinum. Alius eſt Exod. IV, 20, vbi חמור non conuerterint ὄνον ὑποζύγιον, ne turpe Iudæis eſſet, ducis ſui coniugem aſino vectam fuiſſe. Vltimus locus aliquoties repetitur Deut. XIV, 7 & Leuit. XI. 6, vbi verbum, quod *leporem* ſignificat, non per λαγωὸν tranſtulerint, ne *Lagi* nepotem regem offenderent, ſed noua tum voce δασύποδα. Verum omnia, quæ huius generis ſunt, minime cenſemus eiusmodi eſſe, vt propterea mutandum aliquid in ſcriptura ſit. Quæ cauſſa eſt, vt eruditi viri has XIII mutationes in fabulis Talmudicis ponant, & perinde explodant ac fabulam de LXX aut XXXVI cellis interpretantium.

XXX. Nec illud prætereundum eſt, quod vir doctiſſimus Io. Lightfoot Hor. Ebr. in Lucæ III, 36, non dubitat ſcribere de LXX, *animo non ſincero ad iſtud ſe opus accinxiſſe, atque imponere Gentilibus nullam illis fuiſſe religionem, at religionem non fauere ſuis. Secundum malam hoc ergo animi temperamentum, quo ſe ad opus iſtud addixerunt, geſſerunt ſe in ipſo opere. Hinc addunt & decurtant pro libitu, oſcitanter, cæcutienter, audacter: vertunt in ſenſum ſæpiſſime alienum, non raro contrarium, aliquando nullum; & multoties vel in patrocinium ſuarum, vel in fugam ſcandali textus*

ſacri,

ſacri, vel pro fama aut incolumitate gentis ſuæ. Quorum omnium indicia turmatim proferre, non eſſet arduum, ſi iſti operi incumberemus. Quod ſi eſt, vti non alienum videtur ab ingenio Iudæorum; nouam ad validam rationem habemus diſcrepantiæ inter vtrumque codicem Ebræum atque Græcum.

ADDITAMENTA.

DE Ariſtæo quæ ſupra diximus, hauſta ſunt ex excerptis eius apud Ioſephum & Euſebium. Alio Ariſtæi codice vſus fuit Epiphanius de Menſ. & Pond. libro, quæ diuerſitas argumento eſt, librum illum non genuinum fuiſſe, ſed fabuloſe confictum, cum, quæ vera ſunt, ſibi magis conſtare ſoleant. Vide modo epiſtolam regis ad pontificem cap. X.

II. Quod ſupra num. XVII diximus, LXX-viralem verſionem credi omnium antiquiſſimam eſſe, inter Græcas ſaltim, id confirmat etiam Epiphanius d. lib. de Mens. & Pond. cap. IX. *πρῶτοι μὲν ἑρμηνευταὶ γεγόνασι τῆς αὐτῆς θείας γραφῆς ἀπὸ ἑβραϊκῆς διαλέκτου εἰς ἑλληνίδα, ἑβδομήκοντα δύο ἄνδρες τὸν ἀριθμὸν, τὴν αὐτὴν πρώτην ἑρμηνείαν ἐπὶ τοῦ πτολεμαίου Φιλαδέλφου ἑρμηνεύσαντες, primi interpretes ſcripturæ ſacræ, ex Ebræa dialecto in Græcam convertendæ, LXXII viri fuerint, qui illam primam verſionem ſub Ptolemæo Philadelpho fecerunt.* An priores exſtiterint paraphraſes Chaldaicæ, non apertum eſt. Buxtorfio de Punctis p. 120, 134, non videtur improbabile, ſtatim poſt Eſræ tempora eiuſmodi tralationes in vſu fuiſſe. Alii vero negant, quia Nehe-

mias, Haggai, Zacharias, Malachias, Ebraice poſt captiuitatem ſcripſerint, ex quo conſtare putant, Ebræam linguam non penitus exſpiraſſe apud reduces captiuitatis. Cum verò longum tempus intercesſerit inter reditum Iudæorum & Ptolemæum Philadelphum; non abſimile veritati videtur, fuiſſe ſaltim medio tempore, paraphraſes, quæ explicationem legis & prophetarum populo conferrent, qui Ebraice non ſatis peritus illis temporibus erat.

III. Aduentus Dominici tempus illud Pſalm. XL, 8, in memoriam vocat: *Ecce venio: in volumine libri ſcriptum de me.* Verbum *voluminis*, vti ex Ebræo ſonat, varie redditum Græcis interpretibus, Aquilæ ἐν τῷ εἰλήματι: Symmacho ἐν τῷ τεύχει, aliis, ἐν τόμῳ. Antiquiſſima haud dubie verſio eſt, quæ in noſtris Bibliis retinetur, & ab Apoſtolo Ebr. X. 7. probata eſt, ἐν κεφαλίδι βιβλίου, quod vulgatus Latinus expoſuit, *in capite libri*; etiam Syrus interpres ܒܪܫ ܟܬܒܐ *in capite* ſeu *principio ſcripturarum.* Vnde pie nonnulli coniiciunt, ad Proteuangelium interpretes reſpexiſſe. Nicolaus autem Fullerus, vir doctiſſimus, erudite ſuſpicatur Miſcell. lib. II. cap. VIII, Syro Chaldaicum קפל, quod *conuoluere* & *complicare* ſignificat, in animo habuiſſe. Non improbabile videtur, quia & alibi Ebræas & Chaldæas voces in verſione ſua retinuerunt Græci, vti θίβις vel θήβη Exod. II, 3; & γειώρας, Exod. XII, 17. probant quorum illud *arcam* ſignificat, vt תיבה Ebraicum: hoc *peregrinum*, vt גיורא Chaldæorum. Quid? quod & alibi, vbi nullum πρῶτον, aut *initium*, locum

ha-

Digitized by Google

habet, iidem interpretes מגולה κεφαλίδα verterunt: Ezech. II. 9. מגלת ספר κεφαλὶς βιβλίου: & cap. III v. 1, 2. מגלה ſolum, κεφαλίδα; etiam Eſræ VI. 2. מגלה κεφαλίς.

IV. Verbum רקיע dum LXX ςερέωμα, *firmamentum* vertunt, veterem philoſophiam ſequuti ſunt, quæ cœlum durum & ſolidum, inſtar æris aut cryſtalli eſſe docuit. Sed neque vim vocis Ebrææ expreſſerunt, neque cum noua conuenerunt philoſophia, cuius obſeruationibus conſtat, eſſe cœlum corpus tenuiſſimum, ſubtiliſſimum & maxime fluidum.

DISSERTATIO XIV.

DE PRIMO PRINCIPE CHRISTIANO,

habita ann. 1698.

Singulare bonitatis diuinæ argumentum eſt, quod, quum omnes gentes in deuiis errarent, ſe ἀμάρτυρον eſſe non permiſit, verum tum fama ſui populi, in medio pæne orbe collocati, & reipublicæ ſapienter conſtitutæ; tum maxime ſtupendis admirandisque prodigiis perfecit, vt nemini præcluſa eſſet acceſſio, qua in ritus Iudæorum & ſanctas ac diuinas leges cooptaretur. Quum vero temporis complementum adueniſſet, quo mundi

di SALVS vbique terrarum illuſtraretur; maiori concurſu properatum eſt, & omnium gentium homines in ciuitatem adſcripti, cuius tum pomœria, quæ ſatis anguſta fuerant, iisdem terminis, quibus terrarum orbis, cæleſti benignitate finiri cœperunt. Sed de plebe homines pleriquę atque ignobiles erant, quibus tanquam primitiis ſuis lætata fuit eccleſia: raro nobiliores acceſſerunt, qui plerumque impedimentis, non facile, vt res ſunt hominum, explicandis, illigati ſunt: principes autem viri ſero admodum in diuinam illam ſocietatem peruenerunt.

II. Nec tamen nulla ſpes erat, aliquando fore, vt & illi ad eccleſiam ſe conferrent, quod promiſſum fuerat oraculo, REGES atque PRINCIPES tutores defenſoresque eccleſiæ, Chriſto deuotæ, futuros eſſe. Illis vero temporibus, quibus nata propagataque fuit ciuitas Chriſtianorum, penes Romanos ſumma poteſtas & principatus rerum fuit; cetera regna atque imperia vel his ſubiecta pleraque, vel ſocietatis fœdere coniuncta ita, vt primas vbique partes in habitabili orbe, in quantum cognitus erat, Romani, gens potentiſſima, tenerent. Horum autem PRINCIPES, quos auguſtos imperatores appellamus, quando, eiurata ethnicorum impietate, Chriſto nomen vt Deo dederint, ſaltim fauere Chriſtianorum rebus cœperint, quum non omnium ſententia vna ſit; in præſenti diſcutere, & per Cæſarum hiſtoriam decurrendo inueſtigare, propoſitum iam noſtrum eſt, cui Deus faueat, & in ſuam gloriam ac publicam vtilitatem vertat.

III. Vt Auguſto Cæſare Romano orbi imperitante, HOMO natus eſt Dei FILIVS & mundi ſeruator; ita primum

Digitized by Google

mum diſquirendum eſt, quouſque Auguſto ſuperſtite lux illa diffuſis radiis penetrauerit. In forma SERVI erat tum mundi DOMINVS, & occultari magis ſuos radios, quam latius diſpergi voluit. Oriente quidem toto percrebuerat, vt Suetonius Veſpaſiano cap. IV refert, *eſſe in fatis, vt eo tempore Iudæa profecti rerum potirentur*: ſed pauci admodum fuerunt, qui vim oraculi illius intelligerent, aut, quum tempus adueniſſet, natum eſſe, quem maiores exſpectauerant, ex illo obſeruarent. Iudæi quidam paſtores ab angelo concitati, & in Perſide magi, admoniti inuſitata ſtella, ad ſalutandum nouum REGEM aduenerunt, quibus credo ideo Deus illud magnum myſterium diuinitus patefecit, vt teſtes eſſent, quamuis pauci, ortam iam illam lucem eſſe, quæ radios olim vniuerſo orbi illuminando eſſet diſperſura.

IV. Circumfertur tamen oraculum, tanquam ab Apolline Auguſto Cæſari redditum, quod natæ humani generis ſalutis videtur teſtimonium perhibuiſſe, idque a Cedreno, Suida, & Nicephoro relatum tanquam verum fuit. Tradunt cum Suida, qui id in *Αὔγουστος Καῖσαρ* p. 488 recenſet, Georgius Cedrenus p. 150 edi Baſil. & Nicephorus Calliſtus lib. I. Hiſt. Eccleſ. cap. 17, Auguſtum Delphos profectum, oraculum Apollinis de ſucceſſore conſuluiſſe, Pythiam autem nihil reſpondiſſe? cuius cauſſam quum miratus requiſiſſet, cecinisse tandem hos verſiculos;

(Παῖς) Ἑβραῖος κέλεταί με θεοῖς μακάρεσσι ἀνάσσων
Τόνδε δόμον προλιπεῖν, καὶ ἀΐδην αὖθις ἱκέσθαι.
Λοιπὸν ἄπιθι σιγῶν ἐκ βωμῶν ἡμετέρων.

Hoc

Digitized by Google

Hoc eſt:

Puer Ebræus iubet me, diis beatis imperans,
Hanc ædem relinquere, & ad Orcum rurſus ire.
Ceterum abi tacens ab aris meis.

Quibus perceptis, Auguſtum aiunt Romam reuerſum, in Capitolio aram poſuiſſe, cui Ῥωμαϊκοῖς γράμμασι, *Latinis litteris* inſcripſerit, ARA PRIMIGENITI DEI.

V. Mirandum vtique teſtimonium, ſi certiori auctoritate niteretur. Quod vero ante Suidam, vel Cedrenum, qui fere æquales fuere, nemo idem prodidit; mirabilius omnino eſt, ſi verum eſſet, quod illi tradiderunt, a nullo ſuperiorum, in tanto numero ſcribentium & eccleſiaſticorum patrum & hiſtoricorum, id memoratum eſſe, præſertim quum tot clari viri pro Chriſtiana veritate contra paganos depugnarint, Iuſtinus Martyr, Tertullianus, Minucius Felix, Arnobius Afer, Lactantius, Iulius Firmicus, Auguſtinus, Oroſius, quibus id, ſi cognitum habuiſſent, ſingulare argumentum fuiſſet, quod deorum cultoribus ad veritatem demonſtrandam obiiceretur. Cedrenus quidem ad Euſebium prouocauit, (ὡς αὐτός φησιν Εὐσέβιος) apud quem vero nihil huius rei repetitur, vt vel memoria lapſus ſit ille Georgius monachus, vel vſus Euſebiano codice, cui aliena id manu adſcriptum fuiſſet, quod de hac re in ſynopſin, vt vocat, ſuam, aut magnum opus potius, excerpſit. Nec opus fuit diabolo præcone ad hoc myſterium notificandum, cui ſe operæ quum aliquando obtuliſſet, diuinam vocem audiit, Φιμώθητι, *obmuteſce*. Nec conſonat oraculum vbique, ſed nunc integro verbo, nunc ſyllaba diſcrepant

tres

Digitized by Google

tres illi e Græcia auctores, quod tamen leuius putamus, & facile condonandum, ſi ipſa res ſe rectius haberet. Quidquid vero de hoc oraculo eſt, Græculorum ingenio imputamus, poſteriori æuo ad fingendum facili, & ad leuiter credendum paratiſſimo.

VI. Nihil ergo adferri poteſt, quo fidem aliquis faciat, quamdiu Auguſtus vixit, de nato generis humani vindice ac liberatore quidquam Romæ auditum eſſe: quum illo tempore in ipſa Palæſtina, vbi natus ille erat & educabatur, præter pauciſſimorum conſcientiam, tanti momenti res adhuc omnibus celata fuerit. TIBERIO autem imperante quum Chriſtus & verbis & miraculis, quis eſſet, demonſtraret, & a morte poſt crucis ſupplicium reſuſcitatus toti orbi notior fieret; etiam Romam de illo fama & vis euangelii peruenit, vt ibi quoque ſectatores ei adquirerentur. Credas Pilatum præſidem perſcripſiſſe omnem rem, quæ Tiberium induxerit, vt de Chriſto in deorum numerum recipiendo cogitaret. Henricus autem Valeſius ad lib. II. H. E. Euſeb. cap. II, adductus Tertulliani verbo *adnunciata*, quod iam daturi ſumus, ex fama potius, quam relatione præſidis accepiſſe putat, quod tam Euſebius, quam Oroſius de Pilati litteris, vt moris erat, intellexerunt. Antiquus rei teſtis Tertullianus eſt Apologet. cap. V. *Tiberius*, inquit, *cuius tempore nomen Chriſtianum in ſaeculum intrauit, adnuntiata ſibi ex Syria Palaeſtina, quae illic veritatem iſtius diuinitatis reuelarant; detulit ad ſenatum cum praerogatiua ſuffragii ſui. Senatus, quia non ipſe probauerat, reſpuit.* Quidnam detulerit, quæ præceſſere, verba oſtendunt, *vetus decretum fuiſſe*, NE QVI DEVS AB IMPERATORE CONSECRA-

SECRARETVR, NISI A SENATV PROBATVS. Paulus Oroſius lib. VII cap. IV hæc clarius exponit. *Tiberius*, inquit, *cum ſuffragio magni fauoris retulit ad ſenatum, vt Chriſtus Deus haberetur. Senatus indignatione motus, cur non ſibi prius ſecundum morem delatum eſſet, vt de ſuſcipiendo cultu prius ipſe decerneret; conſecrationem Chriſti recuſauit, edictoque conſtituit, exterminandos eſſe vrbe Chriſtianos.* Addit Tertullianus; *Tiberium manſiſſe in ſententia, & periculum accuſatoribus Chriſtianorum comminatum eſſe;* ſiue *mortem*, vti Oroſius atque Euſebius declarauerunt.

VII. Non putamus conficta hæc a Tertulliano eſſe, aut ſuſpecta de veritate, quia paganis hunc librum oppoſuit, Romanis maxime, ad quorum archiua etiam prouocauit. Non ergo dubitamus, quin ita res, vt narratur, geſta in vrbe fuerit. In qua re id laude dignum eſſe cenſemus, quod Tiberius Chriſtum noſtrum maiorem homine, ac diuinis dignum honoribus iudicauit: improbamus autem, quod falſis diis ſuis Deum verum adnumerare, aut æqualem illis cenſere ſtuduerit. Diuino itaque prouidentia factum, vt impia conſecratio recuſaretur, quia dedicatore tali, qualis Tiberius fuit, & ſceleratis eius auſpiciis res Chriſtiana dignius carebat, quam vt admittere illam, ſaluo pietatis officio, potuerit. Nemo proinde Tiberium Chriſtianum dixerit, aut Chriſtianorum rituum ſincerum fautorem, quia accuſatores a Chriſtianis remouit magis odio in ſenatum, qui ſententiæ ſuæ contradixerat, quam fauore erga Chriſtianos, quorum nec cauſſam accuratius cognouerat. Mirum autem,

tam

Digitized by Google

tam celeri curſu rem Chriſtianam progreſſam eſſe, vt Tiberio ſuperſtite, quem vix vltra triennium a ſanctiſſimo crucis ſupplicio ſuperfuiſſe conſtat, Romæ Chriſtiani inuenti fuerint, qui accuſatores ſuos ferre, & vrbe potuerint exterminari. Nihil quidem de *vrbe* Tertullianus, quod Euſebius addidit & Oroſius: vnde vir ſummus, Iacobus Vſſerius, qui in Annalibus id proximo anno poſt Chriſti mortem & reſurrectionem ponit, non tam Romæ, quam in prouinciis & ipſa Palæſtina, interdicto & comminatione Tiberii, pacem Chriſtianis datam autumat. Ait enim p. 621. *Quo poſito, primam illam Chriſtianorum poſt necem Stephani perſecutionem in Iudea ortam, Tiberii metu finem accepiſſe dicendum eſt.* At Euſebius, Chronici conditor, ad vltimum annum Tiberii refert, qui ſiue tertius ſiue quartus eſt a σταυρωσίμῳ paſchate, ſatis temporis intereeſſiſſe videtur, vt in vrbe, ad quam vndique confluebant homines, etiam Chriſtiana religio excitari potuerit. Conſecratio quoque, quam Cæſar apparauit, ad vrbana ſacra pertinebat, neque ſenatus de prouinciarum diis vel adoptandis vel repudiandis ſollicitus fuit.

VIII. Sub CLAVDIO principe, excreuerat ita numerus Chriſtianorum, vt, quum Iudæos de Meſſia conuincerent, illique impudentius reclamarent, res Cæſari viſa fuerit in tumultum eruptura. qua de cauſſa vtramque ſectam eiecit, Chriſtianos certe expulit, in iisque Priſcillam & Aquilam, qui Act. cap. XVIII. nominantur: Iudæos autem veteres hac lege manſiſſe, vt illis συναθροίζεσθαι, *conuentus celebrare*, ne liceret, Dio Caſſius auctor eſt lib. LX

 poſt

poſt principium. Sed maior nobis eſt diuini ſcriptoris auctoritas, qui διατεταχέναι Κλαύδιον χωρίζεσθαι πάντας τοὺς Ἰουδαίους ἐκ τῆς Ῥώμης, *mandaſſe Claudium* ſcripſit, *vt omnes Iudæi Roma excederent*. Quocum Suetonius videtur conſentire in Claudio cap. XXV. *Iudæos*, inquit, *impulſore Chreſto aſſidue tumultuantes Roma expulit*. IVDAEOS, hoc eſt Chriſtianos, ex Iudæa primum ortos, & pleroſque forſan ex Iudæis ad Chriſtum adductos, quibus doctrinæ nouitas, vti videbatur, tanquam cauſſa tumultus, accuſantibus Iudæis veteribus, in Pompeii victoria in vrbe verſatis, imputata ab iis fuit, qui de vtriusque ſectæ ratione clarius nondum inſtituti erant. Hinc eſt, quod dixit IMPVLSORE CHRESTO, quaſi is auctor nouæ religionis, & ex ea nati tumultus fuiſſet. *Chreſtus* autem, non Chriſtus, dixit, vulgato paganorum errore, quem Tertullianus Apologet. cap. III, & Lactantius lib. IV cap. VII notauerunt. Ignota illis origo vocis, quæ ex Ebrææ conuerſione in Græcam linguam transſumta fuit: ignotus & ritus vnctionis fuit, quo ad officium reges & ſacerdotes Ebræi inaugurati fuerunt. Quum vero *Chreſti* nomen (Χρηστὸς Græce) tam Latinis quam Græcis receptum vſitatumque fuerit, ipſum, quem Chriſtiani colebant, *Chreſtum*; & cultores ipſius *Chreſtianos* appellauerunt. Acceſſit lubido contumeliæ, vt quamuis ſcirent verum nomen, irridentes tamen *Chreſtos & Chreſtianos* dicerent, quaſi minime χρηστοὺς, hoc eſt *benignos & vtiles*, de quo Petri Pithæi, viri clariſſimi, Aduerſaria conſulantur lib. II cap. III. Sed ad Suetonium reuertamur,

quem modo antea dicto explicari poſſe conſemus. Ambigue enim, aut confuſe potius loquutus eſt, quod etiam Paulus Oroſius obſeruauit. *Me magis, inquit, Suetonius mouet; qui utrum contra Chriſtum tumultuantes Iudaeos coerceri & comprimi iuſſerit, an etiam Chriſtianos ſimul, velut cognatae religionis homines voluerit expelli, nequaquam diſcernitur.* Vtique vtrumque adfirmandum eſt, alterum diuino Luca exemplis, alterum verbis conteſtante: & Suetonio coniungente quoque vel confundente vtrumque. Fieri tamen potuit, vt veteres Iudaei vel reditum facilem, vel manſionem etiam, ſaltim aliqui, impetrarent, ſed ea lege vt conuentibus ſacris abſtinerent, quod ſupra ex Caſſio adnotatum eſt.

IX. Non autem diuturnum fuit exſilium, neque ita plenum aut vniuerſale, vt nulli relicti Chriſtiani in vrbe fuerint: quippe Apoſtoli ad Romanos epiſtola, ſub finem imperii Claudiani ſcripta, argumento abunde eſt, non exiguum, breui poſt expulſionem tempore, Chriſtianorum numerum in vrbe exſtitiſſe: e quibus erant, qui captiuum Paulum, vſque Forum Appii & Tres Tabernas obuiam progreſſi, laetabundi exceperunt. Triſtia ſub Nerone ſequuta ſunt tempora, inter ignes & cruces Chriſtianis agentibus: nec vero non auctus eſt in dies eorum numerus, adeo vt in ipſa etiam familia atrociſſimi imperatoris eſſent, qui Chriſto nomen profeſſi, ea ſentirent facerentque, quae veros decent Chriſtianos: qui ad Philippenſes extrema epiſtola *οἱ ἐκ τῆς Καίσαρος οἰκίας, Caeſaris domeſtici*, appellantur.

 X. Ve-

X. Venit tempus, quo, vt Iuuenalis ait Satyr. IV, 38,

caluo ſeruiret Roma Neroni,

hoc eſt Domitiano, quippe quod Eutropius etiam notavit lib. VII cap. XV, *Neroni, aut Caligulæ, quam Tiberio ſimilior fuit, quam parenti, aut fratri.* Certe non mitior Nerone Domitianus erat, nec minus ſæuus in Chriſtianos, quam in philoſophos & alios eruditos. immo truculentior, quia illos ſupplicio crudeliter adfecit, hos tantum vrbe & Italia iuſſit excedere. Inter illuſtres tamen & ipſos agnatos Cæſaris erant, qui Chriſtum ſectarentur, nulloque ſupplicio aut exſilii pœna paterentur ab illo ſe auelli. In his erant, vt ex Dione Casſio Xiphilinus refert, Fabius Clemens tum ὑπατεύων, *conſul Romanus*, & ἀνεψιὸς *patruelis* Domitiani: γυναῖκα καὶ αὐτὴν συγγενῆ ἑαυτοῦ Φλαβίαν Δομιτίλλαν ἔχων, *in matrimonio conſanguineam eius* (Domitiani) *habens, Flauiam Domitillam.* Illum autem diro ſupplicio peremit; hanc in inſulam Pandatariam deportari iuſſit, vt Dio notauit; ſiue in Pontiam, vt ſcripſit Euſebius lib. III Hiſt. eccleſ. cap. XVIII. Vtraque in infero mari eſt, ac vtraque parua & deſerta, ideoque damnatis ad deportationem, deſtinata, non ſecus ac Gyarus, & Seriphus, aut Donuſa in Aegæo, de quibus Tacitus annal. III cap. LXVIII, & lib. IV cap. XXII & XXX conſulatur; aut Oaſitica ſolitudo iuxta Aegyptum, de qua Zoſimus lib. V cap. IX. Cauſſam damnationis Xiphilinus ita excerpſit: ἐπηνέχθη δὲ ἀμφοῖν ἔγκλημα ἀθεότητος *ambobus crimen impietatis inferebatur.* Hæc autem *impietas* quæ obiiciebatur, quod deorum cultum negantes, Chriſtum ſuum, vt vnum

De-

Deum, profitebantur, eundemque colebant vnice. Id quod Dioni, pagano ſcriptori, viſum eſt *impie* factum eſſe. Aequius, & quod res eſt, iudicauit Euſebius, *τῆς εἰς Χριστὸν μαρτυρίας ἕνεκεν*, *propter Chriſti confeſſionem* vna cum plurimis aliis punitos fuiſſe. Hæc enim tempora illa, de quibus Tacitus dixit lib. I cap. II hiſtoriarum: *Plenum exſiliis mare, infecti cædibus ſcopuli, atrocius in vrbe ſæuitum.* quæ calamitas deorum æque cultores ac Chriſtianos adflixit; ſed hos grauiſſime qui publico odio erant, tanquam indigniſſimi viſi, vt cæli luce ac communis auræ ſpiritu fruerentur. Nihilominus (tanta vis diuini ſolatii) per damna, per cædes, ab ipſo ferro duxerunt vires ſuas & incrementum, vt illuſtres etiam & principibus cognati non dubitarent Chriſtum profiteri, & pro illius confesſione tuenda mortis ſupplicium, aut grauis exſilii pœnam, intrepido animo, ac lætabundo potius, quam infracto, ſubire. Sic lux cæleſtis propius in dies ad palatium acceſſit, vt non tantum libertos & ſeruos domus auguſtæ, vt antea; ſed nobiles etiam agnatos illuminaret.

XI. Nunc incipiet lux veritatis in ipſa principalis domus penetralia intrare, ſed crepera tantum & dubia, pleniore radio multis obſtaculis excluſo aut impedito. VLPIVS TRAIANVS rerum potiebatur, cum Nerua patre *optimi ſtatus*, quem Auguſtus cogitauerat, felix *auctor*, & *beatioris ſæculi*, quod cum Nerua rediiſſe Tacitus, Agricolæ vita cap. III tradit, auſpicatisſimus reparator, quum contra eodem tempore Chriſtiani, damnis multis adficerentur. Ergone ille imperator, qui OPTIMI cognomen meruiſſe fertur, & in exemplum *bonitatis* aliis poſt ipſum principibus propoſitus

 in

in publicis adclamationibus fuit; hic ergo, inquam, optimus iuſtiſſimusque imperator innocentes Chriſtianos diuexare ac lacerare ſuſtinuit? ſed quid non dira ſuperſtitio facit, & peruerſa de diis, per tot ſæcula cultis opinio? qua dum plus in deos ſuos voluit eſſe, in verum Deum iniurius fuit & impiiſſimus. Nihilominus etiam aliquid lucis vidit, & vidiſſe ſe, negare non potuit. Quum enim C. Plinius Cæcilius, prouinciæ Ponticæ proprætor conſulari poteſtate, Traiano perſcripſiſſet lib. x epiſt. xcvii, quæ cognitione de Chriſtianis intellexerat, hanc ſummam criminis illorum eſſe, *quod ſoliti ſint ſtato die ante lucem conuenire, carmenque Chriſto, quaſi Deo, dicere ſecum inuicem: ſeque ſacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent. morem etiam eſſe coeundi ad capiendum cibum, promiſcuum tamen & innoxium*; illis litteris inductus Traianus, mitigauit paulliſper ſententiam, non autem ſuſtulit cognitionem. Plinio enim reſcripſit, *conquirendos Chriſtianos non eſſe, ſi vero deferantur & arguantur, eſſe puniendos*. Perplexa vox & ſecum pugnans: tamen vel ideo nobis non ingrata, quod innocentiam Chriſtianorum a Plinio ſignificatam, refutare non potuit, nec ignoraſſe eam, aut non intellexiſſe, excuſatione poteſt deprecari. Plinio enim clariſſimo viro teſtante, innocentia Chriſtianorum in palatio innotuit, vt princeps quoque intelligeret, mitiorem ſententiam ferret, licet, quæ cæcitas communis paganorum erat, non impune dimittendos eſſe cenſeret. Quo id imperator conſequutus fuit, vt iure eum Tertullia-

tullianus Apologet. cap. II reprehenderit. *Si damnas, inquit, cur non & inquiris? ſi non inquiris, cur non abſoluis?* ſcilicet dum vetuit conquirendos eſſe, peccauit, ſi credidit eſſe illos noxios & puniendos: nam hi omni ſtudio inquirendi ſunt. Si non credidit tales eſſe, inique illorum pœnam permiſit; iniquius eam præſidibus mandauit.

XII. Paullo clarior lux adfulſit ADRIANO principi, Traiani Cæſaris ſucceſſori, Quadrato, Athenienſium epiſcopo, facem ei præferente. De quo Hieronymus refert epiſt. LXXXIV ad Magnum: *Quadratus apoſtolorum diſcipulus, & pontifex Athenienſis eccleſiæ, nonne Adriano principi, Eleuſina ſacra inuiſenti, librum pro noſtra religione tradidit? & tantæ admirationi omnibus fuit, vt perſecutionem grauiſſimam illius excellens ſedaret ingenium.* Non autem noua ſub Adriano perſequutio facta, ſed vel continuata ſuperior Traiani fuerat; vel futura, vt rumor erat, metuebatur. Non enim vel teſtimonio veterum vel exemplo martyris vllius probari poteſt, Adrianum vexaſſe admodum eccleſiam: quod pluribus agit Henricus Dodwellus, vir eruditiſſimus, Diſſertat. Cypria nic. XI §. 31. 32. Tantum autem Quadratus apud Cæſarem Adrianum effecit, vt is in animo haberet, Chriſto templum dedicare, & templa in omnibus ciuitatibus ſine ſimulacris fieri iuſſerit, ſi fides Lampridio in Alexandro Seuero cap. XLIII habenda eſt. Quum enim de Alexandro dixiſſet Chriſto templum facere, eumque inter deos recipere voluiſſe; ſubiungit: *quod & Adrianus cogitaſſe fertur, qui templa in omnibus ciuitatibus ſine ſimulacris iuſ-*

V 4 *ſerat*

Digitized by Google

ſerat fieri: quæ hodie idcirco, quia non habent numina, dicuntur ADRIANI, *quæ ille ad hoc paraſſe dicebatur. Sed prohibitus eſt ab iis, qui conſulentes ſacra repererant, omnes Chriſtianos futuros, ſi id optato eueniſſet.*

XIII. Iſacus quidem Caſaubonus, vir ſummus, ibidem ſuſpicatur, aliam cauſſam fuiſſe, cur iuſſerit Adrianus templa ſine ſimulacris fieri, quam intellectum fuerit a Lampridio; forte vt nomini ſuo conſecraret, ſuamque in iis collocaret ſtatuam; quod ex principio Periplis Ponti Euxini, quem Adriano Arrianus ſcripſit, conſtare putat: quamuis nihil ibi Arrianus dicat, quam Adriani ſe ſtatuam in Ponto vidiſſe, manu ad mare protenſa; ceterum non adfabre elaboratam, in cuius locum aliam ornatiorem mitti poſtulat: Claudius autem Salmaſius, vir illuſtris, ad hunc locum nihil addit, quod Lampridianum ſenſum interuertat, quippe totus in extremis verbis SI ID OPTATO EVENISSET, occupatus eſt. Tandem ait: *Optabant tunc temporis multi, vt illa templa dedicaret Adrianus, qui in Chriſti honorem mattis in ciuitatibus iuſſerat ſine ſimulacris ædificari.* Sed quoquo modo ſe templi rationes habent; id tamen non incertum eſt, plus vidiſſe Adrianum a Quadrato aliisque monitum, quam Traianus anteceſſor viderat; nec veritatis Chriſtianæ ignarum amplius fuiſſe, licet plene illam non agnouerit. Plus enim Chriſtianis, quam ille dedit, quod quantum fuerit, Oroſii verbis ex libri VII cap. XIII recitamus: *Hic* (Adrianus), *per Quadratum,*

diſci-

diſcipulum apoſtolorum, & Ariſtidem Athenienſem, virum fide ſapientiaque plenum; & per Serenum Granium legatum, libris de Chriſtiana religione compoſitis inſtructus atque eruditus, praecepit per epiſtolam, ad Minucium Fundanum proconſulem Aſiae datam, VT NEMINI LICERET CHRISTIANOS SINE OBIECTV CRIMINIS AVT PROBATIONE DAMNARE. Epiſtolam quoque recitat Euſebius lib. IV cap. IX.

XIV. Nec minus, qui ſecuti ſunt Romanorum principes, eruditi de cauſſa Chriſtiana fuerunt, & T. quidem ANTONINVS PIVS ab Iuſtino, philoſopho Neapolitano Palaeſtinenſi, cui, quod pro Chriſti nomine martyrium, id eſt ſupplicium mortis ſubiit, *Martyris* cognomentum dedit. Hic enim *ſecundam* ſuam *apologiam* pro Chriſtianis, Antonino Pio dedicauit, ſicut priorem ſenatui Romano. Vt placidus moribus erat imperator ille, etiam non mediocriter eruditus; non dubitandum eſt, quin ex ea illorum cauſſam cognouerit accuratius, & qui per ſe mitis erat atque benignus, ea perlecta placidiori adfectu in Chriſtianos fuerit, poſtquam falſa eſſe crimina, quae obiiciebantur illis, cognouit.

XV. Quam vero Iuſtinus ad Antonium Pium deferebat ſuae gentis innocentiam, apologetico libro declaratam, filio adoptato ac ſucceſſori MARCO ANTONINO notam fecit Athenagoras, Athenienſis philoſophus, ſed Chriſtianus, qui docta oratione, quae ſupereſt, oſtendit, quam inique cum Chriſtianis agatur, quum ob crimina, abominanda ſane, quorum vero neutiquam poſſint argui, nedum conuinci, non modo in odio ſint omnium hominum, verum etiam acerbiſ-

Digitized by Google

ſimis pœnis innocentes adficiantur. Mirari ſubit ſapientem principem, & vere philoſophum, tam pertinaciter erroribus inhæſiſſe, ac diuinam impugnaſſe veritatem. Si cui vero alii vnquam, huic certe Marco non defuit, qua ſe ratione ex ſuperſtitionum tenebris emergat, qui verbis & miraculo meliora edoctus fuit. Exſtat apologia Athenagoræ, quam diximus: periit, qui ſimilis fuit, Melitonis Aſiani, Sardienſis epiſcopi, ad eundem apologeticus liber, ab Euſebio in Chronico laudatus. Acceſſit miranda res in Marcomannico bello, pluuia ſitienti exercitui, fulmina autem hoſtili, precibus Chriſtianorum militum impetrata, de qua vt minus dubitari liceat, non Chriſtiani modo faciunt ſcriptores, ne quis cauſſæ illos ſeruire obiiciat: ſed ipſi etiam deorum cultores, qui rem mirandam confeſſi ſunt, licet in cauſſa eius indicanda diſſideant a Chriſtianis.

XVI. Sed digna res eſt, & pretium operæ, vt altius repetamus quod de miranda illa pluuia cenſendum eſt. E noſtris teſtes antiqui ſunt Tertullianus ad Scapulam cap. IV, & Euſebius lib. V Hiſt. eccleſ. cap. V, & hic quoque ex antiquiore ſcriptore Apollinari, itidem Chriſtiano hauſit. Tertulliani hæc verba ſunt: *Marcus quoque Aurelius in Germanica expeditione Chriſtianorum militum orationibus, ad Deum factis, imbres in ſiti illa impetrauit.* Quæ de ipſius Marci teſtimonio in Apolog. cap. V adfert, inferius expoſituri ſumus. Euſebius d. l. ait, exercitu Romano ob intolerabilem ſitim ad inopiam conſilii redacto, τὰς ἐπὶ τῆς Μελιτινῆς οὕτω καλουμένης λεγεῶνος στρατιώτας, γόνυ θέντας ἐπὶ τὴν γῆν κατὰ τὸ οἰκεῖον ἡμῖν τῶν εὐχῶν ἔθος, ἐπὶ τὰς

πρὸς

Digitized by Google

πρὸς τὸν Θεὸν ἱκεσίας τραπέσθαι, *milites legionis Melitinæ flexis in terram genibus, vt noſtris orandi mos eſt, preces ad Deum fudiſſe perhibentur.* Euentum, addit, fuiſſe admirabilem, fulminibus in hoſtes iactis, vt diſſiparentur fuga: Romanis largiore imbre recreatis. Qui vero auerſi fuerunt a Chriſtianorum ſacris, ita eandem rem narrauerunt: Dio Caſſius in hoc principe, quod reliquum apud Xiphilinum eſt, de bello contra Marcomannos & Quados: νίκη παράδοξος εὐτυχήθη, μᾶλλον δὲ παρὰ Θεοῦ ἐδωρήθη, *victoria præter ſpem, vel potius Dei beneficio contigit.* Quum enim vndique aqua prohibiti ardore & ſiti vexarentur ita Romani, vt ne pugnare quidem poſſent, aut inde ſecedere; νέφη πολλὰ ἐξαίφνης συνέδραμε, καὶ ὑετὸς πολὺς οὐκ ἀθεεὶ κατερράγη, *nubes derepente coactæ ſunt, & maximus imber cecidit non ſine Dei beneficio.* Iulius Capitolinus in Marco cap. xxiv *Fulmen de cælo precibus ſuis contra hoſtium machinamentum extorſit, ſuis pluuia impetrata, quum ſiti laborarent.* Et Aelius Lampridius in Elæagabalo cap. ix. *Quum Marcomannis bellum inferre vellet, quos Antoninus pulcherrime profligauerat, dictum eſt a quibusdam, per Chaldæos & magos Antoninum Marcum id egiſſe, vt Marcomanni P. R. ſemper deuoti eſſent atque amici, idque factis carminibus & conſecratione: quum quæreret, quæ illa eſſent, aut vbi eſſent, ſuppreſſum eſt.* Et Claudianus, quem *peruicaciſſimum paganum* Oroſius lib. vii cap. xxxv vocat, Conſulatu vi Honorii a verſu 342.

Laus ibi nulla ducum: nam flammeus imber in hoſtem

De-

Decidit: hunc dorſo trepidum flammante ferebat
Ambuſtus ſonipes: his tabeſcente ſolutus
Subſedit galea, liquefactaque fulgure cuſpis
Canduit, & ſubitis fluxere vaporibus enſes.
Tum contenta polo, mortale neſcia teli,
Pugna fuit.

XVI. Certa ergo res ipſa eſt, quam prodigioſam fuiſſe ipſi pagani confitentur. Sed hi cauſſam in magicis artibus quæſiuerunt: Chriſtiani in ſuorum precibus. Quæ Elagabalo apud Lampridium narrata fuerint, modo cognouimus: quæ falſa fuiſſe, id argumento eſt, quod percontanti imperatori, quæ illa carmina & incantamenta eſſent, & vbi eſſent, nemo quidquam reſpondere potuit, quum nec illis temporibus Chaldæi & magi deeſſent, qui vero victoriam huic ſimilem, aut hoſtium deuotam ceſſationem ſuo principi promittere non auſi ſunt. Capitolinus in *precum* voce ambiguus eſt, nec liquido inde conſtat, vtrum magicas precationes, an preces ac vota Deo deſtinata intelligat. Itidem dubius eſt Claudianus, v. 348 dicit.

Chaldæa mago ſeu carmina ritu
Armauere deos: ſeu quod reor omne Tonantis
Obſequium Marci mores potuere mereri.

Quid? quod Dio Caſſius magum Marci, qui effecerit tanta, nominatim deſignat, Arnuphin quendam, Aegyptium genere, quem ait *ἄλλως τε τινὰς δαίμονας, καὶ τὸν Ἑρμῆν τὸν ἀέριον ὅτι μάλιστα μαγγανείαις τισὶν ἐπικαλέσασθαι, καὶ δι' αὐτῶν τὸν ὄμβρον ἐπισπάσασθαι*, *tum alios dæmonas, tum Mercurium illum,*

qui

qui eſt in aere, incantationibus inuocaſſe, & per illos pluuiam attraxiſſe.

XVII. Sed præſtigias facere, glaucoma obiicere ſæpe magi quidem valuerunt: verum vero tam admirabilem & veram victoriam, & tam præſens auxilium aut perniciem præſtare poſſint; neque exemplo neque ratione probari poteſt. Quin potius aperte notum eſt, quam debilis & fallax illorum ſit potentia. Et tantum abeſt, tum Marcum ad magicas artes confugiſſe, vt iis nunquam fidem habuiſſe manifeſtum ſit. Cui potius credemus, quam ipſi Marco? nam de ſe ſcribit lib. I ſect. III, a Diogneto philoſopho didiciſſe τὸ ἀπιστητικὸν τοῖς ὑπὸ τῶν τερατευομένων καὶ γοήτων περὶ ἐπῳδῶν, καὶ περὶ δαιμόνων ἀποπομπῆς, καὶ τῶν τοιούτων λεγομένοις, hoc eſt, *fidem abrogare iis, quæ de incantationibus, dæmonumque profligationibus, ac id genus aliis rebus, præſtigiatores referunt.* Reliquum ergo eſt, Chriſtianorum precibus tam mirandam liberationem ac victoriam, & hoſtium exitialem deletionem a Deo vnice obtentam eſſe. Quod enim Claudianus de *meritis* Marci dicit, id nihil eſſe, Chriſtianis, myſteriorum peritis, non poteſt eſſe ignotum.

XVIII. Reſtat, vt diſquiramus, quo in Chriſtianos animo imperator poſt hoc miraculum fuerit. Duo ſigna adferuntur, quæ oſtendant fauentiſſimum fuiſſe, nec fortaſſis ingratum in Deum illorum; alterum eſt epiſtola ipſius, de hac re ad ſenatum miſſa: alterum, noua legionis cognominatio, ex mirabili illo euentu petita. Non difficile ad credendum eſt, imperatorem, tanto miraculo excitatum, in Chriſtianos æquiorem

deinde

ſeb. producta, quæ exſerte LEG. XII FVLM, memorat, quod cum Notitia ſub diſpoſitione ducis Armeniæ, *duodecima Fulminea* legi poteſt, aut ex aliis inſcriptionibus apud eundem Gruterum p. 547. n. 6. & 657 n. 10. LEG. XII FVLMINAT. id eſt, *legio* XII *Fulminatrix*. Sic Imperator Marcus Antoninus Chriſtianis debuit, quod agnouiſſe etiam probabile eſt ex conſenſu veterum, qui ad litteras illius, ad ſenatum datas, prouocant, licet certo inde probari non poſſit, quia celatæ Chriſtianis illæ litteræ fuerunt, niſi ipſa celatio arguit, pro Chriſtianis ſcriptas fuiſſe, quas tanto ſtudio deorum cultores occultauerunt. Ex legionis autem nomine nouo, quod nullum fuit (vetus enim appellatio erat) probari omnino nihil poteſt.

XX. Quum SEPTIMIVS SEVERVS rempublicam adminiſtraret, orta fuit illius imperio, vel ſaltim permiſſu, noua perſecutio, quæ quinta vulgo numeratur: nec tamen palatium eius Chriſtianis hominibus caruit. Per idem tempus Tertullianus ſcriptis libris cœpit clarus fieri, cui tanquam æquali auctori in hac re fides eſt vtique habenda. Is vero ad Scapulam cap. IV clariſſime: *Ipſe etiam Seuerus, pater Antonini* (Caracallæ) *Chriſtianorum memor fuit. Nam & Proculum chriſtianum, qui Torpacion cognominabatur, Euhodiæ procuratorem, qui eum per oleum aliquando curauerat, requiſiuit; & in palatio ſuo habuit vſque ad mortem eius: quem & Antoninus optime nouerat, lacte chriſtiano educatus. Sed & clariſſimas feminas, & clariſſimos viros Seuerus, ſciens huius ſectæ eſſe, non modo non læſit, verum & teſtimonio exornauit, & populo furenti in nos, palam reſtitit.* E-

gre-

gregium teſtimonium creſcentis ita chriſtianæ rei ſub SEVERO & filio ANTONINO CARACALLA, vt in aula etiam tolerati & officiis admoti fuerint Chriſtiani. Felicior ſtatus ſub ALEXANDRO SEVERO fuit, qui quanti Chriſtum, Deum noſtrum, fecerit, Lampridius in vita eius cap. XXIX perſcriptum reliquit. *Matutinis*, inquit, *horis in larario ſuo (in quo & diuos principes, ſed optimos electos; & animas ſanctiores, in queis & Apollonium, & quantum ſcriptor ſuorum temporum dicit, Chriſtum, Abraham, & Orpheum, & huiusmodi ceteros habebat, ac maiorum effigies) rem diuinam faciebat.* Pro Deo Chriſtum coluiſſe, inde probari non poteſt, ſed tantum in *animabus ſanctioribus* numeraſſe: licet poſt verba *Chriſtum, Abraham & Orpheum*, vulgo legant, *& huiuscemodi deos*, quod cum Salmaſio emendauimus, cuius rationes videſis in Notis ad hunc locum Lampridii. Poſtea tamen idem hiſtoricus, cap. XLIII, id aperte ſignificat. *Chriſto*, inquit, *templum facere voluit, eumque inter deos recipere.* Neque vero Chriſtianus fuit Alexander, quia alios quoscunque deos colendos æque cenſuit, vt ipſe coluit aſſidue. Fauit tamen impenſius rei chriſtianæ, vt, eo imperante, ſine offenſa progreſſum faceret. Vtrum vero mater ipſius Iulia Mamæa, auguſta & potens femina; Origenis diſcipula, vere Chriſtiana fuerit, non conſtat liquidiſſime. Euſebius ait, quum Antiochiæ degeret, cupidam audiendi Origenem, illum ex Aegypto arceſſiuiſſe. Hieronymus in Catalogo idem narrans *religioſam feminam* vocat. Oroſius lib. VII cap. XVIII indubitanter:

cuius mater Mamaa Chriſtiana Origenem presbyterum audire curauit.

XXI. Maior controuerſia eſt de M. IVLIO PHILIPPO, Romano imperatore, vulgo *Arabe* a patria cognominato, quem plures veterum Chriſtianum fuiſſe, & primum quidem profeſſionis illius principem, tradiderunt. Euſebius lib. VI H. E. cap. XXXIV dicit, famam eſſe, hunc χριϛιανὸν ὄντα, vtpote Chriſtianum, in paſchatis vigilia participem ſacrorum cum reliquo populo fieri voluiſſe, nec vero ab epiſcopo prius admiſſum fuiſſe, quam pœnitentium ordini, ob commiſſa crimina, ſe adiunxiſſet: quod illum etiam προθύμως, *libenter*, feciſſe, vna narratur. Hieronymus Catalogo in Origene: *ad Philippum imperatorem, qui primus de regibus Romanis Chriſtianus fuit; & ad matrem eius litteras fecit.* Conſentiunt Oroſius atque Iornandes. Recentiores, audaciores facti, plura addunt, tanquam geſtis rebus interfuiſſent. Anton. Coccius Sabellicus Ennead. VII lib. VII p. 362 *Idem* (Philippus) *auguſtorum primus, Fabiani pontificis opera, qui vndeuigeſimus poſt Petrum eccleſiæ præfuit, cum Philippo filio & Seuera coniuge, baptiſmo inſignitus, Chriſti eſt nomen profeſſus.* Quid? quod ipſius Vitam, a monacho quodam ſcriptam, cum martyrum Vitis quidam coniungunt. Vide Barth. Aduerſ. lib. XLVIII cap. VI.

XXII. Quam cupide autem hoc creditum a maioribus fuit; tanto id minus fit vero ſimile, ſi veteres auctores excutiuntur. Qui adſeuerant Chriſtianum fuiſſe, ideo videntur in hanc opinionem ingreſſi eſſe, vt milleſimum vrbis annum, eiusque ſæculares ludos, Chriſti

Chriſti potius quam deorum cultori vindicarent. Oroſius lib. VII cap. XXVIII de Conſtantino Magno: *Primus imperatorum Chriſtianus, excepto Philippo, qui Chriſtianus annis admodum pauciſſimis ad hoc tantum conſtitutus fuiſſe mihi viſus eſt, vt milleſimus Romæ annus Chriſto potius, quam idolis dicaretur.* Quæ vero ſigna in eo ſunt chriſtianæ pietatis? nullum eius rei veſtigium apparet, adeo, vt non minus vere quam grauiter Scaligerum, magno iudicio virum, ad Euſeb. n. 2260 ſcripſiſſe cenſeamus. *Næ*, inquit, *magnam iniuriam ſacroſancto Chriſti cultui faciunt, qui primi hunc latronem Araba, domini ſui imperatoris innocentiſſimi, & reipub. maxime neceſſarii interfectorem, idolorum cultorem, & ex cuius vita nihil tale colligi poteſt, Chriſtianum auſi ſunt dicere.* Vide de Philippi malefactis Capitolinum in Gordiano III. At Oroſius lib. VII cap. XX, poſtquam de milleſimo vrbis natali egerat, *Nec dubium eſt*, inquit, *quin Philippus huius tantæ deuotionis gratiam & honorem ad Chriſtum & eccleſiam reportarit, quando vel adſcenſum fuiſſe in Capitolium, immolataſque ex more hoſtias nullus auctor oſtendit.* Nobis vero id valde dubium eſt, quia nec vllus idoneus auctor oſtendit, vel deorum templa clauſiſſe, vel Chriſto aliud dedicaſſe, vel aliud egiſſe, quod chriſtianam vitam & confeſſionem probaret. In feſtis enim ſæcularibus quid egit? *ingenti ludorum apparatu ſpectaculorumque celebrauit*, Eutropio referente lib. IX cap. III. Nihil in his Chriſtianorum rituum: vana, profana ſunt omnia. An vero abfuit a ludis profanis, aut Capitolium non adſcendit? immo interfuiſſe, Victoris

Digitized by Google

epitome non obſcure teſtatur, de filio dicens, Cæſare primum, dein æque auguſto, *adeo ſeueri & triſtis animi fuiſſe, vt patrem ludis ſæcularibus petulantius cachinnantem, quamquam adhuc tener, vultu notauerit auerſo.* En petulantem cachinnum, dignum Chriſtiano principe! Quum ergo nullum indicium ſit vere chriſtianæ in hoc Cæſare profeſſionis, quidquid veteribus materiem gloriandi dedit, de fauore in Chriſtianos interpretamur, non de vera confeſſione. Zonaras quoque, quamuis & aliorum opinionem enarret, ex ſua tamen ſententia ita ſtatuit: ὁ Φίλιππος εὐμενὴς ἦν τοῖς Χριϛιανοῖς, *Philippus bene adfectus erga Chriſtianos fuit.*

XXIII. Eo vſque penetrauit in palatia lux veritatis cæleſtis: altius admiſſa illo tempore non fuit. Traianus enim, Decius, Valerius, Aurelianus, Diocletianus, quam acerbi & crudeles Chriſtianis fuerint, nemini poteſt ignotum eſſe: vt adeo ſpiſſior caligo lucis clariſſimæ ortum, quo ſub Conſtantinis lætata eccleſia eſt, præceſſerit. Huic nondum contigerat tam felici eſſe, vt principem ſuis ſacris imbutum, & vere Chriſtianum haberet, licet fautores ſibi nonnullos, vt oſtenſum eſt, in auguſtis adhuc habuerit. A CONSTANTIO, Conſtantini patre, incipimus, quem qui chriſtianis ritibus initiatum crederent, non defuere antiquis aut proximis temporibus. Gelaſius Act. Concil. Nic. cap. I τῷ θείῳ λόγῳ προσφιλέϛατον ἑαυτὸν διαθέμενος, *erga diuinum verbum ſe amiciſſimum inſtituit.* Hauſit Gelaſius ex Euſebii fonte, lib. VIII cap. XIII, in quo perinde eſt, τῷ θείῳ λόγῳ προσφιλέϛατα διαθέμενον exſtitiſſe. Ea tum

tem-

tempora fuerunt, vt chriſtiana veritate vbique magis promicante, cordatiores pagani de deorum cultu dubitarent, nec vero chriſtianam rem omnem approbarent, quia id non erat conſilii humani. In horum numero Conſtantium quoque Chlorum fuiſſe, ex eo putamus non incertum eſſe, quod, quum collegæ eius in Chriſtianos ſæuirent, ipſe pacem illis in ſuæ ditionis prouinciis conceſſit. Fauorem ergo & propenſionem ſi intellexit Euſebius, non repugnamus, licet nimium aliquid in verbis eius appareat. Sed plus alios Conſtantio tribuiſſe, ex Metrophanis & Alexandri Politia Patrum apud Photium cod. CCLVI, clarum eſt; vbi traditur, Conſtantinum τὰ ἱερὰ γράμματα παρὰ τῦ πατρὸς μαθεῖν, *ſacras litteras a patre didiciſſe.* Quod ſi eſt, ſequeretur, vt pater quoque Conſtantius imbutus illis fuerit. Sed falſus eſt Metrophanes, omni hiſtoria, quæ de Conſtantini eſt acceſſu ad eccleſiam, reclamante.

XXIV. Poſt tot falſos principes Chriſtianos, ad veriorem CONSTANTINVM, Conſtantii filium, venimus, quem, deſerta religione gentium, ad chriſtianam acceſſiſſe dubitari non poteſt. Pater eius, vt dictum eſt, Conſtantius fuit, cognomine Chlorus, Criſpi, qui imperatoris Claudii II. frater fuit, ex filia nepos, ſtatim a tirocinio protector, tribunus: dein Dalmatiæ rector & præſes impoſitus: poſt cæſar, tandem auguſtus imperator. Hic Conſtantinum ex Helena ſuſtulit, priori coniuge: fratres eius ex Theodora auguſta, Herculei filia. Scimus multos eſſe, qui concubinam Helenam dicant, Zoſimus eum primis lib. II cap. VIII: contra quos non chriſtiano teſtimo-

nio vtemur, ne quis ſuſpectum habeat; ſed ethnicorum, & qui poſt exſtinctam Conſtantini familiam ſcripſerunt, ne quis gratiæ aliquid dediſſe opinetur. Eutropius lib. IX cap. XIV *Vt eos* (nouos cæſares Diocletianus) *adfinitate coniungeret, Conſtantius priuignam Herculei Theodoram accepit; ex qua poſtea ſex liberos, Conſtantini fratres, habuit: Galerius filiam Diocletiani Valeriam: ambo vxores quas habebant, repudiare compulſi.* Et Aurelius Victor Schotti in Diocletiano: *Hic de cauſſis Iulium Conſtantium, Galerium Maximianum, cui cognomen Armentario erat, creatos caſares, in adfinitatem vocat. Prior Herculei priuignam, alter Diocletiano editam ſortiuntur, diremtis prioribus coniugiis.* Alter Victor ſiue Victorinus, in eodem Diocletiano: *tradens Conſtantio Theodoram, Herculei Maximiani priuignam, abiecta vxore priori.* En vxorem, quæ repudianda; en CONIVGIVM legitimum, quod dirimendum erat, quum noua vxor inducenda! Accedit non priuati hominis, ſed ordinis & populi Neapolitani teſtimonium, inſcriptione publica firmatum, quod ſupereſt, & a Grutero p. 1084 adnotatur: HELENAE VXORI DIVI CONSTANTII, & reliqua. Nihil ergo natalibus Conſtantini exprobrari poteſt: & ſi poſſet, nihil tamen inde virtuti eius derogaretur.

XXV. Educatus *ciuilibus artibus & liberalibus ſtudiis*, quibus etiam, quum imperaret, Eutropio teſte, fuit deditus: religione talis haud dubie, qualem in patre deſcripſimus: nec tam illius iudicio, ad quem moriturum aduolauerat; quam exercitus Britannici, quod Zoſimus, hoſtis Conſtantini nominis, fatetur lib.

lib. II cap. IX, imperator creatus, recturus transalpinas partes, quas pater, defunctus vita, reliquerat. Septimo imperii anno, hoc eſt Chriſtianorum vulgari CCCXII, in bellum aduerſus Maxentium pertractus, nondum Chriſtianus, in Italiam venit, eumque aliquoties ſuperatum, tandem ad vrbem, in fugam pellit, qua in ponte Muluio iisdem inſidiis perit, quas perſequenti ipſe Conſtantino conſtruxerat. Rurſus paganorum & hoſtium fide ad probandum vtemur. Zoſimus cap. XIV de Maxentio: *προφάσεις ἀναζητεῖ τοῦ πρὸς Κωνσταντῖνον πολέμου, occaſiones gerendi aduerſus Conſtantinum belli quærebat:* quas in parentis Herculei nece inueniſſe ſibi viſus eſt. Addit enim Zoſimus: *προσποιησάμενος ἐπὶ τῷ θανάτῳ τοῦ πατρὸς ὀδυνᾶσθαι*, quod Lactantii verbis de Mort. perſec. cap. XLIII, ſic vertendum putamus, *bellum Conſtantino indixerat, quaſi necem patris ſui vindicaturus.* Herculeum autem, Maxentii patrem, Conſtantini ſocerum, ſine generi culpa periiſſe, Eutropius, neque hic Chriſtianus, neque Conſtantini familiæ obnoxius, ſatis ſuperque declarauit. Iuſtum itaque bellum cum Maxentio Conſtantinus geſſit, & victo illo ius in Italiam Africamque adquiſiuit.

XXVI. Hinc initium chriſtianæ Conſtantini confeſſionis ſcriptores Chriſto deuoti omnes petunt, etiam miraculum crucis in cælo viſæ, addunt, quo permotus ille fuerit, vt ſine hæſitatione de Chriſto, quod rectum eſt, in poſterum ſentiret. Zoſimus contra cap. XXIX, inuidia ductus & malignitate, in magnum metachroniſmum incidit, poſt necatos filium vxoremque, quum ethnici ſacerdotes tanti criminis luſtrationem

Digitized by Google

fieri poſſe negaſſent, ad Chriſtianos ſe contuliſſe, quos ad votum faciles abolendis criminibus inueniſſet. Sed quam ſibi non conſtant calumniæ atque mendacia! Vt taceam falſum eſſe de paganorum ſententia, non haberi in illorum ſacris τρόπον δυσσεβήματα τηλικαῦτα καθῆραι δυνάμενον, *tanta ſcelera expiandi modum*, quod Sozomenus lib. I. cap. V ex rationibus illorum exemplo Herculis confutat, qui μετὰ τὴν τεκνοκτονίαν τῆς Δήμητρος μυστηρίοις ἐκαθάρθη, *poſt trucidatos liberos Cereris ſacris expiatus fuerit*: dudum ſe Chriſtianum Conſtantinus geſſerat, quum Criſpus cæſar & Fauſta coniux triſti fato ſuo interirent. Criſpus enim cæſar ſuperſtes erat, quum pater vicennalia celebraret, hoc eſt anno CCCXXVI, quod ex Publilii Optatiani panegyrico clarum eſt, quo *vicennia vota* col. X meminit, & tribus poſt vicennalia annis, ſi Euſebio credimus, dedicatus imperatori fuit. Is vero col. XX ita Criſpum viuentem & florentem adloquitur:

Sancte ſalus mundi, armis inſignibus ardens,
Criſpea vis melior, te carmine læta ſecundo
Clio Muſa ſonans tua fatur pulchra iuuentæ.
Nobile tu decus es patri, tuque alme Quiritum
Et ſpes vrbis eris.

At quot leges pro Chriſtianis latæ antea, quæ magnum argumentum confeſſionis ſunt? de epiſcopis I legem tulit ipſo III & Licinio III coss. qui annus Chriſtianorum eſt CCCXIII; & de non inſcribenda fronte legem II C. Th. de pœnis, iiſdem quartum conſulibus, id eſt CCCXV, proxime ante decennalia, quo etiam crucem ſublatam, vir accuratiſſimus Iacobus

Go-

Gothofredus autumat. Quid? quod ipſo Criſpo iterum conſule, hoc eſt CCCXXI, atque ita quadriennio vel quinquennio ante vicennalia, lata eſt lex II Cod. de his qui manumittuntur in eccleſiis. Plura non addo, ſatis conuictus & confixus eſt Zoſimus.

XXVII. Res itaque certa de tempore, ſed ita, vt non vno anno omnem ſuperſtitionem abiecerit, verum pedetentim progreſſus in chriſtiana religione ſit, quod vsque ad vitæ finem per gradus ita ſeruatum fuit: at de modo & occaſione dubitatur. Crucem in cælo viſam, præſcriptam HOC VINCE, magno Chriſtiani conſenſu adfirmant: paganis μῦθος καὶ πλάσμα, *fabula & figmentum* viſum, vt Gelaſius ad Concil. Nic. c. IV notauit. At ex ore imperatoris Euſebius accepit, lib. I de Vita cap. XXVIII, quum illi nec cauſſa fingendi fuerit, neque huic, præſertim poſt mortem illius, ſcribenti. nec miraculis Deus fidem facere illo tempore deſierat, quamuis rariora tum erant, quam antea, neque opus crebritate fuit poſt tanta eccleſiæ incrementa. Narrantium varietatem Iac. Gothofredus ad Philoſtorgii lib. I. cap. VI collegit. Poſteriores non curamus: proximos Conſtantino tantum componimus. Euſebius in Hiſtoria ſilet; in Laudatione, ſi idem auctor illius eſt, ſine ambitioſis verbis refert, meridianis horis, viſum illud tropæum eſſe, ſoli ſuperpoſitum, cum inſcriptione HOC VINCE: ſpectaſſe & ϛρατιωτικὸν ἅπαν, *omnes milites*, qui imperatorem illo itinere comitabantur. Philoſtorgius, ſtellis ad litterarum formam concurrentibus vocem illam, victoriæ praenuntiam,

Digitized by Google

ſignificatam eſſe; quod quia ſolus dicit, eo minus videtur probabile. Idem in Maxentii bello dicit contigiſſe: Metrophanes in prœlio, iam acie Conſtantini inclinata, apparuiſſe; Euſebius vero *ϛελλομένῳ ποι πορείαν, iter neſcio quo facienti.* Neque ſpernendam Sozomeni relationem putamus lib. I cap. III, *ὄναρ, in ſomnio*, crucis ſignum vidiſſe, de quo angeli adſtantes dixiſſent, HOC VINCE: nec vero Euſebii narrationi, vt antiquiori, derogatum volumus. Non facile res omnis ficta eſt, licet adfictum aliquid à variis credamus eſſe; & ſi ita eſt, vt auferendæ fidei cauſam non habemus; Deum laudamus, qui, vt Philoſtorgius ait, *tanti principis μεταβολὴν ἐκ τῆς ἑλληνίδος θρησκείας εἰς τὸν χριστιανισμὸν, a gentium religione ad chriſtianiſmum conuerſionem* tam mirifice in ſolatium adflictæ adhuc tot vexationibus eccleſiæ procurauit.

XXVIII. Sub hoc principe ceſſauit metus perſecutionum, libertas eccleſiis primum plene data, legibus, priuilegiis, ornamentis ſtabilita & confirmata. Teſtes ſunt leges eius de S. eccleſia, de epiſcopis, hæreticis, de iis qui manumittuntur in eccleſiis, & aliæ: ac quibus coercuit impietatem paganorum, qualis eſt quinta Cod. Th. de epiſcopis, & huius generis plures. Turbas quoque eccleſiæ quam ſollicite ſedare adniſus eſt, concilio, ex chriſtiano orbe, epiſcoporum coacto? Sed hæc gradatim egit, non præcipitanter, ne multitudinem irritaret, quæ tumultu plus damni inferret eccleſiæ, quam ipſe commodi adferre potuiſſet. An vero etiam deorum templa euertit? Oroſius lib. VII cap. XXVIII *clauſiſſe* ait, & hoc quidem *citra vllam hominum cædem.* Nec

vero

vero cuncta clauſit, ſed vbi fieri ſine tumultu poterat: multa ſucceſſoribus claudenda reliquit: nonnullis ſumtus ſubduxit ſacrificiorum, ab Iuliano ad breue tempus reſtituendos. Eunapius tamen, ſophiſtarum laudator, in Aedeſio poſt principium: *Κωνσταντῖνος ἐβασίλευε, τά τε τῶν ἱερῶν ἐπιφανέστατα καταστρέφων, καὶ τὰ τῶν Χριστιανῶν ἀνεγείρων οἰκήματα, Conſtantinus*, inquit, *rerum potitus, fana euertit celebratiſſima, & Chriſtianorum ædes extruxit.* Vere dixit poſterius, quia Conſtantinopoli, & Nicomediæ, & Hieroſolymis, & aliis locis templa & oratoria multa condidit: an vero diruerit illuſtria paganorum, non ita promtum eſt dicere. Ipſe Iulianus, fratris filius, Orat. VII, p. 424 Conſtantinum & filios lepida fabula exagitat, at patri tantum *ἱερὰ ὀλιγωρηθέντα καὶ ἀποσυληθέντα τῶν ἀναθημάτων, contemta & donariis ſpoliata templa* obiecit, quæ demum *κατεσκάπτετο παρὰ τῶν παίδων, a filiis ſint euerſa.*

XXIX. Quamquam autem hæc ſatis ſunt teſtimonia, quibus primum Chriſtianum principem & auguſtum imperatorem monſtremus, quem in Conſtantino nos inueniſſe haud dubitamus: non deſunt tamen, quæ contra a multis obuertantur, quibus in dubium cum pietas eius, tum vera & orthodoxa confeſſio vocatur. Zoſimus cædem Criſpi filii & vxoris Fauſtæ obiicit, quæ ſane deteſtanda ſunt crimina & inter ipſos fere paganos inaudita. Nolumus inficias ire cum Euagrio lib. III. XLI, quod omnes adfirmant. Si vero modum necis, quem Sidonius Apollinaris prodit lib. V epiſt. VIII, intuemur, qui

fri-

frigore veneni exſtinctum ait; aliquid præſidii adferri videtur Euagrio, quia quæ veneno aguntur, occulte agi notum eſt, & coniecturis potius, quam argumentis, diuulgari. Quas ab Euſebio rationes Euagrius petit, qui cædem ſileat, Criſpum laudet; infirmiores ambæ ſunt, & ab Io. Leunclauio, in apologia pro Zoſimo, confutatæ. Si autem verum eſt, quod plures tradunt auctores, non excuſamus, cum Leunclauio rati, furore concitum patris animum ex ſuſpicione de nefaria filii cum nouerca conſuetudine, præcipitanter imperaſſe, vt exſtingueretur. Fauſtæ fatum, ſi eſt vt Zoſimus & Zonaras tradunt, iniuſtis ſuppliciis numerari poteſt, non ſolum ob Criſpi cædem; cuius auctor ipſa calumniis fuerat; quam διὰ τὸ ταύτης ἀκόλαστον, *propter impudicitiam eius*, vt Zonaras refert, quia cum curſore quodam conſueſcere arguebatur, quod Philoſtorgius lib. II cap. IV prodidit.

XXX. Deinde Licinius obiicitur, cum filio, contra pacta necatus. Zoſimus cap. XXVIII, quum dixiſſet de illo, iterum victum Theſſalonicam a Conſtantino miſſum, vt priuatus ageret; addit, μετ᾽ οὐ πολὺ τοὺς ὅρκους πατήσας (ἦν γὰρ τοῦτο αὐτῷ σύνηθες) ἀγχόνῃ τοῦ ζῆν αὐτὴν ἀφαιρεῖται, *non multo poſt ei, violata iuriſiurandi religione (quod quidem Conſtantino non inſolens erat) laqueo vitam ademit.* Bonus auctor Zoſimus: at in cauſſa Conſtantini vehemens nimis & maleuolus, nec diſſimulat inuidiæ rationem, ſed præ ſe aperte fert, veterum ſacrorum immutationem ipſe acerrimus deorum cultor. Longum foret bella, Licinium inter & Conſtantinum geſta, recenſere: quorum cauſſam Zoſimus cap. XVIII Conſtantini per-

perfidiam dicit; ſed alii, nec Chriſtiani, ita ſentiunt de Licinio, vt iure oppreſſus a Conſtantino videatur. Aurelius Victor Schotti *morum* per omnia *diuerſitatem* adlegat, quod Licinius homo ſordidus & agreſtis, *cui ne inſontium quidem & nobilium philoſophorum*, (addo & Chriſtianorum) *ſeruili more cruciatus adhibiti modum fecere.* Hinc illa diſſidia, quæ Zoſimus iactat. Alter Victor, auctor Epitomes, neque hic Chriſtianus, Licinii mores exponit clarius. *Auaritiæ*, inquit, *cupidine peſſimus, aſper admodum, haud mediocriter impatiens: infeſtus litteris, quas per inſcitiam immodicam virus ac peſtem publicam nominabat, præcipue forenſem induſtriam.* Quin potius qui longe poſteriores fuerunt, & liberius ac ſine adfectu iudicarunt, vſi optimis auctoribus, qui poſtea interierunt; & Zonaras quidem πολλάκις ἄπιστον, *ſæpe fœdifragum* Licinium dixit: Cedrenus, etiam in Theſſalonicenſi cuſtodia. νεωτερίζειν, βαρβάρους μισθούμενον, *res nouas molitum, barbaros denuo conduxiſſe* contra Conſtantinum, adnotauit. Sic excuſari, vel defendi Licinii patris poteſt oppreſſio: non æque pueri Licinii, iam cæſaris, quem vel ætatis innocentia tueri potuiſſet. Eutropius in Conſtantino: *ſororis filium, commodæ indolis iuuenem, interfecit.* Hunc alii, vt plerumque fit, ſequuntur. Non autem exprimunt, ferro, an veneno, an alio modo interfectus ſit. Si non fato, ſed vi, & quidem Conſtantino iubente periit; non excuſamus factum, ſed in atrocibus numeramus, quamlibet etiam ſpeciem vel ex gentium conſuetudine, vel ex vtilitate communi habere poteſt. Sed,

vt

vt diximus, certiora de huius exitu litteris nullis ſunt prodita. Addo de patre ex Zonara, milite ad ſupplicium poſtulante, Conſtantinum cauſſam ad ſenatum retuliſſe, hunc rurſus ad milites, a quibus, permittente potius, quam iubente imperatore, interfectus ſit Theſſalonicæ. Quod ſi eſt, filius haud dubie ab iisdem vna oppreſſus eſt.

XXXI. Hæc Zoſimus & pagani Conſtantino obiecerunt. E Chriſtianis quoque ſunt, qui multa in eo deſiderant, aut verum Chriſtianum fuiſſe negant. Dubios hos reddit baptiſmi, initiationis chriſtianæ, ad finem vsque vitæ dilatio. Non enim credibile eſt, quod poſterioris ætatis ſcriptores, Zonaras, Cedrenus, Nicephorus, tradiderunt, Romæ, victo Maxentio, vel poſtea baptiſmate tinctum a Silueſtro, Romano pontifice, fuiſſe, & vna miraculo a lepra, qua laboraſſe aiunt, repurgatum. Reclamant veteres omnes, auctor vitæ Conſtantini lib. IV. cap. LXI. ſeqq., Socrates lib. I. cap. XXXIX, Sozomenus II. cap. XXXIV, Hieronymus in Chronico Euſebiano: & quod iſti de lepra dixerunt, fabula eſt, ex confuſione Copronymi Conſtantini & Magni, originem vel occaſionem nacta, vt dudum ab eruditis obſeruatum fuit. Quæ autem moræ ac prolationis tantæ cauſſa? Non inſolens illis temporibus fuit, baptiſmi lauacrum eo vsque differre, vt mundiores, tanquam recentes lauati, ex hac vita ad meliorem excederent, qui *clinici* propterea vocati ſunt, quod ἐν κλίνῃ, *in lectulo*, ægrotantes & morituri baptizabantur. Cyprianus epiſt. LXIX ad Magnum: *Quæſiſti, quid mihi de illis videatur, qui in infirmitate & languore gratiam Dei*

con-

conſequuntur, an habendi ſunt legitimi Chriſtiani, eo quod aqua ſalutari non loti ſint, ſed perfuſi. Et interiectis paucis: *Porro autem quod quidem eos ſalutari aqua & fide legitima Chriſti gratiam conſequutos, non Chriſtianos, ſed Clinicos vocant, non inuenio vnde hoc nomen adſumant, niſi forte qui plura & ſecretiora legerunt apud Hippocratem & Soranum, κλινικοὺς iſtos deprehenderunt.* Sed hi erant, quos neceſſitas morbi & vitæ periculum fecit Chriſtianos, antequam legitimum tempus catechumenorum transegiſſent.

XXXII. Præter hos erant alii, qui non neceſſitate, ſed ſponte baptiſmum differebant, idque vel timore, pietatis ſpeciem præferente, ne poſt baptiſmum peccarent, ſed loti & ſancti migrarent ex vita: vel præſumtione, quaſi peccandi licentiam exinde præſumentes. Vt enim omnium rerum eſt abuſio; ita illius quoque piæ, vt putabatur, baptiſmi dilationis. Ex quo factum eſt, vt Eccleſiæ patres in illos ceſſatores inueherentur. Tertullianus de Pœnitentia cap. VI, *Omne cunctationis & tergiuerſationis erga pœnitentiam vitium; præſumtio intinctionis importat. Certi enim indubitatæ veniæ delictorum, medium tempus interim furantur, & commeatum ſibi faciunt delinquendi.* PRAESVMTIO INTINCTIONIS, hoc eſt, fiducia, aut confidentia potius, clinici baptiſmi, omne crimen quod interea præceſſerit, certo abolituri. Quo animo Conſtantinus prorogauerit, non quidem expreſſum litteris inuenimus; in dubiis autem, vel memoriæ non proditis, lex caritatis iubet mitiorem ſententiam ſequi, nec male ſuſpicari, niſi certis rationibus ad illud inducamur. Accedit, quod Cedrenus,

Digitized by Google

nus, alii, meminerunt, in Iordane, pia ratione vel ſuperſtitione, in memoriam baptiſmatis primi, quo ipſe Saluator quoque immerſus fuerat, tingi voluiſſe. Nos vero neque dilationem baptiſmi probamus; nec aquæ Iordanicæ, cuius copia eſt paucisſimis, exſpectationem: cui illud Ambroſii Serm. Dominica VI poſt Pentecoſt. Tom. v p. 86 opponimus: *Non nobis orientalis petenda eſt regio, non fluuius terra Iudaica. Vbi enim nunc Chriſtus, ibi quoque Iordanes eſt. Eadem conſecratio, qua orientis flumina benedixit, occidentis fluenta ſanctificat.* Interim ex conſuetudine illorum temporum, quanquam minus laudabili, excuſari Conſtantinus poteſt. Tum demum enim in orientem proficiſcendi, cauſſa belli Perſici, occaſio ei oblata fuit. Morem etiam baptiſmi differendi ſequutus eſt filius Conſtantius, non prius quam morti propinquus, quum aduerſus Iulianum proficiſceretur, ab Euzoio ad Mopſucrenas baptizatus; quod Athanaſius de Synodis p. 907, & Philoſtorgius lib. VI cap. V, & Socrates lib. II cap. vltimo referunt.

XXXIII. An vero *Catechumenus* antea Conſtantinus fuerit, in quæſtionem venit. Negat Henricus Valeſius, vir clarisſimus, ad Euſeb. de vita lib. IV cap. LXI, inductus certis ritibus, manus impoſitionis, & aliis, qui ei Helenopoli demum, paucis ante baptismum diebus, quum cœpiſſet ægrotare, adhibiti fuiſſent, quod ex Euſebii illo loco putat conſtare. Nos vero, quidquid huius rei eſt, in medio relinquimus, quum non apud omnes eadem *catechumeni* ſit deſcriptio, cui plura quidam, pauciora alii

Digitized by Google

alii requirunt. Ipſe ſibi obiicit Valeſius, qui omnibus chriſtiani hominis officiis, quæ perſequitur ibi, in multis annis perfunctus fuerit, credi non poſſe, illum catechumenum modo fuiſſe. Reſpondet, hæc omnia, & plura, quæ adferri poſſent, probare quidem, Conſtantinum non gentilem fuiſſe: catechumenum autem fuiſſe; non arguere. Ergo nec Chriſtianus fuit, ſi non catechumenus, non baptizatus? fuit vtique fidei profeſſione, non fuit initiatione ſacramentorum, ante extremum vitæ, quo demum baptizatus fuit.

XXXIV. At multa permiſit indigna chriſtiano principe, haruſpicinam, lege I Cod. Theod. de paganis, ſacrif. & templis, Criſpo II & Conſtantino II coſſ. hoc eſt anno nono poſt Maxentium ſuperatum, Chriſti, CCCXXI, quæ & ante biennium fere eidem mens fuit lege I & II eiuſdem Cod. de maleficis: cuius tituli lege III magicas etiam artes innoxias per Romanam præfecturam permiſit, quamuis ipſe dudum illas contemſerat, quod teſtatur anonymus auctor panegyrici, Conſtantino dicti, cap. II. *Quiſnam, inquit, te deus, quæ tam præſens hortata eſt maieſtas, vt omnibus fere tuis comitibus & ducibus non ſolum tacite muſſantibus, ſed etiam aperte timentibus, contra conſilia hominum, contra haruſpicum monita, ipſe per temet liberandæ vrbis tempus veniſſe ſentires?* De Maxentii bello, quo Roma liberata fuit tyrannide, paganus homo loquitur. Diximus autem ſupra, pedetentim hunc principem in chriſtianis ſacris amplectendis & tuendis progreſſum fuiſſe, quod partim conſilio factum putare licet, quo, toleratis nonnullis, firmiora cetera ſtabi-

Digitized by Google

licet: partim inueteratæ conſuetudinis vitio, ex qua reliquiæ paganitatis in poſterioribus etiam principibus ſunt notatæ.

XXXV. Numiſmata alii obiiciunt, quæ nihil chriſtianum, gentiles ritus pleraque præ ſe ferant. Sic iam poſt victoriam Italicam GENIO AVGVSTI, GENIO POPVLI ROM. item HERCVLI VICTORI, MARTI PROPVGNATORI inſcriptos nummos videmus plurimos, per omnem vitam cuſos, (nam illos pot nunc intra biennium a victoria) cum Victoriæ, & quosdam vna cum Victoriolæ ſigno, quod ſane inter idola abiiciendum ſit. Quæ prioris ſunt generis, ipſi fatentur, qui obiiciunt, proxime a victo Maxentio numeranda eſſe, quo tempore etiam illuſtr. Mediobarbus collocauit. Sed dictum ſupra, ſenſim & gradatim progreſſum eius chriſtianiſmum eſſe, vno anno vel tempore non omnia abrogata: & quia paganos miniſtros non eiecit palatio, ſed tolerauit; etiam quæ illorum conſilio fiebant, præſertim in profana re & monetaria, tolerabat. Victoriæ ſignum per ſe non eſt malum, vti nec virtutum imagines, niſi quis illas pro deabus colat, quod de Conſtantino non probaueris. Immo quid in familia eius de ea Victoria ſit creditum, Conſtantis filii, plus libertatis nacti, exemplo conſtat, Victoriæ aram, in veſtibulo curiæ erectam, euertentis, quam fruſtra Symmachus lib. x epiſt. LXI auguſtis ſuis imperatoribus reſtituendam commendat.

XXXVI. Quod ſi vero fuit Chriſtianus Conſtantinus an etiam orthodoxus ſiue catholicus, nec ſectæ potius addictus Arianæ fuit? Sed ab hoc ipſum crimine

ne Nicena ſynodus defendit. Quid vero poſtea, quum Arium recepit, Athanaſium in Treuiros relegauit, & tandem ab Ariano epiſcopo baptizatus fuit? Notæ ſunt artes & voces ambiguæ Arianorum, qui quamuis ſentirent aliter, Nicenam tamen & ipſi confeſſionem crepabant: quo dolo vel cautiſſimis imponebatur. Nec tam in ſacra, quam in ciuili cauſſa damnatus calumniis Athanaſius eſt, Socrate teſtante lib. I cap. xxxv. Nicomedienſis quoque præſul non alius videri, quam orthodoxus volebat, pro quo & Conſtantinus, credulitate deceptus, ipſum habuit.

XXXVII. Attamen ex Conſtantini temporibus decreuit virtus eccleſiæ: mala affatim inuecta ſunt, quæ in dies in maius aucta nunquam penitus eradicari potuerunt. Libertas, immunitates, donaria, tum cœpta & deinceps mirifice aucta, in cauſſa fuiſſe non negamus, vt pietas & fides deferueſcerent: quod vtique meliores Chriſtiani erant, quum vngula inter ipſos & equuleus & reliqua tortoris inſtrumenta ſtrepitum facerent. Sed adfluentia illa, eiusque auctores, non per ſe fuerunt langueſcentis chriſtianiſmi cauſſa: verum ex accidente, vt aiunt, & vitio hominum, qui verum vſum in abuſionem, vt fieri ſolet, peruertunt.

XXXVIII. Faſtu tandem & ſuperbia laboraſſe Conſtantinum dicunt, quo malo agitatus nouam vrbem dedicauerit, de ſuo nomine, quod gloriæ cupiditatem arguat, appellatam. Quis vero ignorat, principes viros ſtudioſiores laudis & gloriæ eſſe? nec vrbes condere, aut de ſuo nomine appellare reprehendendum per ſe eſt. Neque rationes defuerunt, cur Ro-

Digitized by Google

ma vetus diſpliceret, in quibus & piæ ſunt nec ſine laude dimittendæ, quod vetus Roma deorum cultui pertinaciter addicta erat: de Byzantio autem Sozomenus lib. II cap. III teſtatur πολλοὺς μὲν Ἰουδαίους, Ἕλληνας δὲ σχεδὸν ἅπαντας αὐτόθε χριστιανίζειν, *multos ibi Iudaeos, gentiles propemodum omnes rei chriſtianæ ſtudere.* Nec ſine diuino id inceptum conſilio fuiſſe, lege VII Cod. Theod. de nauicular. teſtatur ipſemet imperator. *Pro commoditate vrbis*, inquit, *quam æterno nomine*, IVBENTE DEO, *donauimus.* Iuſſionem illam ad ſomnium alii, vt Sozomenus d. l. alii alio referunt, & Philoſtorgius quidem lib. II cap. IX ad δύναμιν οὐρανίαν, *cæleſtem potentiam* ſiue inſtinctum. Quid multa? vitia huius principis non deprecamur, neque excuſamus, vtpote, non ignari, quam pauci (ne dicam nulli) ſint, quorum virtutes nullo vitiorum confinio lædantur: chriſtianam eius confeſſionem, & in eccleſiam non tacenda merita, tuemur, & laudamus quoque, Deumque precamur, vt bonos & chriſtianos principes eccleſiæ ſemper det atque conſeruet.

ADDITAMENTA.

I.

ORacula non ſtatim poſt Auguſti tempora ceſſauerunt. Reſpondit Delphicum Neroni, *Sueton. c. 40.* reſpondit longe poſt de Seueri & Nigri certaminibus conſultum, *Spartian in Nigro cap. 8.* nec prius obmutuerunt omnia, quam Chriſti do-

ctrina orbem illuſtrante primum contemni cœpore, deinde deſeri & ſpoliari.

II. Dedicatio nouæ Romæ non fuit vera cauſſa diſſoluendi imperii, ſicut illud non diſſolutum fuit, quum auguſtorum ſedes fuit Nicomediæ, Sirmii, Mediolani, Auguſtæ Treuirorum, Eboraci.

III. Diuiſio imperii in quatuor præfecturas prætorii, a Conſtantino facta non fuit inutilis reipublicæ. Ita cenſemus contra Zoſimum.

DISSERTATIO XV.

DE STVDIIS ROMANORVM LITTERARIIS IN VRBE ET PROVINCIIS,

habita, An. 1698.

IMperiorum & rerumpublicarum, quas Deus ab orbe condito eminere voluit, primas partes Romanam tuliſſe magna conſenſione, quotquot non rudes hiſtoriarum ſunt, ad vnum omnes rationibus non incertis perſuaſi confirmant. Nullum enim vnquam imperium cum hoc vel amplitudine finium & numero prouinciarum; vel copiis & exercituum robore & inde ſequuta victoriarum gloria; vel denique adminiſtrationis prudentia & diuturna rerum conſeruatione, comparari potuit, vt non magno poſt illud interuallo relinquatur. Cauſſam ma-

Digitized by Google

magnitudinis percontati, plures quidem in armorum peritia & firmitudine inueniſſe putant, quam nemo quidem negabit facile ad ſubigendos populos & proferendos fines contuliſſe; ſi vero nobis dicendum eſt, quod ſentimus, ingenue fatemur, illam neque vnicam nobis, neque præcipuam cauſſam magnitudinis Romanæ, quam indicauimus, videri. Prœlio enim vincere & vrbes expugnare, ac populos in ſeruitutem redigere etiam barbarorum eſt: at victos deditosque ad vitam manſuetiorem adducere, eosque ita in officio continere, vt non inuiti pareant, neque ſe victos eſſe, ſed auctos felicitate fateantur: ita qui vicit, is maiori, quam armorum, præſidio imputare victoriam neceſſe habet.

II. Quum autem duo ſint, quibus Romani nominis ſui magnitudinem implerunt; armorum peritia & ſtudia litterarum; atque armis arma irritentur, neque tranquilla obtineatur felicitas; conſequens eſt, vt litterarum cultura effectum ſit, vt ad tantum faſtigium Romana maieſtas eueheretur, & per tot ſæcula in eodem immota atque inconcuſſa etiam perſtaret. Liberalibus enim diſciplinis & ipſi didicerunt, qui benigne atque ex æquo imperarent: & qui illorum ditioni ſubiecti erant, in ſtudiorum ſocietatem perducti, promtiores facti ad parendum ſunt, poſtquam litterarum lumine cognouerunt, quorum imperio acceptum referrent, quod a barbarie ad vitam cultiorem, & ab inſcitia ad humanitatem & variam doctrinam traducti eſſent. Quum itaque tantos fructus ex ſtudiis percepiſſe Romanos conſtet, operæ pretium facturi nobis videmur, ſi in ſtudia illorum, quibus tantam conſe-

quuti

quanti felicitatem ſunt, diſputando inquiramus, ut æmulatione excitati, quod ſalubre nobis & noſtræ ſit reipublicæ, tanquam ab exemplo, in illuſtri loco ad imitandum propoſito capiamus.

III. Sero in urbe ſtudia litterarum coli & exerceri cœperunt, nec ante Punica bella quiſquam clarus iis diſciplinis inter Romanos commemoratur. Omnis doctrina antiquitus philoſophia, hiſtoria, poeſi, & oratoria arte continebatur, cui pauci ius ciuile addiderunt: ſed politiores litteræ poeſi maxime ac oratoria concludebantur. *Liuius Andronicus* primus fabulam Romæ docuit, ſeu litteraturam illam comicam a Græcis in Latinos transſtulit anno circiter proximo poſt finitum bellum I Punicum. Ciceronem auctorem ſequimur in Bruto cap XVIII. *Hic Liuius*, inquit, *qui primus fabulam C. Clodio Ceci filio & M. Tuditano* coss. *docuit, anno ipſo antequam natus eſt Ennius, poſt Romam conditam autem quarto decimo & quingenteſimo, vt hic ait quem nos ſequimur.* HIC, id eſt Pomponius Atticus in Annalibus, qui inter colloquutores erat. Ex quibus corrigendus eſt alius locus Ciceronis lib. I Tuſcul. Q. cap. I, vbi legimus: *Serius poeticam nos accepimus. annis enim fere CCCCX poſt Romam conditam Liuius fabulam dedit, C. Claudio, Ceci filio, M. Tuditano, conſulibus, anno ante natum Ennium.* Accedunt Faſti, qui illos conſules, poſt quingenteſimum, anno XIII conſtituerunt: & Gellius lib. XVII cap. XXI idem confirmat.

IV. Quinto poſt anno, quam Liuius ingenium proferre cœperat, hoc eſt IↃXIX vrbis conditæ, *Næuius* poeta fabulas apud populum dedit, vti apud Gellium

d. l. eſt; quem breui poſt *Ennius*, bello Punico II centurio, ſequutus eſt; qui in maius meliusque Latinas literas ingenio ſuo prouexit. Hunc plures exceperunt *Cæcilius*, *Pacuuius*, *Attius*, *Afranius*, *Lucilius*. Velleius Paterculus lib. II cap. IX *Clara per idem æui ſpatium fuere ingenia; in togatis Afranii, in tragœdiis Pacuuii, vſque in Græcorum ingeniorum comparationem euecti. - - - Celebre & Lucilio nomen fuit, qui ſub P. Africano, Numantino bello, eques militauerat.* Hos vt ingenio valuiſſe non negamus: ſic arte rudes fuiſſe, ſi poſterioribus comparentur, non diffitendum eſt: quod de Ennio Ouidius dixit lib. II Triſt. v. 424. Et Cicero de Clar. Orat. cap. LXXIV *Aetatis illius iſta fuit laus, tanquam innocentiæ, ſic latine loquendi: nec omnium tamen. nam illorum æquales, Cæcilium & Pacuuium, male loquutos videmus.* Sub idem tempus *Plautus* iam tum elegantioris notæ, eminuit. Eiuſdem Tullius temporis notauit d. l. cap. XV. *Plautus inquit, P. Claudio L. Porcio, viginti annis poſt illos, quos ante dixi, conſules mortuus eſt, Catone cenſore.* qui annus in Faſtis eſt IↃLXIX; aut Ciceronis calculo, antea dato, IↃLXX.

V. Nec minor multo *Terentius* fuit, cultu nitidior præclarus auctor, de quo, vt ipſe prologo Adelphorum ait, maleuoli homines, eruditioni eius detrahentes, dixere,

homines nobiles

Eum adiutare, aſſidueque vna ſcribere,

quos nobis auctor Vitæ Terentianæ prodidit: *Cum multis nobilibus familiariter vixit, ſed maxime cum Scipione Africano & C. Lælio.* Vtrumque autem, &

Læ-

Digitized by Google

Lælium & Scipionem, minorem intelligimus; quod auctor Vitæ Terentii ex Feneſtella probat, intra finem belli Punici ſecundi, & initium tertii, & natum & mortuum eſſe Terentium. Quinquaginta autem anni inter ſecundum & tertium bellum fuit. C. Lælium Terentio æqualem fuiſſe tam ſtudiis quam ætate, etiam Cicero teſtatur ad Atticum lib. VII epiſt. III: *Terentii*, inquit, *fabellæ propter elegantiam ſermonis putabantur a Caio Lælio ſcribi.* De Scipione, Lælii ſocio Velleius lib. I cap. XIII: *Scipio Aemilianus, vir avitis P. Africani, paternisque L. Pauli virtutibus ſimillimus, omnibus belli ac togæ dotibus, ingeniique ac ſtudiorum, eminentiſſimus.* Ecce nunc elegantiora ſtudia, tempore tertii belli Carthaginienſis: & par in his ſtudiis exercendis nobiliſſimum Scipionem & C. Lælium; quos, quod poetam amabant, adiuvabant, poetarum cenſui potius, quam alii ordini, adſcriptos iam volumus.

VI. Sub idem tempus quidam hiſtorias ſcribere non infeliciter cœperunt. *Fabius Pictor* haud dubie illorum primus fuit; quem Livius lib. XXII cap. VII de prælio ad Traſimenum lacum, tanquam *æqualem illis temporibus auctorem* ſequutus fuit. Hunc etiam Gallico bello, quod IX annis ante Annibalicum ab univerſa Italia geſtum fuit, interfuiſſe, idemque ſcripſiſſe, Eutropius auctor eſt lib. III cap. II. Hunc Latine ſcripſiſſe ex eo conſtat, quod Catoni & Piſoni Frugi, oppido antiquis Latinis, M. Tullius lib. II de Oratore cap. XII coniunxit & interſeruit. An vero etiam Græcos annales ſcripſerit, ut probari videtur ex lib. I de Divinatione cap. XXI, non in aperto eſt. Voſ-

ſius mauult diuerſos ſtatuere, quam pro eodem ſcriptore habere. *Catonis origines*, quas ſenex ſcripſit, in fragmentis adhuc ſunt commendabiles. His adiungit Cicero, *vt diximus*, *Piſonem*, qui Calpurnius Frugi eſt, cuius ætatem indicat in Bruto cap. XXVII, quia hic primus legem de repetundis, quæ *Calpurnia* inde dicitur, L. Cenſorino & M. Manlio coss. tulit, hoc eſt anno vrbis IↃCV. Annales ei *exiliter ſcriptos*, ibidem tribuit. Proximus huic *L. Caſſius Hemina*, quem ludis ſæcularibus quartis interfuiſſe anno vrbis IↃCVIII celebratis, Cenſorinus teſtis eſt cap. XVII. Laudatur a variis, Plinio, Gellio, Macrobio, Nonio, aliisque. Poſteriores fuere *L. Siſenna*, *Q. Claudius Quadrigarius*, *Q. Valerius Antias*. Velleius Paterculus lib. II cap. IX de Numantino bello & proximis temporibus: *Hiſtoriarum auctoriam tum Siſenna erat iuuenis, ſed opus belli ciuilis Sullani poſt aliquot annos ab eo ſeniore editum eſt. Vetuſtior Siſenna Cælius: æqualis, Rutilius, Claudiusque Quadrigarius, & Valerius Antias.*

VII. Oratores ſuccedunt, quos non ex prima ætate arceſſimus, Menenium Agrippam, ſeditioſam plebem ex ſacro monte reuocantem: Appium Claudium Cæcum, pacem cum Pyrrho in ſenatu diſſuadentem: M. Popilium, læna amictum a ſacrificio, ſeditiones itidem oratione ſedantem; de quibus Liuius II cap. XXXII, Silius Italicus lib. XIII. 725, Cicero in Bruto cap. XIV; qui etſi naturali vi perſuaſerunt populo, quod tamen ſine arte dicendi fuerunt, neque oratores dicendi ſunt. Cicero d. l. *Eos oratores habitos eſſe, aut omnino tum vllum eloquentiæ præmium*

fuiſſe.

Digitized by Google

fuiſſe, nihil ſane mihi legiſſe videor. Non ergo ante bella Punica inueniemus quos in numero ponamus eloquentium oratorum. Primum autem cum Cicerone cap. XV ponimus *M. Cornelium Cethegum,* quem Ennius audiuit, & hoc elogio in nono annali ornauit:

Additur orator Corneliu' ſuauiloquenti
Ore Cethegus Marcu', Tuditano collega.

Cenſorius *Cato* non orationibus minus, quam originum hiſtoricis, & de re ruſtica libris clariſſimus, huic forte proximus ex iis, quorum nomina memoriæ dicata ſunt, ſucceſſit. *Antiquior quidem eſt eius ſermo, & quædam horridiora verba. Ita enim tum loquebantur. Id muta, quod tum ille non potuit; & adde numeros; & aptior ſit oratio: ipſa verba compone, & quaſi coagmenta, quod ne Græci quidem veteres factitauerunt: iam neminem antepone Catoni,* quod Ciceronis iudicium eſt de Clar. Orat. cap. XVII. Poſt hunc maiori ſe numero proferebant, *C. Lælius* & *P. Scipio* Aemilianus, vterque *Gracchus*, Tiberius & Caius; *Seruius Galba, C. Carbo,* & quos alios eius ætatis laudat d. l. cap. XXV ſeqq. M. Cicero. Sed omnes fere ingenio & artificio dicendi ſuperarunt *L. Craſſus* & *M. Antonius*, quos Tullius inter ſe comparauit de claris Orat. cap. XXXVII. Horum enim ætas in maioris lucis ortum iam vergebat. Antonius enim Mariana ſæuitia exſtinctus eſt: Craſſus paullo ante, in morbum ex contentione vocis implicatus, exſpirauerat.

VIII. Sic ſenſim eloquentia in vrbe ſuccreuit, & in dies facta ornatior, ad aliud tempus adſpirauit, quo ſupremam limam M. Tullius expoliendæ adhiberet.

Mi-

Digitized by Google

Mireris vero ſub idem tempus, & eodem Craſſo au-ctore; Latinos rhetoras vrbe expulſos eſſe, quod ſane maximum detrimentum eſt ſtudiorum & eloquentiæ. Suetonius de Clar. Rhetor. cap. I, tradit, a *Cn. Domitio Aenobarbo & L. Licinio Craſſo cenſoribus* (qui Craſſus ipſemet orator eſt, quem modo laudauimus) *ita edictum eſſe: Renuntiatum eſt nobis eſſe homines, qui nouum genus diſciplinæ inſtituerunt, ad quos iuuentus in ludos conueniat: eos ſibi nomen impoſuiſſe LATINOS RHETORAS: ibi homines adoleſcentulos totos dies deſidere. Maiores noſtri quæ liberos ſuos diſcere, & quos in ludos itare vellent, inſtituerunt. Hæc noua, quæ præter conſuetudinem ac morem maiorum fiunt, neque placent, neque recta videntur. Quapropter & iis, qui eos ludos habent, & iis qui eo venire conſueuerunt, videtur faciendum, vt oſtendamus noſtram ſententiam, NOBIS NON PLACERE.* Idem Gellius lib. xv cap. xI repetiit. Quod ſi vno anno ante bellum Marſicum ita ſancitum fuit: minus eſt quod admiremur, LXX ante annis, Fannio Strabone & Valerio Meſſala conſulibus de philoſophis & rhetoribus SC. factum, VTI ROMAE NE ESSENT, quod ibidem Suetonius adnotauit. Sed non eſt, cur eius nos admiratio, quaſi iuſtam ob cauſſam, ſubeat. Virtus, æquum, integritas adhuc Romanis curæ erant, quo fieri non potuit, vt rhetorum & ſophiſtarum argutiæ & captiones, fictæque ad ius peruertendum controuerſiæ ac declamationes placerent. Nam rhetorum diſciplinæ, a Græcis inuentæ, multiplex tum abuſio erat & turpis deprauatio; cuius rei in declamationibus, quæ ſuperſunt, veſtigia videmus.

La-

Digitized by Google

Lactantius, non ignobilis rhetor Nicomediæ, id nos arcanum perdocere expertus ipſe & exercitus poteſt, qui quum ad Chriſti veritatem litteris mandandam ſe contuliſſet, de ſe dicit lib. 1 Div. Inſtit. cap. 1. *Quæ profeſſio multo melior, vtilior, glorioſior putanda eſt, quam illa oratoria, in qua diu verſati non ad virtutem, ſed plane ad argutam malitiam iuuenes erudiebamus.* Scilicet ita eſt: ſenatus conſulto illo & edicto cenſorio non vera eruditio aut ſincera oratoria, ſed fraudulenta & captioſa quæ legibus inſidiatur, & vſum forenſem peruertit, expulſam priſci Romani, cordatiſſimi mortales, voluerunt: quod recte & ordine cenſemus factum, quia nihil peſtilentius virtuti eſt & innocentiæ, quam illas fraudes in republica tolerare, & ad eas inſtituere iuuentutem.

IX. Veram autem philoſophiam & iuris ſcientiam ad vſum ciuitatis & reipublicæ comparatam, nec priſci Romani neglexerunt. Teſtes clariſſima nomina, a Pomponio lege 11 de Orig. Iuris laudata, Aeliorum, Scæuolarum, Semproniorum, aliorumque, quorum opus interpretatione erat ad forenſem eloquentiam ſtabiliendam. Quod enim Q. Mucius apud Pomponium d. l. dixit, *turpe eſt cauſſas oranti, ius, in quo verſamur, ignorare.* Nec minus philoſophia, præſertim illa, quæ de moribus, & officio, animique characteribus agit, ad eloquentiam excolendam opus erat. Eiusdem vſum in eloquentia, ipſius Ciceronis voce ex libro, quem Oratorem præſcripſit & M. Bruto dedicauit, cap. III demonſtramus. *Fateor*, inquit, *me oratorem, ſi modo ſim, aut etiam, quicunque ſim, non ex rhetorum officinis, ſed ex Academiæ ſpatiis*

ex-

exſtitiſſe. Dicendum enim in republica eſt de bello, pace, fœderibus, & principum ciuiumque communi ſalute, de moribus & cupiditatibus hominum & infinitis id genus aliis, quæ ſane non ieiuni rhetores explicabunt, ſed omnibus rebus inſtructi philoſophi ex penu ſua promunt & ſuppeditant. Non ergo veteres Romani ſine philoſophia fuerunt, quia non fuerunt ſine arte oratoria; neque tamen ita tum exculta, vt inde a Ciceronis temporibus fuit. Ipſe lib. IV Tuſcul. Quæſt. cap. III, *Sapientia*, inquit, *ſtudium vetus id quidem in noſtris: ſed tamen ante Lælii ætatem & Scipionis non reperio, quos appellare poſſim nominatim.* Et lib. I. Tuſcul. cap. III. *Philoſophia iacuit vsque ad hunc ætatem, nec vllum habuit lumen litterarum Latinarum.*

X. Hactenus de ſtudiis ante Ciceronis tempora, ſub quibus nitidiorem faciem omnia induerunt. An vero quæ anteceſſit ætas, inter Punica bella & Ciceronem, *ſemibarbara* dicenda ſit, quæris? Ait Sam. Bochartus, vir clariſſimus, Epiſtola de Aeneæ nauigatione: quod ita Olaus Borrichius, principio Analectorum, negat, vt *aureum* contra & illa ætate ſæculum litterarum ac Latinitatis fuiſſe exiſtimet. Nos viam mediam tenemus, & aurum quidem illis temporibus inueniri concedimus, at rude plerumque & impolitum, quod Ciceronis ætate poliri ſplendidius cœpit, & ab ipſo nitidiſſime expolitum eſt. Pretium ergo erit, ab ortu melioris ſæculi Romanorum ſtudia maiori cura & a pueris vſque perluſtrare, vt totus curſus eorum litterarius, quantum fieri poteſt, ac nobis nunc

Digitized by Google

nunc ſuppetit, & e re inſtituti noſtri eſt, ante oculos proponatur.

XI. Quæ fuerit ratio educationis & inſtitutionis apud Romanos pulchre docet auctor de cauſſis corruptæ eloquentiæ cap. XXVIII, videlicet non in cella emtæ nutricis, ſed in gremio ac ſinu matris educatos filios fuiſſe, in partem curarum adhibitis, quorum probatis ſpectatiſque moribus ſoboles familiæ committeretur, coram quibus nec dicere fas eſſet, quod turpe dictu, neque facere quod inhoneſtum factu videretur. Quæ diſciplina ac ſeueritas eo pertinebat, vt ſincera puerorum natura, nullis detorta prauitatibus ex aliorum exemplo, toto ſtatim pectore in virtutem & honeſtas artes incumbendi locum haberet. Sic plerumque domi & in contubernio matris, elementa diſcebantur. quibus adreptis, extra limen producti, vt grammaticum Græcum, & rhetorem Latinum audirent. Nam in ſcholis & multorum conuentu malebant ſuos, quam priuatim & ſingulares inſtitui, vt æmulatione ingenium accenderetur, & certatim promouendo maiores progreſſus facerent. Quod enim vere Paterculus dixit lib. I cap XVII, *alit æmulatio ingenia, & nunc inuidia, nunc admiratio incitationem accendit:* ſine qua ſi relinquitur adoleſcens, torpet, marceſcit, aut peſtifero errore ſibi plus attribuit, quam didicerat, quod, qui plura ſcirent, inter æquales nondum cognouit. Quæ morum integritate ex cætu obiiciuntur, Quintilianus lib. I cap. II confutat, ad quem lectorem remittimus. Nobili exemplo eſt T. Pomponius Atticus, qui, Nepote teſte, *in pueritia nobilis inter æquales ferebatur, clariusque exſplendeſcebat,*

Digitized by Google

bat, quam generoſi condiſcipuli animo aequo ferre poſſent. Itaque incitabat omnes ſtudio ſuo. Hinc eſt, quod cap. v eum cum M. Cicerone *à condiſcipulatu* coniunctiſſime vixiſſe tradit. Plinius quoque Corelliæ Hiſpullæ, nobili feminæ, conſulturus, cui filium præceptori tradat, a quo mores non minus, quam eloquentiam diſcat; *Adhuc*, inquit lib. III epiſt. III, *illum pueritiæ ratio intra contubernium tuum tenuit, præceptores domi habuit, - - - iam ſtudia eius extra limen proferenda ſunt, iam circumſpiciendus rhetor Latinus, cuius ſcholæ ſeueritas, pudor inprimis, caſtitas, conſtet.*

XII. Princeps Romanis ſtudium *eloquentiæ* erat, quem philoſophiæ & iurisprudentiæ anteferebant. Seruius itaque Sulpicius, quum videret Ciceronem Hortenſiumque eloquentia vinci non poſſe, ad iuris ſcientiam, impenſius colendam, ſeſe contulit, vt Ciceroni de Clar. Orat. cap. XLI, viſum fuerit, *in ſecunda arte primum eſſe maluiſſe, quam in prima ſecundum.* Quum itaque primas Romani eloquentiæ deferrent, neque aliter per ampliſſimi ſui imperii formam poſſent: ad illam omne ſtudium a pueris referebant. Prima autem cura litterarum Græcarum fuit, quæ non minus olim, aut magis etiam, neceſſariæ erant, quam hodieque Latinæ ſunt, vt auſpicium fieret ab Homero, cuius præceptis atque exemplis puerile pectus ad virtutem præparetur. Plinius lib. II epiſt. XIV dixit, *pueros auſpicari ab Homero in ſcholis.* Huic Menander, Euripides, Sophocles adiungebantur: dein hiſtorici, Thucydides, Herodotus, Xenophon, Polybius. Hoc decurſo ſtadio, ſe philoſopho dabant & rhetori, vt

vt in illius ſchola diſſerendi artem; in huius, declamandi exercerent; & vtramque Græce magis quam Latine; quod illa lingua omnium diſciplinarum præcepta tradebantur; & in illa qui artis peritus erat, facili labore ad patrium ſermonem eandem applicaret: non autem viciſſim qui Latine prius declamauerat, ad Græcam æque orationem adducebatur. Cicero de ſe in Bruto cap. xc, *Commentabar declamitans, ſæpe cum M. Piſone, & cum Q. Pompeio, aut cum aliquo quotidie, idque faciebam multum etiam Latine, ſed Græce ſæpius, quod Græca oratio, plura ornamenta ſuppeditans, conſuetudinem ſimiliter Latine dicendi adferebat.* Quid? quod idem ſummus orator *ad præturam vſque Græce declamauit*, vt Suetonius de Clar. Rhet. cap. I oſtendit. Quum ergo nobis Latina lingua eodem vſu ſit, quo priſcis Romanis fuit Græca, non probamus illorum conſuetudinem, qui in ſcholis ſuos Teutonicis declamationibus exercent, antequam Latine ſcribere ſecundum artem, & declamare didicerint. Exemplis enim comprobatum fuit, illos raro (ne dicam, nunquam) ad Latinitatis nitorem poſtea peruenire.

XIII. Sic quum in patria pueritiam quidam etiam in Græca ciuitate ob faciliorem Græcæ linguæ vſum, vt Maſſiliæ Agricola Foroiulienſis, cuius vitam Tacitus ſcripſit, exegiſſent; toga virili ſumta, in caſtra profecti ſtipendia merebant, etiam quibus animus non eſſet ad faſtigium ducis aliasque militiæ dignitates enitendi; ne poſtea ſenatores aut proconſules ignari eſſent rerum bello gerendarum. Nec vero in caſtris intermiſſa ſtudia litterarum, quum nec ipſi ſummi

Digitized by Google

duces ſibi temperarent, quin, ſi diurnis horis non liceret, noctis tamen partem quandam litteris vindicarent. De Octaviano Cæſare teſtis eſt iterum Suetonius dicto de Rhetoribus libro cap. I; de Plinio ipſemet lib. I epiſt. x. *Hunc*, inquit, (Euphratem philoſophum) *ego, in Syria quum adoleſcentulus militarem, penitus & domi inſpexi, amarique ab eo laboravi.* Et lib. III epiſt. XI *Artemidorum*, alium celebri nomine philoſophum, *ipſum iam tum quum in Syria tribunus militarem, arcta familiaritate complexus ſum: idque primum nonnullius indolis dedi ſpecimen, quod virum aut ſapientem, aut proximum ſimillimumque ſapienti, intelligere ſum viſus.* Omnibus in bellum proficiſcendum erat, etiam omnibus ſectanda litterarum ſtudia, nec in claris Romanis exemplum fuit, qui non utrumque ſtudium coniunxerit, præter C. Marium, facem illam ciuilis belli, cuius, ceteroqui Marte clari, vox barbara apud Salluſtium Iug. ca. LXXXV eſt, GRAECAS LITTERAS NON DIDICI; quod etiam non iuranti credideris, quia nihil cultum moratumque in vita eius fuit, neque potuit ſine litteris eſſe: ſed ſæua, truculenta omnia, ideoque miſero exceſſu, quem Plutarchus deſcripſit, poſt tot honores opesque ſepties conſul, quod nemini ante ipſum contigerat, ſumma perturbatione animi & inter eiulationes, indignas viro, extinctus eſt. Quas vero ipſe ſpreuerat litterarum diſciplinas, quaſi ominatus infelicitatem ſuam, filium perdiſcere non recuſauit, qui inter Pomponii Attici æmulantes condiſcipulos cum Torquato & Cicerone, a Corn. Nepote in Vita Attici cap. I numeratur.

XIV

Digitized by Google

XIV. Qui non perpetuam militiam elegiſſent, ex bello poſt alterum tertiumue annum reuerſi, Latino ſenatori dederunt, quem aſſidue ſectarentur, & dicendi artificium & cauſſas agendi ex illo diſcerent: atque etiam in forum producebantur, (Plin. lib. II epiſt. XIV. num. 3) vt periculum facerent eloquentiæ, accuſando aliquem vel defendendo in cauſſa illuſtriori. Exemplum Plinius idem præbet lib. VI epiſt. XXIII. Quo vero magis perficerent, exornarentque, quæ bene cœpta erant ſtudia, vel tum, poſt ingreſſum in forum, vel antea etiam, vel quandocunque occaſio in bello, in prouinciis, vel alia ſe oſtendit, in Græcas litterarum ſedes profecti, vt inclutos viros audirent, eorumque exemplo ac conſuetudine & ſe & ſuam doctrinam confirmarent. Athenæ præcipue, & Apollonia ad mare, & in citeriore Aſia Rhodus ac Mitylene erant, aliæque in Aſia nobiles tum litterarum ſedes. Exempla ſint interpretamento. Cicero de ſe ipſe teſtis eſt ſub finem libri de Claris Oratoribus, quum eſſet biennium verſatus in cauſſis, & iam in foro celebratum eius nomen eſſet, Athenas profectum, ſex menſes cum Antiocho, veteris Academiæ philoſopho, fuiſſe, ſtudiumque philoſophiæ, nunquam antea intermiſſum, hoc ſummo auctore renouaſſe. Eodem tempore Athenis apud Demetrium Syrum, nobilem dicendi magiſtrum, ſe ſtudioſe exerceri ſolitum. Poſt Aſia tota peragrata, vbique inueniſſe, quibuscum exerceretur, lubentibus, quod promtiſſimi adeſſent ei diſcendi cupido, Dionyſius Magnes, Aeſchylus Cnidius, Adramyttenus Xenocles, qui tum principes rhetorum in Aſia numerabantur: cum primis autem

Digitized by Google

Menippum Stratonicenſem, tota Aſia illis temporibus diſertiſſimum admiratus fuit, de quo ita iudicauit: *Si nihil habere moleſtiarum, nec ineptiarum, Atticorum eſt, hic orator in illis numerari recte poteſt.* Non contentus hiſce, in Rhodum nauigauit, & Moloni, quem Romæ audiuerat, ſe rurſus applicando, didicit egregio hoc magiſtro, iuuenilem orationis abundantiam intra ripam coërcere. Romam inde regreſſus, Cottæ adhæſit & Hortenſio, ſed huic magis, ſummis tum in vrbe oratoribus, vt horum exemplo ſuam confirmaret eloquentiam. Iuris autem ciuilis cauſſa Q. Mucio Scæuolæ, P. F. multum operæ dedit, qui, quamquam nemini ſe ad docendum dabat, tamen conſulentibus reſpondendo, ſtudioſos audiendi docebat.

XV. Hoc iter fuit Ciceronis litterarium. quam diuerſum ab iis, qui vulgo peregrinantur non diſcendi cauſſa, ſed voluptatis conquirendæ, qui quod ruditatem ſuam, quoque eunt, circumferunt; nihil eos iuuat terrarum nouitas, nihil cognitio vrbium, locorumque antea inuiſorum: nihil ædificia vidiſſe ſplendida, equorum ſtabula in aulis perluſtraſſe, diuerſicolori famulitio principum ſuos oblectaſſe oculos. Virtus, eruditio in oculis, in animo ſint peregrinantium, vt vbique obſeruetur, quod vtramque alat atque augeat: & quouis loco recordentur, qui clari viri veſtigia ibi impreſſa reliquerint, quid actum honeſte, quod imitamento virtutis, & augmento eruditioni eſſet. Huc niſi peregrinantis animus vertatur, in vtroque genere antea præparatus, & vt diſcat qui mores hominum, quæ virtutes, quæ ſcientiarum ornamenta ſint; fruſtra iter ingreſſus eſt, & vitiis cumulatior redit do-

Digitized by Google

domum, quia virtutem peregrinorum neque cognouit, nec ſibi conciliauit.

XVI. Hæc ſtudia tum in vrbe erant: hæc vrbanorum in peregrinatione. Addo de bibliothecis, quæ publici iuris vt eſſent, ſero inſtitutæ ſunt: priuatæ autem pæne multæ & illuſtres inſtar publicarum, eruditorum vſui ſine inuidia patebant. Aemilius Paullus, victo Perſe, ingentem vim librorum e Macedonia Romam attulit: neque non e Ponto & Aſia L. Lucullus. De Paullo Iſidorus Orig. lib. VI cap. de Bibliothecis: de Lucullo Plutarchus in vita. Huius vt magnifica omnia erant poſt victoriam; ita etiam bibliotheca. Plutarchus p. 519 de illa bibliotheca; ἧς ἡ χρῆσις ἦν φιλοτιμοτέρα τῆς κτήσεως, ἀνειμένων πᾶσι τῶν βιβλιοθηκῶν, *vſus, quam comparatio, liberalior erat, quod omnibus paterent eius bibliothecæ*, & vndecumque adueniſſent eruditi, in eas earumque περιπάτους καὶ σχολαστήρια, i. e. ambulationes ſe conferebant, ὥσπερ εἰς μουσῶν τι καταγώγιον, *tanquam in Muſarum diuerſorium*. Pluratiuo numero βιβλιοθηκῶν dixit, quia non tantum in vrbe, ſed in villis etiam inſtruxerat. Præter vrbanas enim bibliothecas generoſiſſimus quiſque Romanus in ſingulis villis ſuis bibliothecam conſtituerat, vt quoties in illas ſeceſſiſſent, liberius ibi, ab vrbis ſtrepitu & interpellationibus vacui, operam optimis litteris darent. Cicero de Finib. lib. III cap. II, *In Tuſculano quum eſſem, vellemque e bibliotheca pueri Luculli quibuſdam libris uti, veni in eius villam, vt eos ipſe, vt ſolebam, inde promerem. quo quum veniſſem, M. Catonem, quem ibi eſſe neſcieram, vidi in*

 bibli-

bibliotheca ſedentem multis circumfuſum Stoicorum libris. Et Plinius lib. III epiſt. VII de Silio Italico: *Plures villas poſſidebat: multum ubique librorum, multum ſtatuarum, multum imaginum.* Nam & hæc ornamenta in bibliothecis ponebantur. Idem lib. IV epiſt. XXVIII *Herennius Seuerus magni æſtimat in bibliotheca ſua ponere imagines municipum tuorum, Cornelii Nepotis & Titi Caſſii.* Martiali lib. VII epigram. XVII huius generis villatica eſt *Ruris bibliotheca delicati.*

XVII. Sed hæc de priuatis bibliothecis. Publicæ, vt dixi, ſero conſtitutæ, nec ante Auguſti tempora. Eius rei laus prima manet Aſinium Pollionem, de quo Plinius ait lib. XXXV cap. II. *Primus, bibliothecam dicando, ingenia hominum rem publicam fecit.* Idem in animo habuerat Iulius Cæſar, *bibliothecas Græcas & Latinas, quas maximas poſſet, publicare,* quod Suetonius cap. XLIV memorauit; ſed fato præuentus nihil perfecit. Auguſtus autem Cæſar duas legitur conſtituiſſe publicas, *Octauiam* in Octauiæ porticu, in ſororis honorem nominatam: & *Palatinam* iuxta ædes ſuas & Apollinis templum in monte Palatino. Dio Caſſius lib. XLIX p. 417 Ἐπειδὴ δὲ τοὺς Δαλμάτας παντελῶς ἐχειρώσατο, τάς τε στοὰς ἀπὸ τῶν λαφύρων αὐτῶν καὶ τὰς ἀποθήκας τῶν βιβλίων τὰς Ὀκταουιανὰς, ἀπὸ τῆς ἀδελφῆς αὐτοῦ κληθείσας, κατεσκεύασεν. *Deuictis Dalmatis, porticus e manubiis, & bibliothecas, a ſororis nomine Octauianas dictas, extruit.* Et Suetonius Grammat. cap. XXI in Caio Meliſſo: *Quo (Auguſto) delegante curam ordinandarum bibliothecarum in Octa-*

uia

Digitized by Google

nia porticu ſuſcepit. Cur autem pluraliter *bibliothecarum?* quia Græcam a Latina diſtinguebant. M. Cicero lib. III epiſt. IV ad Q. fratrem: *De bibliotheca tua Græca ſupplenda, libris commutandis, Latinis comparandis, valde velim iſta confici, præſertim quum ad meum quoque vſum ſpectent.* Quod clarius ſupra Suetonius de cogitatis Iulii Cæſaris diſtinxit: & de altera Auguſti, in Vita eius cap. XXIX, *Templum Apollinis in ea parte Palatinæ domus excitauit, quam fulmine ictam deſiderari a deo haruſpices pronuntiarant. Addidit porticus cum bibliotheca Latina Græcaque.* Hanc idem de clar. Grammat. in C. Iulio Hygino cap. XX *Palatinam* dixit. *Præfuit*, inquit, *Palatinæ bibliothecæ.* Vtraque Auguſti deflagrauit: Palatina, ἐμπρησμοῦ τὸ παλάτιον διαφθείραντος, *incendio palatium conſumente*, Dio Caſſius lib. LV p. 556; ſed breui poſt reparata. Hinc Suetonius Tiber. cap. LXXIV *bibliothecam noui templi* dixit. Altera, Octauia, flagrauit ſub Tito. Dio p. 756 Ὀκταουΐα οἰκήματα καὶ μετὰ τῶν βιβλίων κατέκαυσεν, *Octauiana ædificia, vna cum libris, igne conſumta ſunt.* Reſtituit Domitianus. Suetonius in Vita eius cap. XX, *Liberalia ſtudia in initio imperii neglexit, quamquam bibliothecas, incendio abſumtas, impenſiſſime reparare curaſſet, exemplaribus vndique petitis, miſſisque Alexandriam, qui deſcriberent emendarentque.* Præter Romanas bibliothecas, etiam publicæ erant per Italiam in coloniis ac municipiis, qualem Plinius in patria ſua, Comenſi ciuitate, dedicauit, lib. I. epiſt. VIII. Et Tacitus imperator *Cornelium*

Digitized by Google

Tacitum ſcriptorem hiſtoriæ auguſtæ, in omnibus bibliothecis collocari iuſſit, Vopiſco referente cap. x.

XVIII. Hoc alimento opus erat præclaris ſtudiis in altitudinem proferendis, quo etiam ſub Auguſto Cæſare, & ante paullo, educta feliciter fuerunt. Quantos enim oratores illa ætas vidit Ciceroni æquales aut paullo iuniores? quis Hortenſios, Cæſares, Caluos, Cælios, Brutos, Aſiniosque ignorat? Auctor Dialogi de Oratoribus cap. xxv, *Strictior Caluus, numeroſior Aſinius, ſplendidior Cæſar, amarior Cælius, grauior Brutus, vehementior & plenior & valentior Cicero: omnes tamen eandem ſanitatem eloquentiæ ferunt, vt ſi omnium pariter libros in manum ſumſeris, ſcias, quamuis in diuerſis ingeniis, eſſe quandam iudicii ac voluntatis ſimilitudinem & cognationem.* Nec minores, nec pauciores poetæ, Auguſto fauente, adiuuante Mæcenate. Nota ſunt nomina, æternitati olim dedicata. Quid de philoſophia dicam? hæc Cicerone vel magiſtro vel interprete Latine loqui cœpit, & inter Latinos conuerſari, quum antea Græcorum fuiſſet propria. Hiſtorici autem quam nobiles, quam diſerti illa ætate? Thucydidis æmulator Criſpus Salluſtius, Iulius Cæſar, Cornelius Nepos, Hirtius vel Oppius. T. Liuius Patauinus, & quorum monimenta interierunt, Pomponius Atticus, Pollio Aſinius, L. Lucceius, Aelius Tubero, Trogus Pompeius, aliique horum æquales.

XIX. Ius quoque ciuile tum illuſtrius factum luce philoſophiæ & litterarum humanitatis, Seruii Sulpicii ingenio, induſtria, quæ tenebroſa erant antea, clariſſime illuſtrante. Hic facem prætulit, viam mon-

monſtrauit ad conſequendam iuris & æqui cognitionem ac ſcientiam. Non noſtris, ſed Ciceronis verbis rem nobiliſſimam explicabimus. Hic de Clar. Orat. dialogo, cap. XLI ita tradit: *De Seruio dicam quod ſentio. Non enim facile quem dixerim plus ſtudii, quam illum, & ad dicendum, & ad omnes bonarum rerum diſciplinas adhibuiſſe. Nam & in iisdem exercitationibus ineunte ætate fuimus, & poſtea vna Rhodum ille etiam profectus eſt, quo melior eſſet & doctior: &, inde vt rediit, videtur mihi in ſecunda arte* (iuris prudentia) *primus eſſe maluiſſe, quam in prima* (eloquentia) *ſecundus. Atque haud ſcio, an par principibus eſſe potuiſſet: ſed fortaſſe maluit, id quod eſt adeptus, longe omnium non eiusdem modo ætatis, ſed eorum etiam, qui fuiſſent, in iure ciuili eſſe princeps. Heic Brutus, Ain tu? inquit, etiamne Q. Scæuolæ Seruium noſtrum anteponis? Sic enim, inquam, Brute, exiſtimo, iuris ciuilis magnum vſum & apud Scæuolam, & apud multos fuiſſe: artem in hoc vno: quod nunquam effeciſſet ipſius iuris ſcientia, niſi eam præterea didiciſſet artem, quæ doceret rem vniuerſam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obſcuram explanare interpretando, ambigua primum videre, deinde diſtinguere, poſtremo habere regulam, qua vera & falſa iudicarentur, & quæ quibus poſitis eſſent, quæque non eſſent conſequentia. Hic enim attulit hanc artem, omnium artium maximam, quaſi lucem, ad ea, quæ confuſe ab aliis aut reſpondebantur, aut agebantur. Dialecticam mihi videris dicere, inquit. Recte, inquam, intelligis: ſed adiunxit etiam & litterarum ſcientiam, &*

Digitized by Google

loquendi elegantiam, quae ex ſcriptis eius, quorum ſimilia nulla ſunt, facillime perſpici poteſt. Haec via ad iurisprudentiam Romanis fuit: hac graſſati ad gloriam illam & excellentem ſcientiam, quam adhuc pleraeque gentes in iuris Romani auctoribus admirantur. Nec otioſus homo fuit Seruius Sulpicius aut in latebris abditus & ſpeculationibus intentus: ſed publicis rebus, ſi quis alius, exercitatus, praetor, conſul, praeſes prouinciae Achaiae, & tandem ob rempublicam legatus in bello Mutinenſi, cui immortuus legationi eſt, ob id aenea ſtatua in Roſtris, aliisque honoribus poſt mortem ornatus. Plura de laudibus eius Philippica Ciceronis IX traduntur, ex cuius cap. V haec inſignia verba ſuperaddo: *Omnes ex omni aetate, qui hac in ciuitate intelligentiam iuris habuerunt, ſi unum in locum conferantur, cum Seruio Sulpicio non ſunt comparandi. Neque enim magis iuris conſultus, quam iuſtitiae fuit.*

XX. Haec de variis generibus ſtudiorum. *Modus* diſcendi talis erat, vt certe improbari non poſſit, quia felicem fuiſſe innumeris exemplis, iisque illuſtriſſimis, probatur. Dixi ſupra de auſpiciis ſtudiorum: addo ex Plinii lib. VII epiſt. IX de ſtili exercitatione, cui quod varia rerum cognitione eſt opus, magna inde pars eruditionis humanae pendet. Ait vtile inprimis eſſe, *ex Graeco in Latinum, & ex Latino vertere in Graecum.* Sic enim proprietatem ſplendoremque verborum, copiam, figuram, vim explicandi, praeterea optimorum imitatione facultatem inueniendi ſimilia parari. Addit, quod inſtar magiſterii eſt, vt qui praeceptori deſtituitur, ſibi ipſe poſſit

Digitized by Google

conſulere: videlicet iubet, *quæ legeris hactenus, ut rem argumentumque teneas, quaſi æmulum ſcribere, lectisque conferre, ac ſedulo penſitare quid tu, quid ille commodius.* Legi totam epiſtolam velim; non pœnitebit. Quæ vero ibidem de ſtilo cenſentur, ad noſtram patriam & ætatem ita referemus, ſi pro Græcis Latina, pro Latinis Teutonica ſubſtituamus, quamuis nec Græca ad veram eruditionem adſpirantibus omittenda ſint. Non difficile erit, neque infructuoſum, quæ de ſtilo ibi dicuntur exercendo, ad alia quæuis ſtudiorum genera applicare. Erat etiam non incommodus modus exercendi adoleſcentulos; quem ex Auguſtini lib. I Confeſſion. cap. XVII cognoſcimus, nempe *aliquid dicere ſolutis verbis, quale poëta dixiſſet verſibus.* Hoc enim facit ad verborum rerumque copiam cum parandam tum augendam, ideoque M. Tullius pro Archia oratione multum poetis legendis tribuit ad oratoriam facultatem conſequendam. Neque *mathematum* erant Romani negligentes, quibus ex Pythagorea diſciplina, quam Gellius lib. I cap. IX commendat, a pueris imbuebantur, tanquam vſui futuris non modo ad militarem ſcientiam, quod Plato egregie demonſtrat lib. VII de Republica ed. Baſil. p. 439; verum ad ipſam etiam artem dicendi ſiue oratoriam. Vnde eſt, quod Dialogo de Orator. cap. XXXI dicitur, *Et iuris civilis ſcientiam veteres oratores comprehendebant, & grammatica, muſica, & geometria imbuebantur.* quod pluribus explanauit Quintilianus lib. I cap. X. Nec illud tacendum, quod ibidem eſt traditum, mathematicis diſciplinis *acui ingenia* & erigi; ſiue vt

Plato

Plato d. l. dixerit *βραδεῖς, tardos ingenio* fieri eisdem *ὀξυτέρους, acutiores.*

XXI. Vna pars ſupereſt, quæ facile princeps in ſtudiis Romanorum erat, *recitatio* eorum, quæ ingenio elaborauerant. Hæc ad adultiores etiam & viros pertinebat, vt, ſi vel orationem, vel hiſtoriam, vel maius aliquod carmen compoſuiſſent, antequam ædebant aut publicabant, eruditiſſimum quemque ad audiendum vocarent, quibus ſcriptum ab auctore in erudito conſeſſu ita prælegebatur, vt omnium fere ora vultusque obſeruaret, & ex ſignis illorum colligeret, placeretne, an aliquid improbarent, de quorum ſententia, (qui ſæpe liberius admonebant, ad id quoque inuitati) emendabat poſtea, quæ melius vel mollius exprimi poſſe cenſuerant. Mos ſane ſaluberrimus, quo factum fuit, vt nihil in publicum exiret, niſi cura limatum, & de conſilio eruditorum emendatum; qui ſi hodieque ſupereſſet, multæ ineptiæ, quæ quotidie vulgantur, prudenti huiusmodi conſilio ſupprimerentur. Innumera exempla apud Plinium ſunt in epiſtolis: ſufficerint pauca noſtræ breuitati. Lib. I epiſt. XIII *Magnum*, inquit, *prouentum poetarum hic annus attulit. Toto menſe Aprili nullus fere dies, quo non recitaret aliquis.* Vtilitatem rei demonſtrat lib. V epiſt. III, *Has recitandi cauſſas ſequor; primum quod ipſe qui recitat, aliquanto acrius ſcriptis, auditorum reuerentia, intendit: deinde quod de quibus dubitat, quaſi ex conſilii ſententia ſtatuit. Multa etiam multis admonetur: &, ſi non admoneatur quod quisque ſentiat; perſpicit ex vultu, oculis, nutu, manuum motu, murmure, ſilentio. quæ ſatis apertis*

notis

notis iudicium ab humanitate diſcernunt. Quibus locus non erat auditoribus capiendis, domum mutabantur, ſubſellia conducebant, vt Dialogo de Orat. cap. IX obſeruatur: nec Mæcenates deerant, & ſtudiorum fautores, qui ædes ſuas honeſtiſſimis exercitationibus præberent.

XXII. Hæc de ſtudiis in vrbe: quæ nec languebant in Italiæ coloniis ac municipiis. De Mediolano illuſtre exemplum habes apud Plinium lib. IV epiſt. XIII, vbi ita florebant ſtudia liberaliora, vt id municipium, vel pars eius *nouarum Athenarum* nomen acceperit. Vetus inſcriptio apud Gruterum p. 177. n. 4 teſtimonio eſt, AQVAE DVCTVM IN NOVIS ATHENIS COEPTAM &c. De Mediolano loquitur. Similem ſcholam Comi conſtitui Plinius d. l. accurauit. Quid de inferiore Italia dicam, quæ Magna Græcia appellabatur? Græce ibi diſciplinæ a multis ſeculis domicilium ſedemque habuerant. Quæ cauſſa fuit, vt Heracleenſes, Tarentini, Rhegini, Neapolitani Archiam poetam ciuitate ceterisque præmiis donauerint, quia ingenio eius delectabantur. Pro quo Tullius cap. III ait: *Erat Italia tunc plena Græcarum artium ac diſciplinarum, ſtudiaque hæc in Latio vehementius colebantur.*

XXIII. Nunc tandem de prouinciarum ſtudiis vt aliquid dicamus, inſtituti noſtri ratione admonemur. Non autem eas nunc ciuitates inuademus, quæ ſtudiis Græcis etiam ante Romanorum tempora vel imperium exculte fuerunt, vt Athenæ, Rhodus, Mitylene, Maſſilia erant. de quarum ſtudiis nunquam dubitatum fuit: neque ab Romanis illa habuerunt,

fed

ſed Romani ab illis ſua. De Athenis, matre artium & litterarum in Europa, ſuperſedeo dicere: de Aſiaticis illis ciuitatibus, quæ ſolatium, propter eadem ſtudia, eruditorum exſulum erant, Ciceronem vide lib. IV epiſt. VII, & lib. VII epiſt. III, Senecam ad Helv. cap. IX: de Maſſilia Galliæ, Græca colonia, Tacitum Agric. cap. IV, qui *Græca comitate & prouinciali parſimonia miſtam ac bene compoſitam* laudat: ideoque malebant quidam eo liberos, vt ſedem ac magiſtram ſtudiorum haberent, quam Athenas mittere, quod minus heic corrumperentur tenelli animi, quam notiſſima Græcorum leuitate. Sed antiquas Græcorum ſtudiorum ſedes iam mittimus, Romanorum gloriæ intenti vnice, vt oſtendamus, in quibus barbaris regionibus cultum litterarum excitauerint, eoque feros hominum mores ad mitiorem vitam traduxerint & veram humanitatem.

XXIV. Hiſpania, Gallia, Britania, Africa hæ prouinciæ ſunt, in quas potiſſimum litterariæ Romanorum coloniæ deductæ ſunt. Sertorius, C. Marii miles, prudentior ſuo duce fuit, & quum Hiſpaniæ imperium adfectaret, plurimasque eius ſibi regiones ſubiiciſſet; vt conſtantius feliciusque imperaret, *Oſcæ*, quæ ampla ciuitas ſub Pyrenæis eſt, magiſtris conſtitutis, nobilium filios Ἑλληνικοῖς καὶ Ῥωμαϊκοῖς μαθήμασι, *Græcis & Romanis*, vt Plutarchus refert in illius vita, erudiri *litteris* curauit. Oppreſſo Sertorio haud dubie & ſchola illius exſpirauit: nec vero nulla ſemina litterarum in Hiſpaniis relicta fuerunt. Inde a Scipionum temporibus coloniæ in illam deductæ ſunt, & Romano more in vrbibus prouinci-

vinciales, Romanis colonis permiſti, viuere cœperunt. Tarraconem intelligo, & Italicam, & Hiſpalim cum Corduba, & huius quoque inſtituti alias. Sub idem tempus, quum Q. Metellus Pius contra Sertorium bellum geſſiſſet, *poetas* Hiſpanos fuiſſe, *Cordubæ natos*, qui *pingue quiddam ſonarent atque peregrinum*, hoc eſt, aliquid ſolœci vel Græcis vel Latinis carminibus miſcerent, Cicero auctor eſt pro Archia; quod argumento ſit, non ſine ſcholis fuiſſe Bæticam, aut ſine cultu litterarum, licet, vt fieri ſolet in tam remotis locis a metropoli, non ſincere colerentur. Sed hæc facies antiqua erat: pulchrior ſub Auguſto, tot nouis coloniis in eam deductis, & veteribus in melius cultiusque reformatis, ex quo tempore Corduba etiam ingeniorum mater facta, vt Lucanus & vterque Seneca, ad omnem elegantiam eruditi alumni, teſtimonio ſunt luculento. Emeritenſes, Cæſarauguſtanos, Tarraconenſes, Italicenſes, (e quibus Traianus fuit) Bilbilitanos (vnde Martialis) Calagurritanos, aliosque nunc miſſos facimus.

XXV. In Galliam per Pyrenæos ſaltus tranſcendimus. Auſonius poeta in Profeſſoribus, ſuam patriam *Burdegalam* commendat, eiusque rhetoras & eximios grammaticos laudat nominatim. Idem gratiarum actione ad Gratianum *municipales ſcholas* collaudat, Lugdunenſem & Viſuntionenſem; tantumque in auguſto diſcipulo profecit, vt Antonio, prætorii per Gallias præfecto, ediceret, quo *per omnem diœceſim commiſſam magnificentiæ* eius *frequentiſſimis in ciuitatibus, quæ pollent & eminent, claritudine præ-*

præceptorum optimi quique erudiendæ præſideant iuuentuti, quos ipſe explicatius vocat *rhetores & grammaticos Atticæ Romanæque doctrinæ*, lege XI Cod. Theodoſ. de Medicis & profeſſoribus vnde etiam priora illa adducta verba ſunt. Maxime vero Aeduorum in litteras amor præ ceterorum ſtudio eſt dignus qui laudetur. Horum in primaria vrbe, cui *Auguſtoduno* nomen eſt, tantus honor litteris fuit habitus, vt Mæniana ædificia, in ipſo ore ciuitatis ac tranſitu aduenientium inter augusta deorum templa, ſacræ Muſæ poſſiderent, quæ quum communi Galliarum malo, Bagaudica rebellione, euerſa fuiſſent; Eumenius, rhetoricæ profeſſor a Conſtantino Cæſare, Conſtantini patre, conſtitutus, pro inſtaurandis illis ad perfectiſſimum virum, Lugdunenſis primæ præſidem, orationem luculentiſſimam habuit. Cuius argumentum vt magis eluceat, de ſucceſſu ſtudiorum in illa gente ipſam Conſtantii ſacram ad Emenium epiſtolam, quia digna eſt vt ab omnibus intelligatur, adſcribo. *Merentur*, inquit, *& Galli noſtri, vt eorum liberis, quorum vita in Auguſtodunenſium oppido ingenuis artibus eruditur, & ipſi adoleſcentes, qui hilari conſenſu meum ſuſcepere comitatum, vt eorum indoli conſulere cupiamus. Proinde quod aliud præmium his, quam illud conferre debemus, quod nec dare poteſt, nec eripere fortuna? Vnde auditorio huic, quod videtur interitu præceptoris orbatum, te vel potiſſimum præficere debuimus, cuius eloquentiam, & grauitatem morum, ex actus noſtri habemus adminiſtratione compertam. Saluo igitur priuilegio dignitatis tuæ hortamur, vt profeſſionem oratoriam re-*

petas,

Digitized by Google

pctas, atque in ſupra dicta ciuitate, quam non ignoras nos ad priſtinam gloriam reformare, ad vitæ melioris ſtudium adoleſcentium excolas mentes, nec putes hoc munere ante partis aliquid tuis honoribus derogari, quum honeſta profeſſio ornet potius omnem, quam deſtruat, dignitatem.

XXXVI. Durocortori quoque Remorum (nunc *Reims*,) prouentus litterarum fuit adeo, vt *Athenarum* nomen, perinde ac Mediolanum, acceperit. Cornelius Fronto, apud P. Conſentium, vetuſtum grammaticum, illæ, inquit; *veſtræ Athenæ Durocortoro:* nam & *Durocortoronem* inflectebant. Ad harum exemplum extremas Galliarum ciuitates, Auguſtam Treuerorum, Argentoratum, Nemetum Vangionumque vrbes, Magontiacum, Agrippinenſem Coloniam, inſtitutas fuiſſe, quis dubitabit non ignarus conſuetudinis Romanæ? Idem cenſemus de Rhætorum colonia Auguſta. In Germania autem hæc ſeges ſerius ſuccreuit. Britanni feliciores fuerunt, eo ſenſim Romanorum conſuetudine adducti, vt, *qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam*, faſtigium doctrinæ, *concupiſcerent*, poſtquam præſidum cura inſtitutum fuerat, vt *principum filii liberalibus artibus erudirentur*. Tacitus in Agricola cap. XXI auctor eſt.

XXXVII. Sicilia antiquitus Græcas vrbes habebat, & Græca vtebatur dialecto. Romanis ſubiecta didicit etiam Latine, & Romanam exercuit eloquentiam. Valerius ibi Licinianus, vir prætorius, a Domitiano relegatus, rhetor de oratore, cum auſpicaretur profiteri, *Latine*, inquit, *declamaturus ſum*. Pli-

Digitized by Google

nium vide lib. IV epiſt. XI. In Aſiam quoque, quamlibet Græcis ſtudiis adfluentem, Latini rhetores acciti, vt Diocletiani iuſſu Lactantius Nicomediam, qui in principis ſede *oratorias litteras*, quod ipſe dicit lib. V cap. II, *doceret*. Nec Africa, Romanis ſubdita, expers litterarum erat. Punicæ ſuæ linguæ Latinam addidit, quam vsque ad eloquentiæ nitorem excolebat. Nec tantum Carthagine, proconſulis ſede, illæ litteræ docebantur, ſed Madauris etiam, & in vtroque Hippone, aliisque in coloniis. Teſtis Auguſtinus, ex Thebaſte in vicinam vrbem Madaura miſſus, *litteraturæ atque oratoriæ percipiendæ* cauſſa, quia Carthaginienſis peregrinatio longinquior erat a patria. Vide lib. II Confeſſ. cap. III. O felicem terram in qua ſtudia litterarum percoluntur! feliciorem, in qua illa non *obliuione moris antiqui*, ſed imitatione Romanorum exercentur.

* * *

CHRI-

CHRISTOPHORI CELLARII DISSERTATIONVM ACADEMICARVM PARS II.

Digitized by Google

Digitized by Google

I. N. I.

PART. II.

DISSERTATIO I.

DE

IOANNIS BAPTISTAE CARCERE ET SVPPLICIO,

habita An. 1698.

SVnt omnium rerum, ſunt & ſtudiorum, quibus animus excolitur, quædam oblectamenta & deliciæ, vt quæ auſtera in iis ſunt, his quaſi condimentis mitigentur, & ad ſalubrem ſuauitatem dulcioribus litteris & diſciplinis permiſceantur. Hæc illa humanitatis eſt litteratura, ſine qua reliquæ artes ac diſciplinæ aliquid aſperum horridulumque ſonant: cum ea ſuaues, faciles, iucundæ fiunt, etiam mirifice dilucidantur. Nullum genus ſtudiorum eſt, quod non ab his humanioribus litteris vel præſidium aliquod vel ornamentum vel adiumentum ſingulare ad commode res peragendas, ſi vti velit, accipiat. Vt vero in grauioribus ſtudiis omnino primas illud tenet, quod in cœleſti doctrina expli-

Digitized by Google

canda operatur: ita ex humanioribus litteris, quæ ad illam accommodantur, præferri debere iis cenſemus, quæ ad quasuis alias, vtcumque vtiles & neceſſarias etiam diſciplinas transmittuntur. Sunt in ſanctioribus linguis, ſunt in hiſtoria & geographia, in ritibus etiam & antiquitatibus, & in ipſa latinitate eiusque copia, quæ ſi ad ſacrum vſum adhibentur, mirum quam faciliores eius rationes reddant, dilucidioremque explicationem & plane expeditos modos adferant. Sic enim ſemper iudicamus, & ita olim animum induximus, humanitatis ſtudia ad ſanctam diuinarum rerum doctrinam applicata; vti per ſe ſunt amœniſſima, ita, ſi iucundis ſalubribus & ſanctis miſceantur meditationibus, eximium aliquod in omnes partes ſtudium proferre, quod ceteris omnibus ſuo iure & dignitate ac commodorum magnitudine præferri mereatur.

II. Exemplo vt illuſtremus quæ modo diximus, non eſt quod longius petitum arceſſamus, ſed quod temporis eſt, adferemus. Imminent illi ſancti dies; quibus Chriſtianus orbis anniuerſariam illius beneficii memoriam colit, quo DEI FILIVS humana carne veſtitus ad mortales venit, vt, quod perditum erat, humanum genus inſtauraret. Ad quod diuinum opus ex decreto Dei perficiendum, quum *præcurſorem* adhiberi cæleſti conſilio viſum fuerit; & hoc tempore, quod ſalutiferum illud antecedit, de præcurſoris functione non tantum memoriæ, ſed etiam imitamenti cauſſa Eccleſia meditetur: videmur nihil alienum vel a tempore præſenti vel perſona noſtra facturi eſſe, ſi ad ſacram hiſtoriam *de carcere* & *ſupplicio* præcurſo-

ris, IOANNIS nempe BAPTISTAE, quod in præſidiis litterarum eſt, breuiſſima via, plana tamen & expedita, adducamus.

III. De carcere acturi Baptiſtæ & ſupplicio, breviis tantummodo, quæ longius anteceſſerunt, attingemus, præſertim quum alio tempore de victu Ioannis & educatione a nobis actum fuerit. Ortus eius & natales noti ex ſanctis ſcripturis ſunt: nec nominis incerta impoſitio, quod quidem nouum non erat in Iudaica gente, vt ex Ieremiæ & Maccabæorum libris & Ioſephi antiquitatibus manifeſtum eſt; nouum autem in familia Zachariæ. Nec eius vim quia *gratioſum* ſonat, vt rem tritam & obuiam, explicamus; ſed vnice de ſcribendi modo aliquid adiungimus, qui diuerſus eſt, aliis adſpirationem in medio recipientibus, vt ad originem Ebræam referatur; aliis contra, Græcorum imitatione, illam auerſatis, quos certe malumus ſequi, hac inducti ratione, vt putamus, non contemnenda: Amabile hoc nomen ex Nouo Teſtamento, quod Græcæ originis eſt, commendatum nobis habemus. Græci autem quum negligant omnem adſpirationem mediam, vt ex compoſita voce Βηθεσδᾶ Ioann. v, quam optime Syrus expreſſit, ſaculentum eſt: & hoc ipſum nomen ſine habitu tam Ebræa & propria terminatione Ἰωάναν, Ierem. XLI & ſeqq. quam Græca Ἰωάννης I. Maccab. IX, comm. 36, & in N. T. ſcribant; hos duces cur nolimus ſequi, non videmus eſſe quod impediat. Eſto, noſtratibus adſpirationis elementum in medio non difficile videri, neque a genio linguæ noſtræ alienum. Fuit nec Latinis difficile, ſed admodum tritum & vſitatum in me-

Digitized by Google

diis ipſis vocabulis; neque tamen ii facile in hoc nomen, de quo agimus, *H* litteram admiſerunt: quippe ſancti & venerabiles viri, & terſæ quoque latinitatis, quos PATRES vocamus, Tertullianus, Cyprianus, Auguſtinus, Hieronymus, Ambroſius, & alii, IOANNES ſemper ſcripſerunt, quum potuiſſent facile, pro Latino ſermone, quo vſi ſunt, mediam adſpirationem recipere, cuius originem ex Ebræo fonte, ſaltem Hieronymus, non ignorauerunt. Hos ergo Latinos duces ſequi nunquam nos pœniteat.

IV. BAPTISTA autem, βαπτιστής, ab officio, quo functus diuina iuſſione fuit, cognominatur. Non nouus quidem erat ſolemnis ablutionis ritus in Iudaica gente, etiam ſymbolum initiationis Iudæorum, vt alibi ex Zennorenna, Germanico Thoræ commentario, probauimus, in quo pag. 69 de Iethro, Moſis ſocero, proſelyto facto ex peregrino, traditur, er hat ſich thun jüdſchen / und hat ſich מטבל (immergens) geweſen in Waßer: quod etiam Arrianus in Epictetum lib. II, cap. IX, de ſui temporis more Iudaico teſtatur: Ὅταν τινὰ ἐπαμφοτερίζοντα ἴδωμεν, εἰώθαμεν λέγειν, Οὐκ ἔστιν Ἰουδαῖος ἀλλ' ὑποκρίνεται. ὅταν δ' ἀναλάβῃ τὸ πάθος τὸ τοῦ βεβαμμένου καὶ ᾑρημένου, τότε καὶ ἔστι τῷ ὄντι, καὶ καλεῖται Ἰουδαῖος. *Quum conſpexerimus aliquem incertarum partium, dicere ſolemus: Iudæus non eſt; ſed ſimulat. Quum vero adfectum induit baptizati & inter ſectatores adſciti, tum reuera & eſt & adpellatur Iudæus.* Non, inquam, ergo nouus ritus erat ſolemnis illa ablutio: vt vero Ioannes vſurpabat, & quam formam cœleſti iuſſu adiiciebat; vtique nouus fuit, & qui

Iu-

Iudæos in admirationem pertraxit, vt rogarent, *Cur baptizas, ſi non es Christus, nec propheta?* Non autem nouitatis illius vim τὰ ἐπίσημα φρονοῦντες Iudæi intelligebant; vt ex Ioſepho clarum eſt, qui, quamquam honorifice de Ioanne ſenſiſſe videatur Antiquitat. Iud. lib. XVIII cap. VII; nimis tamen humiliter de hoc myſterio iudicans dixiſſe Ioannem ſcribit, οὕτω τὴν βάπτισιν ἀποδεκτὴν θεῷ φανεῖσθαι, μὴ ἐπί τινων ἁμαρτάδων παραιτήσει χρωμένων, ἀλλ' ἐφ' ἁγνείᾳ τοῦ σώματος, ἅτε δὴ καὶ τῆς ψυχῆς δικαιοσύνῃ προεκκεκαθαρμένης, *Ita demum Deo baptiſmum gratum fore, ſi non ab uno tantum alterone peccato abſtineant homines, ſed animis per iuſtitiam prius mundatis, addant &* PVRITATEM CORPORIS. Vides, quamuis animi mundiciem adiungat, ritum tamen præcipue ad corporis referre puritatem, quod ſecus eſſe, nec σαρκὸς ῥύπου ἀπόθεσιν ſpectari, Petrus, diuinus vir, epiſtolæ prioris cap. III, comm. 21 declarauit. Quod enim Ioſephus baptiſmo Ioannis; pagani etiam ſuis ablutionibus, quas frequentes in ſacris habebant, tribuerunt adeo, vt Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromat. pag. 531. dicat: εἰκὼν τοῦ βαπτίσματος ἐκ Μωυσέως παραδεδομένη τοῖς ποιηταῖς, *imago baptiſmatis a Moſe poetis tradita fuit*, quod ex Homeri aliquot verſibus Odyſſ. Β. 261 & Δ 759. ibidem it confirmatum: quibus Callimachi hymnos in Iouem v. 16. & in Delum v. 111 & 124 adiungimus, vbi vir illuſtris PETRVS DANIEL HVETIVS, de Concord. Ration. & Fidei lib. II. cap. XX, reperiri credit quod ad infantum baptiſmum etiam adludat: vir autem conſummatiſſimus EZECHIEL SPANHEMIVS, recen-

Digitized by Google

tiſſimo in Callimachum commentario, alias rationes adlegat, nec plus de mundatione, quam λωετρὰ λε-χώια, ſeu λοχείων κάθαρσιν, *puerperii purgationes*, in iis verſibus agnoſcit. Sed frequens alibi in ritibus gentilium ablutio, vt in Iſidos & Mithræ ſacris apud Tertullianum de Baptiſmo cap. v, quibus *per lauacrum* homines *initiatos* dicit *fuiſſe*. Qui vero ibidem addit, hos miſeros mortales & idolorum cultores *viduis aquis ſibi mentitos eſſe*. VIDVIS inquit, hoc eſt ſterilibus & ſine Spiritu ſancto, quo noſtri baptiſmatis aqua, ſi cum Pontio Paullino, Nolano epiſcopo, ita loqui licet, quaſi *maritatur*. Vir enim ſanctiſſimus, quamlibet improprie, ad Seuerum ſuum epiſtola XXXII ſect. 5 ita ſcripſit: *Baſilicis tuis verſiculos, quaſi votiuos ſacris fontibus titulos, deſtinaui*. - - - - *De baptiſterio igitur ipſo erunt iſti, de cuius pictura tantum ſunt illi ſuperiores.*

Hic reparandarum generator fons animarum
Viuum diuino lumine flumen agit:
Sanctus in hunc cælo deſcendit Spiritus amnem,
Cæleſtique ſacras fonte maritat aquas.
Concipit vnda Deum: ſanctamque liquoribus almis
Edit ab æterno ſemine progeniem.

Satis de nomine *Baptiſta*, ſi hoc tantummodo adiecerimus, verbum βαπτίζεσθαι, in ſacris frequentiſſimum, profanis ſcriptoribus *immergi* & *demergi* ſonare, quemadmodum Strabo lib. XIV, pag. 458 ed. Caſaub. de Alexandri militibus, inter Climacem Pamphyliæ montem & mare hiberno tempore iter facientibus dixit, μέχρι ὀμφαλȣ̃ βαπτιζόμενοι, *vmbilico tenus immerſi fuerunt*: & lib. I pag. 17. βαπτιζομένων τȣ̃ δρυμȣ̃

βάρει,

βάρει, & aterna parte pondere ſuo demerſu: ſicut qui natantem deprimunt, vt pereat, apud Ioſephum lib. XV Antiquitat. Iud. cap. III ſunt βαπτίζοντες, demergentes: vnde de antiquo immerſionis ritu licet facile iudicare.

V. Quod vero de nominibus cœptum eſt proludere, antequam ad propoſitum veniamus, non incongruens erit, de ceteris breuiter aliquid adnotare. Prædixerat pater de filio, Luc. I, comm. 76. προπορεύσῃ πρὸ προσώπου Κυρίου, præibis ante faciem Domini; inde nouum PRAECVRSORIS cognomen in Eccleſia natum fuit, etiam ANTECVRSORIS, & quaſi anteambulonis. Auguſtinus epiſt. LVII, ad Dardanum pag. 95 de Eliſabeta: *Spiritu ſancto reuelante cognouit, quid illa exſultatio ſignificaſſet infantis, id eſt illius veniſſe matrem, cuius præcurſor ipſe & demonſtrator eſſet futurus.* Et Tertullianus aduerſ. Marcion. lib. IIII. cap. XXXIII *Ioannes antecurſor & præparator oſtenditur viarum Domini.* Tandem & *Eliæ* nomen Ioanni videmus attributum, non proprie quidem, ſed per ſimilitudinem, quam quia non intelligebant Iudæi, opinio eos inceſſit, ipſum Eliam rediturum eſſe ante, quam Meſſias, quem præſtolabantur, adveniret. *Marc.* IX *commat.* 11. Antiquus error, etiam interpretum ſeptuaginta, vt vocantur, qui Malachiæ cap. IV comm. 5 vbi vaticinium de Ioanne eſt, addiderunt, quod abeſt ab Ebræo, nomen ſingulare τὸν Θεσβίτην, quo non ſimilis Eliæ, ſed ipſe, qui Ahabi temporibus fuit, ſignificatur. Quæ quo pacto ſint intelligenda, exſtante Seruatoris noſtri interpretatione, non poſſumus Chriſtiani ignorare. Iuſtinus etiam Martyr,

Martyr, Dialogo cum Tryphone Iudæo p. 268, recte expoſuit: τῆς πρώτης φανερώσεως κῆρυξ προῆλθε τὸ ἐν Ηλίᾳ γενόμενον πνεῦμα τοῦ θεοῦ, ἐν Ἰωάννῃ, *primam apparitionem Chriſti præceſſit in Ioanne Spiritus præco, qui fuerat in Elia.*

VI. Et tantum de nominibus Baptiſtæ. Nunc ad cauſſam & occaſionem captiuitatis adgredientes, præmittimus de locis aliquid, in quibus Ioannes ὁ βαπτίζων verſatus eſt. In ſolitudine educatus, id eſt in loco a celebritate hominum remoto, nec vero prorſus ſterili, aut omnibus hominibus deſtituto. Inde diuino iuſſu Bethabaræ & Aenone dicitur populum hortatus eſſe ad agendam pœnitentiam, eumque baptizaſſe. Prior locus nominatim laudatus eſt Βηθαβαρᾶ, *Bethabara*, non *Bethania*, vt in quibusdam codicibus fuit, etiam vetuſto illo, quem Syrus, atque antiquus interpres expreſſit. Chryſoſtomus Homilia XVI in Ioannem ſub initium: ταῦτα ἐν Βηθανίᾳ. ὅσα δὲ τῶν ἀντιγράφων ἀκριβέστερον ἔχει, ἐν Βηθαβαρᾶ φησίν. ἡ γὰρ Βηθανία οὐχὶ πέραν τοῦ Ἰορδάνου, οὐδὲ ἐπὶ τῆς ἐρήμου ἦν. HAEC IN BETHANIA FACTA SVNT. *Quotquot autem accuratiora ſunt exemplaria, legunt* IN BETHABARA. *Bethania enim non trans Iordanem erat, neque in ſolitudine.* Grauis hæc auctoritas pro firmanda recepta noſtra lectione, & quæ vel ipſi Syro ac Vulgato Latino, & antiquiſſimo cuique interpreti opponi poſſit. Quod ſi ita eſt, vti eſſe non dubitamus, *Traiectus* Iordanis ſignificatur, quia עבר ſonat *tranſiit* & Bethabara, *domus tranſitionis.* Situm ſacer ſcriptor indicat, πέραν Ἰορδάνου, *trans Iordanem*, ſiue in Peræa, Herodis Antipæ regione, quam

vna

Digitized by Google

vna cum Galilæa poſſidebat. Peræa autem trans Iordanem erat a Galilæo lacu, quem vrbs Tiberias denominabat, vsque ad lacum Asphaltiten. Quod vero longior Iordanis ripa eſt, in qua parte Bethabaram quæremus? Quod traiectum vox Bethabara ſonat, nec vero plures in Iordane memorantur; perquam nobis probabile videtur, medio loco inter Scythopolim, ethnici iuris ciuitatem ex Decapolitanis, & Liuiadem, Asphaltitidi lacui vicinam, fuiſſe Bethabaram, quia nimis vicinos & multos traiectus illis temporibus Iudæi non habuerunt.

VII. Altera ſedes Ioannis baptizantis eſt *Aenon*, quod euangeliſta Ioannes cap. III commate 23 memoriæ prodidit. Dicitur ἐγγὺς τοῦ Σαλείμ, *prope oppidum Salem eſſe*, quod cis Iordanem fuit, ſed flumini propinquum. Hieronymus de Locis Ebraicis in SALEM: *In octauo quoque lapide a Scythopoli in campo vicus Salumias appellatur*. Hunc oportet illud Salem eſſe, quod cetera huius nominis ab Iordane ſunt remotiora. Aenon autem trans flumen fuit in Peræa, e regione τοῦ Σαλείμ, quia Ioannes & ante in Transiordaniana fuit Bethabara, vt ex euangelica hiſtoria notum eſt: & poſtea ibidem fuit, quum in vincula ab Herode coniiceretur, quia cis Iordanem, præter Galilæam, nulla Antipæ fuit iuriſdictio. Hieronymus Loc. Ebr. in AENON: *Aenon iuxta Salem, vbi baptizabat Ioannes, ſicut in euangelio κατὰ Ἰωάννην ſcriptum eſt, & oſtenditur vsque nunc locus in octauo lapide Scythopoleos ad meridiem iuxta Salim & Iordanem*. Vt apparet, cis flumen Hieronymus Aenonem ponit, quod etiam Iacobus Bonfre-

Digitized by Google

frerius ad illum Adnotationibus obſeruauit. *Ex hoc,* inquit, *Hieronymi optima deſcriptione facile colligitur, hunc locum intra dimidiam tribum Manaſſe cis Iordaniam comprehenſum fuiſſe, quum Scythopolis in extremo ad Aquilonem eius eſſet limite non procul Iordane.* Verum ſalua ſancti Hieronymi auctoritate, rationibus, antea adlatis, inducti cenſemus, Aenonem trans Iordanem fuiſſe, e regione vero τῆ Salem, vici vel oppidi & proxime Iordanem, quia ὕδατα πολλὰ ἐκεῖ, *aquarum ibi copia fuit.* Nec alius locus baptizationis poſt illum memoratur, vt pronum plane ſit ad fidem, ibidem Ioannem prehenſum ab Herode fuiſſe, & in vincula coniectum. Si enim cis Iordanem fuiſſet Aenon, fuiſſet in Pilati prouincia, quæ ad Galilæam vsque cis amnem protendebatur, ex qua captiuum abducere tetrarchæ Herodi non licuit. Id quod ex diuiſione paterni regni inter filios Herodis regis, manifeſtum apud Ioſephum eſt lib. XVII Antiquit. Iud. cap. XIII. Antipæ enim ἡ Περαία καὶ τὸ Γαλιλαῖον ὑπετέλουν, *trans amnem regio & Galilæa attributa erant*; Archelao autem Ἰδουμαία τε καὶ Ἰουδαία, τό τε Σαμαρειτικόν, *Idumæa, Iudæa, & Samaritana regio.* Iam vero quidquid Archelai fuerat, eodem in Gallias relegato, in formam prouinciæ Romanæ, quæ contributa Syriæ eſſet, a procuratore autem Cæſaris adminiſtranda, redactum fuit.

VIII. Vt propius ad carcerem Ioannis veniamus, de ipſo Herode, qui coniecit in illum, vt præmoneamus aliquid neceſſe eſt. Magno Herode vita defuncto, Auguſtus Cæſar regnum ita filiis diuiſit, vt iam

Digitized by Google

iam dictum eſt de Archelao & Antipa: Philippo autem vt Batanæa & Auranitis cederet. Antipas ita Ioſephi eſt ipſe Herodes Galilææ & Perææ tetrarcha. qui Ioannem in cuſtodiam dedit & ſupplicio adfecit. Sed Philippus, frater eius, dictarum regionum tetrarcha conſtitutus erat, & vterque in tetrarchia ſua manſit, quum maior frater Archelaus Viennam Galliæ deportaretur, & Iudææ ac Samariæ Auguſtus prouinciæ formam imponeret, quæ vsque ad Claudii tempora non fuit immutata. Is vero princeps prouinciam Herodi Agrippæ, magni nepoti ex filio Ariſtobulo, donauit, quo breui poſt extincto rurſus prouincia Iudæa eſt facta. Ita cum Ioſepho ſentimus, quem alio tempore in *Flauiana Herodum hiſtoria adſerta & nummis antiquis conciliata*, contra clariſſimum virum Ioannem Harduinum, qui Ioſephum νοθείας accuſauit, defendimus, & parati etiamnum ſumus, quidquid aduerſus huius ſcriptoris γνησιότητα obiicietur, repellere ac profligare. Argumentis ibidem propoſitis nunc vnicum adiicimus ex Iuſti Tiberienſis hiſtoria, qui æqualis Ioſephi fuit & æmulus, deſumtum. De hoc Photius patriarcha in Excerptæ Bibliothecæ cod. XXXIII tradit, ἄρχεται τῆς ἱστορίας ἀπὸ Μωσέως, καταλήγει δὲ ἕως τελευτῆς Ἀγρίππα τοῦ ἑβδόμου μὲν τῶν ἀπὸ τῆς οἰκίας Ἡρώδου, ὑστάτου δὲ ἐν τοῖς Ἰουδαίοις βασιλεῦσιν, *incboat hiſtoriam ſuam a Moſe; definit in Agrippa* (minore de quo agit) *ſeptimo ex familia Herodum rege*, qui defunctus vita ſit III anno Traiani imperatoris. Quod ſi ſeptimus fuit, non poteſt idem eſſe qui Ioan-

nem

nem interfecit & qui apoſtolum Iacobum, quod Harduinus ibi contenderat. Alius ergo Herodes tetrarcha fuit, Matth. xiv; & alius Herodes rex, Act. Apoſt. xii. Ille quoque, qui tetrarcha eſt Matth. xiv & Luc. ix, dicitur *βασιλεὺς, rex*, a Marco cap. vi. quod ceteris non repugnat. Matthæus enim & Lucas loquuntur more Romano; Marcus cum vulgo Iudaico, qui quosuis imperantes maiore quadam poteſtate, *reges* appellabant, præſertim ſi regis filii eſſent, conſuetudine ita ex paternis temporibus regis titulum conſeruante.

IX. Ad *cauſſam captiuitatis* procedimus, quæ alia ab Ioſepho adfertur: alia a ſacris ſcriptoribus & Gorionide Ebræo. Ioſephus lib. xviii cap. vii hanc edit: *δείσας Ἡρώδης τὸ ἐπὶ τοσόνδε πιθανὸν αὐτοῦ τοῖς ἀνθρώποις μὴ ἐπὶ ἀποστάσει τινὶ φέρειν, metuiſſe Herodem, ne tanta hominis auctoritas defectionem aliquam pararet.* Vanus metus rebellionis ſine impulſore, qualis Ioannes minime fuit, omnem honorem vel Chriſti, vel prophetæ & Eliæ deprecatus. Non ergo hæc cauſſa fuit, ſed ſpecies & prætextus in vulgum editus: veram autem cauſſam diuini ſcriptores narrant, inceſti reprehenſionem & raptus, quo fratris Philippi vxorem contra fas & leges ſibi adiunxerat Quamuis ergo magni faceret Ioannem, tamen, ab noua coniuge ſollicitatus, hoc eius amoribus dedit, vt ſanctum & innocentem virum in carcerem detruderet, ne liberius illorum matrimonium, vt fecerat, perſeueraret reprehendere. Quod etiam Gorionides, Iudæus genere, cap. lxiii approbauit, ideo dicens interfectum ab Herode Ioannem eſſe: על אשר דבר ואמר.

Digitized by Google

ואמר לו אסור לך לקחת אשת אחיך פיליפוס לאשה *quod dixerat ei: Illicitum tibi adſumere vxorem fratris tui Philippi in matrimonium.* Multa heic mouentur dubitanda, quæ nunc diſcutiemus, & in certam redigemus ſententiam. Quæ enim per ſe ſunt non impedita, multorum dubitatione, viui an mortui Philippi vxorem Antipas duxerit, ſine cauſſa difficiliora fiunt. Tertullianus lib. IV adv. Marcion. cap. XXXIV *Herodes*, inquit, *non minus morte quam repudio dimiſſam a viro duxerat.* Quem ſequitur Chryſoſtomus Homil. XLIX in Matth. XIV, p. 530, fratriationis, quam vocant, huc omnem legem adferens, & in eo Herodis crimen conteſtans verſari, quod legem illam violauerit, quia frater Philippus non plane illiberis fuerit, ſed filiam ex Herodiade genuerit, quæ ipſa puella fuerit ſaltatrix, in cauſſa exiſtens, vt *γάμος παράνομος, nuptiæ illæ non legitimæ eſſent.* Legem autem illam eo valere, vt nec filium nec filiam defunctus frater habuerit. Conſentiunt multi ſcriptores, Herodiadis ſaltantem filiam ex Philippo fuiſſe ſuſceptam. Iuſtinus Martyr contra Triphon. p. 368 ſaltatricem *ἐξαδέλφην αὐτοῦ, fratris filiam* appellat. Nicephorus lib. I. H. Eccl. cap. XIX de Herodiade: *σπέρμα εἶχεν ἐκ τἀδελφοῦ, ſemen ex fratre* (Antipæ Philippo) *habebat.* Ioſephus quidem lib. XVIII cap. VI extr. dicit de Philippo mortuo, *οὐ κατελείπετο παῖδας, non reliquit liberos;* ſed verius vertemus *filios*, quia hereditatis cauſſa dixit, ſiue, cur Tiberius poſſeſſiones eius *προσθήκην ἐπαρχίας τῆς Σύρων, acceſſionem prouinciæ Syriæ* adiecerit. Mortuus autem eſt Philippus, vt Ioſephus ibidem tradit, anno Tiberii

εἰκοςῷ, *viceſimo*, quo poſito, manifeſtum eſt, viuo Philippo abductam fuiſſe Herodiadem, quia, quæ in Euangeliis de Ioanne referuntur, in xv annum Tiberii incidunt, ſaltim vltra decimum ſextum proferri vix poſſunt. Non ergo contra legem de ſemine fratri ſuſcitando, quia is ſuperſtes erat; ſed contra aliam peccauit, quæ fratris vxorem ducere in vniuerſum prohibet, Leuit. xviii comm. 16. Acceſſit crimen raptus, quod Romam iturus, quum ad fratrem diuertiſſet, pepigit clanculum cum vxore eius, vt ſibi nuberet, & quam primum Roma regreſſus fuiſſet, in domum ſuam migraret, Ioſepho referente cap. vii ineunte libri xviii.

X. Fuit Herodias, vt idem dicto loco tradidit, Ariſtobuli a patre interfecti filia, magni Herodis neptis, Agrippæ maioris ſoror, atque ita fratre vtriusque & Philippi & Antipæ genita. Confudit ergo Hieronymus in Matth. xiv hiſtorias, quum filiam regis Aretæ dixit, quam pater, exortis quibusdam contra generum ſimultatibus, abſtulerit, & Herodi fratri, inimico illius, nuptiis copulauerit. Ait quidem *veterem* ita *hiſtoriam narrare*, ſed maior nobis Ioſephi auctoritas eſt, qui diſtincte & explicate exponit, Aretæ filiam fuiſſe Antipæ vxorem, quæ, quum, marito Romam profecto, audiuiſſet de illius cum Herodiade pactis, ſimulanter ab illo reduce poſtulaſſet, vt ſe Machærruntem mitteret, paternis finibus propinquum caſtellum, quo loco paratos Arabas habebat, qui ad patrem, clam marito, deducerent. Patrem cauſſatum aliquid de Gamalæ finibus, illato bello, Herodis exercitum ad internecionem deleuiſſe, quam cladem

Iudæi

Iudæi quaſi iuſtam vltionem, quod inſontem Ioannem interfeciſſet, ſint vulgo interpretati. Qui aliter ſentiunt & bellum cædi præmittunt, ex Ioſephi narratione refutantur.

XI. Ad locum carceris vt propius accedamus, res ipſa & ordo nunc poſtulat. Ioſephus ſæpedicto loco: δέσμιος εἰς τὴν Μαχαιροῦντα πεμφθεὶς, τὸ προειρημένον φρούριον, ταύτῃ κτίννυται, *vinctus in predictum caſtellum Macharunta miſſus, ibi occiditur.* Hoc Ioſephi auctoritate ita olim & adhuc nuper fuit creditum. Hieronymus in cap. XIV Matthæi: *Refert Ioſephus in quodam Arabiæ oppido Ioannem capite truncatum,* nam paullo ante eodem cap. VII de illo caſtro dixerat, μεθόριόν ἐστι τῆς τε Ἀρέτα καὶ Ἡρώδου ἀρχῆς, *in confiniis eſt Areta & Herodis imperii:* & lib. III de Bello cap. IV Gr. limitem auſtralem Peræa Machæruntem conſtituit, longitudinem eius menſus *a Macharunte in Pellam.* Nuper vero in dubium hoc vir clariſſimus Io. Lightfoot Hor. Ebr. in Matth. XIV reuocauit. *Si vinctus*, inquit, *Macharunte iaceret Ioannes, cum de capite eius decerneretur, longiſſimo itinere opus fuit carnifici, & quod vix intra biduum confici poſſet, a Tiberiade, vbi regia tyranni, ad crudele illud mandatum exſequendum. Ita ut nonniſi poſt dies aliquot a celebratis natalitiis, puella præſentaretur horrendum iſtud ferculum, caput venerandi prophetæ.* Vrget omnino ratio, ſi probari certo poſſit, natalem Tiberiade celebratum eſſe. At vero quoties in aliis prætoriis aut oppidis celebrantur principum natales dies, ſi rerum ſuarum cauſſa ibi verſantur, quando hi incidunt? Potuit in ipſo Machærunte cele-

Digitized by Google

brare Herodes; potuit in vicino quodam caſtello, qualia multa pater Herodiorum nomine condiderat: vt vel propinquitate Ioannis, vel præſentia, Herodias ad ſcelus maturandum, cuius tam inopinata occaſio offerebatur, magis incitata videatur. Crediderim ideo in extremos fines miſſum captiuum eſſe, ne tumultus plebis fieret ad liberandum cuſtodia, quem tanti faciebat, & vt prophetam venerabatur: vt adeo Tiberias, vrbs frequentiſſima, neque carceri neque ſupplicio ſatis tuta videri poſſet. Nolim dicere, poſt aliquot dies occiſi caput relatum eſſe, quia puella poſcit, ἐξ αὐτῆς, *ſtatim*, ſeu *ea ipſa hora*, vt Syrus vertit, cruentum ferculum adferatur. Illud quoque incertum eſt, vnum, an plures dies, geniales illæ epulæ & ſympoſia extracta fuerint. Nondum ergo adduci poſſumus, vt Ioſephum deſeramus, niſi, quæ id certius perſuadeant, adferantur. Dicit quidem, quum vxor fugeret, Machæruntem fuiſſe ὑποτελῆ, *ſubiectum* Aretæ, ſed addit τότε *tunc*, non ſemper, vt poſtea redierit ad Herodem.

XII. Miſſis quæ de natali die, & de ſaltationibus heic dici poſſent, ad *ſupplicium* Ioannis properamus. Iuſiurandum Herodis reprehendendum, quo ludicræ rei cauſſa ſe obſtrinxerat eo vsque, vt vel dimidiam poſſeſſionum partem abiiceret. Temeritas eſt ita iurare: impietas, cæde præſtare, quod temere iuratum fuerat. Ambroſius lib. III Offic. cap. XII *Herodes ſaltatrici præmium turpiter promiſit, crudeliter ſoluit. Turpe, quod regnum pro ſaltatione promittitur; crudele, quod mors prophetæ pro iuriſiurandi religione donatur. Quanto tolerabilius tale fuiſſet*

fuiſſet periurium ſacramento? ſi tamen periurium poſſit dici, quod ebrius inter vina iurauerat, quod euiratus inter ſaltantium choros promiſerat. Infertur diſco propheta caput: & hoc æſtimatum eſt fidei eſſe, quod amentia fuit. Sic ergo ſub ſpecie pietatis Herodes factus eſt impiiſſimus, quum honeſtius fuiſſet reuocare quod temulentus promiſerat; quam impium promiſſum exſoluere. Quid enim eſt teſtes iuriſiurandi revereri: conſcios cædis non reuereri?

XIII. Miſſus itaque ſpeculator, qui caput Ioannis præcideret. Qui *ſpeculator?* Græce σπεκυλάτωρ & Marcus dixit. An *ſpiculator*, ſeu δορυφόρος, ſatelles, qui *ſpicula* gerit? Ita in nonnullis libris, etiam profanis legitur, quos Lipſius expelli iubet, & *ſpeculatores* recipi, ad Tacit. lib. I Hiſt. c. XXIV. Hi erant genus militum, & inter corporis cuſtodes. Suidas: Σπεκυλάτορες, τοῦ δορυφόρου. qui quaſi in ſpecula pro ſalute ſtat principis. Suetonius Claud. cap. XXXV *neque conuiuia inire auſus eſt, niſi vt ſpeculatores cum lanceis circumſtarent.* Valentinianus, Theodoſius & Arcadius lege VII. Cod. de Cohortal. principib. &c. *Ordinariorum iudicum apparitores, qui vel ſpeculatorum, vel ordinariorum attigerint gradum.* His etiam ſupplicia demandata. Seneca de Ira lib. I cap. XVI *Centurio ſupplicio præpoſitus condere gladium ſpeculatorem iubet.* Huiuſmodi ſpeculatore, decollandi artifice, & Herodes vſus eſt in capite Ioannis amputando.

XIV. Tempus, quo in carcerem coniectus, quo ſupplicio adfectus Baptiſta fuit, iam expendendum eſt. Euangeliſtæ enim non ſuo loco, ſed alia occa-

Digitized by Google

ſione recolligentes, narrauerunt. Haud dubie diſcipuli Ioannis, ſepulto trunco corpore, ad Chriſtum ſtatim acceſſerunt, nuntiantes quæ acciderant. Quibus auditis in deſertum ille locum ſeceſſit, & inſequutos populos quinque panibus ſaturauit, Matth. xiv comm. 12. Atqui id factum eſt, quum paſcha illud appropinquaret, quod proxime ante ϛαυρώσιμον anteceſſit, Ioann. vi comm. 4. Vnde Lightfootus, quem laudauimus, ſcite collegit, necem Ioannis fuiſſe paullo ante paſcha factam, poſtquam carcerem iam paſſus per ſeſquiannum; atque itidem per ſeſquiannum ante diuina voce & ritu baptiſmatis libere vſus fuiſſet.

XV. Corpus diſcipulos ſepeliiſſe, hiſtoria ſacra narrauit: vbi locorum, non addidit. Multorum conſenſu traditum eſt; Sebaſtæ, quæ olim Samaria erat, vel infoſſum fuiſſe Ioannem, vel reliquias in arca adſeruatas, quas Iuliani temporibus pagani cum beſtiarum oſſibus permiſta concremaſſent. Philoſtorgius lib. vii cap. iv, quamuis Sebaſtes nomen non habet, quod addunt Theodoritus & Hieronymus; vbi ſæuitum in Ioannis oſſa fuerit (addit & Eliſæi) dicit, ἔνϑα ἄμφω ἐτέϑαπτο, *ibi vterque ſepultus erat.* quod plenius Theodoritus recenſet lib. iii Hiſt. Eccleſ. cap. vii, qui cineres etiam diſperſos tradit. Mirum, ex Herodis tetrarchia in prouinciam Pilati diſcipulos corpus magiſtri portaſſe & in Sebaſte condidiſſe, niſi forte metu Herodiadis, ne corpori illuderet, id alio loco extra tetrarchiam, vt tutius eſſet, inferri voluerunt: aut poſtea, quum ſuperſtitio cœpiſſet inualeſcere, eo delatum fuit & loculo cuſtoditum.

Digitized by Google

tum. De violatione autem & combuſtione, quam Philoſtorgius & Theodoritus in Iuliano narrant, nihil habet Hieronymus, ſed ſua ætate ibi cuſtodita oſſa fuiſſe, multis locis eſt teſtatus. Epitaphio Paullæ cap. VI *Vidit Sebaſten, id eſt Samariam, quæ in honorem Auguſti ab Herode Græco ſermone Auguſta eſt nominata. Ibi ſiti ſunt Heliſæus & Abdias propheta, & quo maior inter natos mulierum non fuit, Ioannes Baptiſta.* Et in Hoſeæ cap. I. *Samaria poſtea ab Auguſto Cæſare appellata eſt Auguſta, id eſt Sebaſte: in qua oſſa Ioannis baptiſtæ condita ſunt.* Et in Michææ cap. I. comm. 6, *Samaria erat in montibus ſita, vbi nunc Sebaſte eſt: in qua ſancti Ioannis Baptiſtæ oſſa ſunt condita.* Rufinus collecta & Hieroſolymam translata forte ſolus dicit. Vide viri ſummi Iacobi Gothofredi ad Philoſtorgium adnotationes. Adeo nihil certi de ſepulcro & reliquiis Ioannis conſtat.

XVI. Non impune ſcelera feruntur. Herodias inuidens fratri Agrippæ amicitiam C. Cæſaris, & regiam, quam ab illo acceperat, dignitatem; acerbiſſimo odio effecit, vt, accuſante fratre, & ipſa & maritus Herodes Antipas Lugdunum Galliæ relegarentur, & ſi conſtans ſibi Ioſephus eſt, inde deportarentur in Hiſpaniam. Vide Ioſephum lib. XVIII cap. IX, & lib. II de Bello cap. XVI, quæ cum magno viro Ioſ. Scaligero in Euſeb. p. 173 inter ſe, quo diximus modo, conciliamus. Addunt poſteriores de filia ſaltatrice, glacie fracta ita periiſſe, vt, corpore in fundum demerſo, abſciſſum caput ſupra glaciem relinqueretur. Sic G. Cedrenus p. 152 & Nicephorus Calliſtus lib. I cap. XX. Iſte etiam Cedrenus, ex alia

Digitized by Google

fama de filia addit: *ζῶσαν κατέπιεν ἡ γῆ, viuam terra abſorpſit.* Credibile non eſt pœnam effugiſſe: dicto modo periiſſe, niſi maior auctoritas probet, nondum adducimur vt credamus. Herodem vero & Herodiadem in Hiſpania vitam finiiſſe exſules, auctor nobis non improbabilis Ioſephus eſt dicto lib. II de B. I. cap. XVI.

DISSERTATIO II. DE VIGILIIS ET LVCVBRATIONIBVS VETERVM.

habita Ann. 1699.

VIciſſitudo diei & noctis, alternæ quietis cauſſa inſtituta eſt: inæqualitas noctis atque lucis nos admonet lucubrationis. Vt enim cæli inclinatio nunc maior minorue adparet; ita vel contractiores noctes ſunt, vel nimium, cum qua diuiſæ ſunt, proportionem lucis ſuperant. Quæ varietas vt a temporibus, id eſt ab ſolis curſu vel propinqui vel remoti eſt: ſic a cæleſtium circulorum depreſſione vel altitudine habet, vt huic genti longiores noctes, aliis breues ſint aut mediocriter morantes. Qui Europam incolunt, aut huic ſimili vtuntur declinatione cæli, pleris-

Digitized by Google

pleriſque temporibus anni, niſi deeſſe velint officio, aliquid noctis laboribus adiiciunt. Hinc *vigiliæ* ſunt, hinc *lucubrationes* in laudibus cenſeri ſolitæ, quod officii partes abſoluant vel ſuppleant, & virtutis exercitio inſigne adferant adiumentum. Quas quonam pacto cordatiſſimi homines, priſci mortales, diſtribuerint, & quos in vſus cum pagani homines, tum etiam Chriſtiani collocarint; in præſenti diſquirere noſtrum iam inſtitutum eſt.

II. Vt in vetuſtis Gloſſis eſt, *vigiliarum* nomen & ἀγρυπνίαν Latinis, hoc eſt ſomni abſtinentiam; & φρουρὰν ſiue cuſtodiam ſignificat. Quod enim ſine ſomno ſunt cuſtodes, ipſa vigilia nocturna ſæpe numero pro *cuſtodia* eſt. Et celebrata noctis in *vigilias* partitio a caſtrorum excubiis ſiue nocturnis cuſtodiis originem ducit. Nec vero cunctis gentibus diſtributio eodem modo facta fuit. Pleriſque tres partes ſunt, Initium noctis, medium eius, & tempus antelucanum: nec Iulius Pollux lib. 1. cap. VII ſect. 8 plures noctis φυλακὰς ſiue *vigilias* recenſet, quam primam, ſecundam, & tertiam. Eodem auctore Græci primam partem ἀρχὴν νυκτὸς, καὶ περὶ πρώτην νύκτα, καὶ νυκτὸς ἀρχομένης, dixerunt: alteram, μεσούσης νυκτὸς, μέσον νυκτῶν: tertiam Homerus Iliados H. v. 433 eleganter his verbis deſcripſit:

Ἦμος δ' οὔτ' ἄρ πω ἠώς, ἔτι δ' ἀμφιλύκη νύξ,
Quando nondum aurora, ſed adhuc dubia nox erat.

III. Ebræi quoque in noctis diuiſione tribus partibus contenti fuerunt. Dauid Kimchi in Pſalmi

Digitized by Google

LXIII commatis VII verba; IN VIGILIIS MEDITOR TE: ואשמורות הם עתות הלילה שאדם מקיץ בהן משנתו והם שלש וכן אז״ל שלשה משמרות הוי הלילה: *Et* VIGILIAE *ſunt tempora noctis, quibus homo a ſomno euigilat: ſuntque tres. Atque ita Rabbini noſtri felicis memoriæ dixerunt: Tres ſunt vigiliæ noctis.* Quum ergo Matthæi cap. XIIII commate XXV τετάρτῃ δὲ φυλακῇ τῆς νυκτὸς, *quarta vigilia noctis*, dictum eſt, non id ex gentili Iudæorum eſt conſuetudine, ſed ex Romanorum, ſub quorum imperio tum temporis Iudæi agebant. Eſt enim illa quadripartita noctis diſpenſatio ex diſciplinis Romanorum militaribus deducta, vt ipſi ſancti Patres, interpretes eius loci, confitentur. S. Hieronymus commentariis in Matthæum, expoſitionem vna myſticam coniungens; *Stationes*, inquit, *& vigiliæ militares in terna horarum ſpatia diuiduntur. Quando ergo dicit, quarta vigilia noctis veniſſe ad eos Dominum; oſtendit tota nocte periclitatos, & extremo noctis, atque in conſummatione mundi eis auxilium præbiturum.* Et B. Auguſtinus lib. IV. Quæſtionum ſuper Numeros, quæſt. IV *Quas* (cap. III comm. VI) φυλακὰς *Græcus dixit, has noſtri interpretes alii cuſtodias, alii excubias interpretati ſunt. Sed mirum; niſi vigiliæ melius dicantur, quæ ſolent in caſtris ternarum horarum obſeruationem habere. Vnde ſcriptum eſt:* QVARTA AVTEM VIGILIA NOCTIS VENIT AD EOS AMBVLANS SVPER MARE, *hoc eſt, poſt nonam horam noctis, poſt tres videlicet vigilias.* Etiam Theophylactus in hunc ipſum

ſum Matthæi locum ad militarem originem, quæ Romanorum fuit; hanc vigiliarum diſpenſationem refert. εἰς τέσσαρα, inquit, διαιρεῖται ἡ νὺξ παρὰ τοῖς φυλάσσουσιν ἐκ διαδοχῆς στρατιώταις, ἀνὰ τρεῖς ὥρας ἐχούσης ἑκάστης φυλακῆς, *In quatuor nox partes apud excubantes ex ſucceſſione milites diſtribuitur; vt vnaquaque vigilia tres horas accipiat.*

IV. Quum ergo non ſolum apud hiſtoricos aliosque profanos ſæpiſſime, verum etiam apud ipſos eccleſiæ ſcriptores *vigiliarum quadripartita* diuiſionis crebra mentio occurrat; pretium operæ erit, curatius paullo inueſtigare, quæ ratio illarum apud Romanas gentes vigiliarum fuerit. Græci vigilias ex bello Troiano dicuntur habuiſſe, Palamede inuentore; Romani a Græcis; ſed ordinatius diſtribuerunt. Plinius lib. VII cap. LVI *Ordinem exercitus, ſigni dationem, teſſeras, vigilias Palamedes inuenit Troiano bello.* A Græcis ergo Romani, præſertim ſub Tarquinio rege, qui Corinthius genere erat, & rudem inconditamque militiam emendauit, probabile eſt accepiſſe: diuiſio vero quadripartita illa ſub conſulibus, quantum obſeruare licet, primum fuit inſtituta. Liuius lib. V. cap. XLIIII Camilli ad Ardeates oratione: *Prima vigilia capite arma frequentes, me ſequimini ad cædem, non pugnam.* Idem clarius de ſecunda vigilia lib. VII cap. XXXV Decius tribunus iuſſit; *vbi ſecunda vigilia buccina datum ſignum eſſet, armati cum ſilentio ad ſe venirent.* De tertia idem lib. X. cap. XL *Tertia vigilia noctis Papirius ſilentio ſurgit, & pullarium in auſpicium mittit.* Denique de quarta lib. IX. cap. XXXVII *Curati*

cibo

Digitized by Google

cibo corpora quieti dant, & quarta fere vigilia ſine tumultu excitati arma capiunt. Et in hoc numero Romani conſiſtebant: plures non addebant vigilias. Iuuat Cæſarem etiam ex commentariis de bello Gallico audire. Lib. I. cap. XXVII *Prima noctis vigilia ex caſtris Heluetiorum egreſſi, ad Rhenum fineſque Germanorum contenderunt.* Et lib. II. cap. XI *Secunda vigilia magno cum ſtrepitu ac tumultu caſtris egreſſi.* Rurſus lib. I. cap. XII. *de tertia vigilia cum legionibus tribus e caſtris profectus.* Et cap. XL *proxima nocte de quarta vigilia caſtra moturum*: & cap. inſequente XLI *de quarta vigilia profectus eſt.*

V. A militia ad vſum ciuilem & domeſticum hæc noctis in quatuor vigilias diuiſio translata eſt. Cicero lib. III. epiſt. VII ad Appium: *Quum puer tuus ad me ſecunda fere vigilia veniſſet, iſque te ante lucem Iconium mihi venturum nuntiaſſet.* Idem in Catilin. III cap. II. *Interim tertia fere vigilia exacta, quum iam pontem cum magno comitatu legati Allobrogum ingredi inciperent, vnaque Vulturcius; fit in eos impetus.* Et Apuleius lib. VIII *prima vigilia fores meas tacitus accedas.* Et interiectis nonnullis: *circa tertiam ferme vigiliam noctis onuſtas nos in viam propellunt.* Sed hæc exempla ſufficiant: de ratione ac modo diuiſionis iam perquirendum eſt.

VI. Quod vnus homo facile toti nocti non ſufficit vigilandæ, quum timendum ſit, ne ſomno opprimatur; tam Græci in tres, quam Romani in quatuor partes, quod commodius ad tolerandum erat, noctem vnamquamque diſtribuerunt, ſingulis partibus nouos vigiles, vt durare ac perferre poſſent, præ-

præſertim hieme, conſtituentes. Cuilibet horum vigilum ex Romana diuiſione tres horas manendum in ſtatione fuit, ex Græca quatuor; quia tot horas vna vigilia exhauriebat: vti Auguſtini ſupra & Theophylacti verbis cognouimus. Addo Hieronymum in Pſalm. XC comm. IV ex Romano more dicentem; *Vna vigilia tres horæ ſunt.* Id quod antiquiore Lucani teſtimonio ex lib. V. verſ. 507 confirmamus.

Tertia iam vigiles commouerat hora ſecundos.

Id eſt, tertia; quæ vltima vigiliæ hora eſt, parabant ſe ſecundi vigiles, vt primis, exacta tertia hora de ſtatione abituris, ſuccederent. Quod vero inæquales noctes ſunt, æque contractior vigilias quatuor, vt longiſſima, habebat, & vtrobique vigilia vna tres horas: ſed cum hoc diſcrimine, vt productioris noctis longiores nocturnæ horæ eſſent: breuioris, totidem horæ, duodecim videlicet, ſed multo breuiores. Nam & dies duodecim horis conſtabat, & totidem nox quælibet; ſed horis inæqualibus, pro anni diuerſo tempore. Noctem ergo, quantacunque erat, vt in duodecim partes deſcriberent, *clepſydra* vtebantur, cui addi demi aqua poſſet, vt hora longa alia, breuior exiſteret. Vegetius lib. III cap. VIII *Quia impoſſibile videbatur, in ſpeculis per totam noctem vigilantes ſingulos permanere; ideo in quatuor partes ad clepſydram ſunt diuiſæ vigiliæ, vt non amplius, quam tribus horis nocturnis, neceſſe ſit vigilare.* Qua ratione vero horæ ad anni tempeſtates temperentur, vetus auctor Aeneas Poliorcet. cap. XXII. ita expoſuit: Ὃν δ᾽ ἂν τρόπον ἴσως καὶ κανικῶς

μα-

μακροτέρων ἢ βραχυτέρων νυκτῶν γινομένων ἅπασιν αἱ φυλακαὶ γίγνοιντο, πρὸς κλεψύδραν χρὴ φυλάσσειν. ταύτην δὲ αὐτῆς κεκηρῶσθαι τὰ ἔσωθεν. καὶ μακροτέρων μὲν γινομένων τῶν νυκτῶν, ἀφαιρεῖσθαι τοῦ κηροῦ, πλέον ὕδωρ χωρῇ· βραχυτέρων δὲ προσπλάσσεσθαι ἵνα ἔλασσον δέχηται. Hoc eſt: *Ceterum, ſiue longiores ſiue breuiores noctes fuerint, omnium vigiliarum par & communis ratio ſit; ad clepſydram vigiliæ agendæ. Huius autem pars interior cera oblinenda, & quum productiores ſunt noctes, detrahendum de cera, quo plus aqua capiatur: contractioribus vero noctibus amplius adlinendum, quo minus capiatur.*

VII. Nec alia ratio eſt clepſydrarum forenſium, quibus ſilentium, vt Plinius dixit lib. I. epiſt. XXIII, cauſſidicis indicebatur, ne vltra conſtitutum tempus dicerent. Nam & illæ non erant vnius moduli. Idem lib. VI. epiſt. II *Quoties iudico, quantum quis plurimum poſtulat, aquæ do.* Clepſydra autem minor, quam hora, erat. Idem lib. II cap. XI ſect. 14 Dixi *horis pæne quinque. nam duodecim* (al. decem) *clepſydris, quas ſpatioſiſſimas acceperam, ſunt addita quatuor.* Id moris etiam Ciceronis ætate fuit. Lib. III de Oratore cap. XXXIV *Hunc non clamator aliquis ad clepſydram latrare docuerat.*

VIII. Vt vero nota in caſtris interualla vigiliarum eſſent, bucoina ſignum edebatur. Siltus Italicus lib. VII. verſ. 154

--- mediam ſomni quum buccina noctem
Diuideret,

quod initium erat vigiliæ tertiæ. Secundæ initium

ſu-

ſupra ex Liuii VII cap. XXXV cognouimus, *Vbi ſecunda*, inquiebat, *vigilia buccina datum ſignum eſſet.* Et Propertius lib. IV. eleg. IV

Et iam quarta canit venturam buccina lucem.

Et Vegetius lib. III cap. VIII *A tubicine omnes vigiliæ committuntur: & finitis horis a cornicine reuocantur.* Quid? quod etiam diei totidem, quod noctis interualla, buccina ſignificabantur. Seneca Thyeſte verſ. 798

Nondum in noctem vergente die
Tertia miſit buccina ſignum.

Græcis enim & Troianis tres diei, nec plures noctis partes erant: Romanis diei æque, vt noctis, quatuor. Cenſorinus de Die natali cap. XXII extremo: *Alii diem quadripartito, ſed & noctem ſimiliter, diuidebant: idque ſimilitudo teſtatur militaris, vbi dicitur vigilia prima, item ſecunda, & tertia, & quarta.*

IX. Hactenus de vigilia militari. *Lucubrationes* ſequuntur explicandæ; quæ cum ad alia opera, etiam ſordida & ſeruilia, tum maxime ad litterarum colenda ſtudia ſuſtinebantur. Hæ vel veſpertinæ erant, vel matutinæ & antelucanæ. De Lucretia Liuius lib. I. cap. LVII *nocte ſera deditam lanæ inter lucubrantes ancillas in medio ædium ſedentem inueniunt.* Et Columella lib. XI cap. II de ſeruorum hiberno opere: *ad lucubrationem veſpertinam palos decem, vel ridicas quinque conficere: totidemque per antelucanam lucubrationem.* Sed miſſas facimus ſeruiles lucubrationes, aliaſque nocturni temporis illiberales operas. Quæ curæ nobis ſint, liberalia ſtudia oportet eſſe, quæ quo pacto & ratione a Græcis Latiniſque quon-

Digitized by Google

quondam & ſuſcepta & exercitata fuerint, præſertim hibernis noctibus & per brumam productioribus, nunc diſcutiemus. Seneca dixit epiſtola xxxi, *generoſos animos nutrit labor*; ex quo eſt, quod nec iis dies aliquis tam longus ſit, quin de nocte adiungendum eſſe exiſtiment. Semper id cogitant verum eſſe, immo exercent, quod princeps poëtarum dixit Iliad. B. verſ. 24 & 61.

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα,

Non decet per totam noctem prudentem virum dormire,

hoc eſt, cum conſilio res ſuas agentem perficientemque, vt ſibi non minus, quam aliis, quod optimum eſt, ſemper conſulat. M. Cicero in hoc numero ponendus eſt, qui æque *contractioribus*, vt ait Paradoxorum proœmio, hoc eſt æſtiuis *noctibus* aliquid lucubrauit, ac *maioribus* & hibernis *vigiliis* ſolitus erat agere. Sunt characteres animorum, quibus illorum nobilitas cognoſcitur: ſed in his præcipuam duco ſomni temperationem, vt parce quis illo vtatur, & quoties opus eſt & ſtudiis neceſſarium, de nocte hora quauis poſſit ſurgere, & ſacris litterarum operari. Hic vero qui voluptati cedit, nihilque, vt cum Theocrito loquar Idyll. V. verſ. 51, *μαλακώτερον ὕπνω*, *ſomno mollius* ſuauiusque ducit; is profecto ad alias cupiditates ſuperandas minus, quam virtute decet præditum, valebit.

X. Non autem ea noſtra eſt ſententia, vt quod naturæ debemus, & valetudini eſt neceſſarium, ſubtrahendum lucubratione ducamus, quaſi pervigilium continuum celebrandum ſit, quo perdi hominem neceſſe

neceſſe eſt, non ornari aut excoli ad virtutem; ſed moderationem ſomni ſuademus; quum natura, vt in cæteris rebus, ita etiam in virium refectione ſit paucis horis contenta. Egregia de his eſt Quintiliani ſententia lib. x cap. iii *In omni ſtudiorum genere bona valetudo, quæque eam maxime præſtat, frugalitas neceſſaria eſt; quum tempora ab ipſa rerum natura ad quietem refectionemque nobis data, in acerrimum laborem conuertimus. Cui tamen non plus irrogandum eſt, quam quod ſupererit, haud deerit.* Hoc eſt, ſuperfluum ſomni tempus corripiendum, adhibendumque laboribus officii.

XI. Quod ſi vero lucubrare placet, & exigente re conſtitutum ita eſt, hoc tamen reſtat excutiendum, num vigilias veſpertinas agere, & in ſeram noctem protrahere; an matutino tempore ac ante lucem operari magis conducat, & tam animo ſit, quam corpori etiam, ſalubrius. Vt antelucana ſtudia præferamus, & rationes firmis concluſionibus inſitæ & Græcorum Romanorumque exempla nobis perſuadent, nec non ipſa veterum primitiuæ eccleſiæ Chriſtianorum conſuetudo.

XII. Recte Quintilianus dicto loco iudicauit: *Eſt lucubratio, quoties ad eam integri ac refecti venimus, optimum ſecreti genus.* Integri autem ac refecti quando ſumus, niſi matutinis horis, nocturna quiete reparatis viribus, quæ heſterno labore conſumtæ aut debilitatæ fuerant. Tum enim ſecretum eſt optimum, quum adhuc ſtertant, qui perturbare poſſint: tum legendi, meditandi, atque etiam ſcribendi parata eſt facultas, quum alacer a quiete animus, & ſen-

Digitized by Google

ſtas denuo excitati ſunt & mirifice ad operandum recreati. Quod ſi peritum rei, hoc eſt medicum audire præſtat, en principem artis inter Romanos Cornelium Celſum lib. I cap. II dicentem: *Si lucubrandum eſt, non poſt cibum id facere debet, ſed poſt concoctionem.* Damnat ergo poſt cœnam lucubrationes, vt nocentes valetudini; commendat matutinas & antelucanas. Tum enim peracta eſt concoctio, tum detritas vires reparauit quies, & vigor nouus tam animo quam corpori reſtitutus.

XIIII. Exemplis rem declaratam, vt clarior fiat, illuſtrabimus. De Demoſthene, incomparabili inter Græcos oratore, perhibetur & fide dignus illius æmulator M. Tullius Cicero lib. IV Tuſcul. Quæſt. cap. XIX refert; *Cui non ſunt auditæ Demoſthenis vigiliæ? qui dolere ſe aiebat, ſi quando opificum antelucana victus eſſet induſtria.* Si enim hi ſordidi quæſtus cauſſa auroram ſolent præuenire; quanto magis id decet in colendo animo liberali profeſſos? quibus tam pulchrum, tam eximium opus perficiendum eſt, vt nec longus dies ornando & perpoliendo ſufficiat. Quod quum intellexiſſet Demoſthenes, antelucanis litterarum ſtudiis vacauit; quibus id conſequutus eſt, vt eſſet primus orator; quemadmodum par induſtria Cicero perfecit, vt ne eſſet ſolus. Hinc in prouerbium abiit lucerna Demoſthenis: δοκεῖν λυχνίων ὄζειν τὰ αὐτοῦ ἐνθυμήματα; *lucernam olere ipſius meditationes.* Quod quum illi Pytheas quidam irridens obiecisset, apte, vt Plutarchus in Vita refert, reſpondit, non ſibi & aliis λύχνον τὰ αὐτὰ συνειδέναι, *earumdem rerum conſciam lucernam eſſe*; quod ipſe honeſtiſſimas propter

Digitized by Google

cauſſas lucubraret. Pythias, & ſimiles eius, propter turpiſſimas voluptates.

XIV. Vt vero Græcis Demoſthenes antelucano ſtudio præluxit: ita Romani, Græcorum mores imitati, matutinas vigilias litterarum ſtudiis, aliiſque negotiis, aptiſſimas exiſtimauerunt. Inprimis illuſtre C. Plinii Secundi, a ſororis filio lib. III. epiſt. V. deſcriptum exemplum eſt. Hic enim a Marco rogatus, vt auunculi libros, quos compoſuerat, ſibi recenſeret, poſtquam id perſequutus erat, de cauſſa etiam tot voluminum, hoc eſt miranda induſtria perſcribit. *Erat*, inquit, *acre ingenium, incredibile ſtudium, ſumma vigilantia. Lucubrare Vulcanalibus incipiebat, non auſpicandi cauſſa, ſed ſtudendi, ſtatim a nocte multa: hieme vero ab hora ſeptima, vel cum tardiſſime, octaua; ſæpe ſexta. Erat ſane ſomni paratiſſimi: nonnunquam etiam inter ſtudia inſtantis & deſerentis. Ante lucem ibat ad Veſpaſianum imperatorem: nam ille quoque noctibus vtebatur: inde ad delegatum ſibi officium: reuerſus domum, quod reliquum erat temporis, ſtudiis reddebat.*

XV. En primum, *vigilantiæ* vocabulum proprio vſui datum, *vigilandi* ſonans induſtriam & facultatem. Alioqui circumſpectionem, induſtriam & indefatigatum ſtudium, quod cum vigiliis coniunctum eſt, ſignificat. Cicero lib. VIII. ad Attic. ep. IX extrema de Cæſare, Pompeium ex vrbe fugientem perſequuturo: *Sed hoc τέρας horribili vigilantia, celeritate, diligentia eſt*: niſi & hic peculio interpretari malis. vt Gloſſ. Cyrilli *Vigilantia*, γρήγορσις. Quæ autem de auſpiciis in *Vulcanalibus* dicit, optime illu-

 ſtrauit

Digitized by Google

ſtrauit M. A. Muretus Var. Lect. lib. XVIII cap. XIII. *Erat, inquit, in conſuetudine poſitum, vt de menſe Auguſto Vulcanalibus lucubrare inciperent, ſed id tantum ἀφοσιώσεως χάριν plerique faciebant, eodem plane modo, quo kalendis Ianuariis ſuas quiſque artes modice attingebat, auſpicandi cauſſa. Ouidius* (Faſtorum lib. I. verſ. 169)

Quiſque ſuas artes ob idem delibat agendo,
Nec plus quam ſolitum teſtificatur opus.

Interiectis paucis pergit: *Negat eum* (auunculum) *ita feciſſe, vt ceteri ſolebant, qui tunc dicis tantum cauſſa incipiebant lucubrare: ac deinde id differebant ad finem autumni: at illum vero ſerio a Vulcanalibus incipere ſolitum.* Vulcanalia autem fuerunt Auguſto menſe. Columella lib. XI cap. III *Auguſto circa Vulcanalia, tertia ſatio eſt, eaque optima radicis, & rapa, itemque napi.* Et multis interiectis: *Auguſto menſe circa Vulcanalia.* Diem oſtendit vetus calendarium ex marmore deſcriptum, quo ad X kalendas Septembris adpoſitum eſt VOLC. id eſt Volcanalia: & aliud ex medio æuo, quo ad eundem diem VULCANALICI.

XVI. Lucubrationem autem matutinam fuiſſe, quam Auguſto menſe auſpicabantur Romani, & in his ſerio *Plinius*, oſtendunt quæ ſequuntur: *ſtatim a nocte multa*, quo tempus vltra noctis medium ſignificatur: ſaltim excluditur veſpertinum, quo nox recens eſt, non multa. Additur vero, *hieme ab hora ſeptima, vel, quum tardiſſime, octaua, ſæpe ſexta.* Hora ſexta eſt media noctis ſeu μεσονύκτιον: ſeptima eſt prima; octaua, *ſecunda* poſt noctem mediam. O incre-

Digitized by Google

incredibile ſtudium! horribilem vigilantiam! præſertim in *amplitudine corporis*, quæ Plinii maioris fuit, vt alter lib. VI epiſt. XVI ſect. 13 notauit.

XVII. Quid vero ante Vulcanalia Romani? Quod breuiores noctes ſunt æſtiuis menſibus, plerique ſomno vsque in lucem vacabant, ſaltim ad auroram; diligentiores autem nec illos menſes ſine lucubratione prætermittebant. Supra cognouimus ex procœmio Paradoxorum, Ciceronem *contractioribus noctibus opuſculum elucubraſſe.* Addit Muretus Lucretii exemplum qui lib. I. verſ. 141 ſeq. Memmium, cuius gratia laborabat adſidue, adloquitur:

Sed tua me virtus tamen, & ſperata voluptas
Suauis amicitiæ, quemuis efferre laborem
Suadet, & inducit noctes vigilare ſerenas.

SERENAS interpretatur æſtiuas, quæ pleræque ſerenæ ſunt, crepuſculo ferme diluculum contingente. A doctiſſimo viro diſſentiunt alii, & adeo Michael Fayus, vt in vſum ſereniſſimi Galliarum Delphini expoſuerit SERENAS *claras, quales ſunt hiemis noctes.* Thomas Crechius, recentior in Britannis interpres, lectionem ſollicitat, *ſeueras* legendum ſuſpicatus, quia lib IV verſ. 462 dictum ſit,

– – – *ſeuera ſilentia noctis.*

Sed clarorum hominum opinionibus relictis, quarum violenta altera, omnes codices confodiens: altera mitior quidem, quæ hiemis ſtellatas noctes interpretatur; ſed nihil noui habet pro ſingulari labore & diligentia oſtendenda, quia nemo non hibernis noctibus lucubrat, pauciſſimi æſtate, quum vere ac proprie noctes ſerenæ ſunt, & aliquid lucis admixtum habent. Mu-

Digitized by Google

reti ergo ſententiam ſequuti, Lucretium etiam; propter æſtiuas lucubrationes, in ſumme induſtriis numeramus.

XVII. Quem igitur horum, hoc eſt, Ciceronis, Lucretii, Plinii auctoritas non mouet, nec forſan etiam ſummi principis *Veſpaſiani*, qui etiam *noctibus vigilabatur*, & ante lucem admittebat de rebus gerendis conſulturos; is forte pietati concedet Chriſtianorum veterum, quorum *antelucana* ſacra ab hoſtibus æque ac propriis ſcriptoribus ſunt laudata. Plinius lib. x epiſt XCVII ad Traianum de Chriſtianis: *Adfirmabant* (apoſtatæ Chriſtiani) *hanc fuiſſe ſummam vel culpæ ſuæ vel erroris, quod eſſent ſoliti ſtato die ante lucem conuenire, carmenque Chriſto, quaſi Deo, dicere ſecum inuicem.* Tertullianus Apologetici cap. II eandem hiſtoriam recenſens, Plinium Traiano ſcripſiſſe ait, *nihil aliud ſe de ſacramentis eorum* (Chriſtianorum) *comperiiſſe, quam cœtus antelucanos ad canendum Chriſto, vt Deo, & ad confœderandam diſciplinam.* Idem de Corona cap. III *Euchariſtiæ ſacramentum etiam antelucanis cœtibus ſumimus.* Quod ergo *ante lucem conuenire* Plinius dixit Tertullianus vocat *antelucanos cœtus.* Sed hi ſolemniores cœtus *ſtato die*, vt addit Plinius, hoc eſt *κυριακῇ ἡμέρᾳ*, vt Apoſtolus adpellat, ſunt celebrati. Fuerunt & alia nocturna Chriſtianorum ſacra, ſed veſpertina, *in tempore victus*, vt Tertullianus de Corona cap. III dixit, id eſt cœnæ, quæ *ἀγάπη* dicebatur, de qua horribilia ſunt quæ criminatores pagani effutierunt. Vide Minuc. Felicem cap. IX, vbi ſummam criminationis, & originem Cæcilius hac ſententia molliore indicat:

occul-

occultis ac nocturnis ſacris adpoſita ſuſpicio. Sed nobis matutina lamcuræ ſunt.

XVIII. Quod ſi ergo ad ſtatum diem & dominicum, quæ Plinius, quæ Tertullianus dixit, referenda ſunt, quæ ratio reliquorum dierum in matutino Christianorum fuit? Aurelius Prudentius in *καθημερινοῖς*, id eſt in quotidiani vſus carminibus, non ſinit nos ignorare, quorum primo, quod *ad Galli cantum* eſt, de quotidiana ſuorum vigilantia & antelucana lucubratione præclare cecinit.

Poſt ſolis ortum fulgidi
Serum eſt cubile ſpernere,
Ni, parte noctis addita,
Tempus labori adieceris.

Habes heic laboris diurni, quod mane ante lucem fiat, additamentum, omnibus Chriſtianis commendatum, quibus ſorum ſit exorto ſole relinquere demum cubile. An vero ſub Gallicantum iubet ſurgere? Surgunt quibus commodum eſt, quibus etiam neceſſarium: quod ſi cui nimium eſt ac præmaturum; mitigat ipſe ſententiam in ſequentibus verbis:

Vox iſta, qua ſtrepunt aues,
Stantes ſub ipſo culmine,
Paullo ante quam lux emicet,
Noſtri figura eſt Iudicis.

XIX. Quin & Apoſtoli exſtat ad Romanos exhortatio, hoc tempore in anniuerſariis pericopis eccleſiæ meditata, quæ idem non obſcure officium matutinum memorauit. Cap. XIII commate XII ait, ἡ νὺξ προέκοψεν, ἡ δὲ ἡμέρα ἤγγικεν· ἀποθώμεθα οὖν τὰ ἔργα τοῦ σκότους, καὶ ἐνδυσώμεθα τὰ ὅπλα

τῦ φωτός. Tota quidem eſt myſtica adhortatio & metaphorica, cuius vero vis in adplicando a proprio & litterali ſenſu pendet, quem paucos interpretes adſequutos eſſe, ex comparatione animaduertimus. Qui antiquiſſimus facile eſt, metaphraſta Syrus προέκοψε vertit ܥܒܪ, *tranſiit*, etiam Cyprianus libello de Zelo & liuore p. 224 *nox tranſiuit*, quos duces plurimi hodieque ſubſequuntur. Vulgatus Latinus *praeceſſit*, quod S. Ambroſius enarratiuncula in Pſalm CXVII (Ebr. 118) *ſequenti* perpetuae luci opponit. *Praeceſſit*, inquit, *non ſequitur: vt intelligat, ſuperueniente Chriſti lumine & diaboli tenebras effugari, & peccatorum obſcura non ſubſequi.* Scite quidem ac pie: non autem ex mente diuini & αὐθεντικῦ ſcriptoris. Vertendum erat, *nox proceſſit*, aut *promouit*, aut *vergit in diem*: quod etiam inſequens verbum confirmat, ἤγγικεν *adpropinquauit* dies, nondum vero exortus eſt. Vis verbi προκόπτειν valet *progredi*, *procedere*, *promouere*, quod de aetatis & virtutum profectu reperitur Lucae II comm. LII: de validiore incremento impietatis II Timoth. III commate XIII, & Zoſimus lib. I cap. LXXI πόλεμον προκόπτοντα ἐπὶ χρόνον βραχὺν, dixit *bellū quod ad multum temporis non protrahatur*. Ait ergo diuinus vir, προκόψαι *proceſſiſſe longius* mundanam noctem, & iam adpropinquare magnum diem τῆς ἐπιφανείας τῦ χριςῦ. Quod ſi eſt, vti nec aliud ſecundum vim vocabulorum eſt, quae ſequuntur verba, *exuamus*, *induamur*, ad myſticum vſum, adiectis nominibus ἔργων & ὅπλων, iam adplicata, in proprium ſenſum

exuen-

Digitized by Google

exuendarum veſtium, quorum noctu in cubiculo vſus eſt, induendarumque, quibus in luce fas & decus ſit verſari, quæ ſummo mane, quum lucem verſus propinquam, necdum ortam, nox proceſſiſſet, permutandæ ſint; & Romanos olim induxerunt, & omnes cum iis Chriſtianos inducunt.

XX. Et interpretibus Ioannes Chryſoſtomus homilia XXIV in Epiſt. ad Roman. p. 327 hoc lucidisſime illuſtrauit. Hunc enim ipſum de *proceſſa nocte & propinquante luce* locum interpretans ait: Ὅταν ἴδωμεν πρὸς ὄρθρον τὴν νύκτα ἐπειγομένην, καὶ χελιδόνος ᾀδούσης ἀκούσωμεν, τὸν πλησίον ἕκαστος διεγείρομεν, καίτοιγε ἔτι τῆς νυκτὸς οὔσης· ---- καὶ τὰ τῆς ἡμέρας ἅπαντα πράττομεν, ἐνδυόμενοι, καὶ ὀνείρων ἀπαλλαττόμενοι καὶ ὕπνον διακρουόμενοι ἵνα παρεσκευασμένους ἡ ἡμέρα εὕρῃ καὶ μὴ ἀνισχούσης ἀκτῖνος τότε ἀρξώμεθα ἀνίστασθαι καὶ διατείνασθαι. Hoc eſt: *Quum noctem ad diluculum vsque perductam videmus, garrientemque hirundinem audimus, proximum ſibi quisque excitamus, etiamſi adhuc nox exiſtat: ---- & facimus omnia quæ interdiu ſolemus, induti ſomno penitus excuſſo, vt paratos nos dies inueniat, atque ita nondum exorto ſolis iubare ſurgentes, ad opera noſtra contendimus.* Hæc in Græcia & Conſtantini vrbe laudabilis conſuetudo fuit, comparanda vtique cum vigilantia Romanorum ex Plinii exemplo & Prudentii carmine, vt cetera taceam, abunde demonſtrata antea. Ad quam, vt tritam & notam omnibus, Romanos exhortans Apoſtolus adludit, & tacite Chriſtianis, dum ad vſum ſacrum

transſfert, commendat. Non enim valet adplicatio, niſi, a quo ducta eſt, per ſe ſit bonum & commendabile. Expoſitionem vero adplicationis, quæ aliorum eſt muneris; noſtro nos contenti prætermittimus, ad ipſum Chryſoſtomum, mirifice id perſequutum, aliosque, etiam recentioris memoriæ, aut noſtræ quoque ætatis viros, myſteria regni cæleſtis πεπιςευμένȣς, ablegantes.

XXI. Reſtat, vt de *feſtorum dierum vigiliis* adiiciamus. Solemnium *vigiliarum* nomen duabus noctibus ex deuoto in iis officio antiquitus impoſitum fuit, quæ ſanctiſſimis Chriſtianorum feſtis & Natiuitatis Dominicæ, & Paſchæ antecedunt. Nec vero his contenta vel pietas vel tandem ſuperſtitio progreſſu temporis fuit, ſed in baſilicis martyrum etiam frequentes vigilias celebrauerunt. In has poſterioris generis inuectus eſt Vigilantius, Hiſpanus presbyter Barcinonenſis eccleſiæ, cui acriter Hieronymus tam epiſtola LIII ad Riparium, quam ſingulari libello, illi epiſtolæ in Operibus ſubiuncto, reſpondit: ex quo, quæ obiecerat Vigilantius, & ſimul vigiliarum vſum & abuſionem intelligimus. *Vigilias & pernoctationes in baſilicis martyrum* vocat Hieronymus cap. IV, quas Vigilantius ideo reſpuendas duxerit, *ne ſæpe videamur paſcha celebrare, & non ſolemnes poſt annum exercere vigilias*. Solemniſſimæ ergo vigiliæ *paſchales* fuerunt, in memoriam noctis, ante cuius finem a mortuis Victor mortis reſurrexit; quotannis celebratæ. Adde Tertullianum ad vxorem lib. II cap. IV, & Prudentium hymno ad incenſum lucernæ. Quid amplius obiecerit,

Digitized by Google

ex Hieronymi reſponſione non obſcurum eſt. *Error*, inquit, *& culpa iuuenum, viliſſimarumque mulierum, qui per noctem ſæpe deprehenditur, non eſt religioſis hominibus imputandus, quia & in vigiliis paſchæ tale quid fieri plerumque conuincitur: & tamen paucorum culpa non præiudicat religioni; qui & absque vigiliis poſſunt errare vel in ſuis, vel in alienis domibus.* Et ex epiſtola ad Riparium patet, obiectum præterea fuiſſe, quaſi idolorum templa venerari qui martyrum baſilicas ingrediantur; *cinerariis* illis & *idololatris* adpellatis. Negat adorationem Hieronymus, & *Honoramus*, inquit, *reliquias martyrum, vt eum, cuius ſunt martyres, adoremus.* Nos controuerſia abſtinemus, transſiliente lineas noſtras, hiſtoriam nude narraſſe ſatis habentes.

XXII. Templorum idolis dedicatorum mentio in memoriam vocat paganorum *peruigilia*, quale *anniuerſarium* Galbæ fuit, Fortunæ colendæ inſtitutum, vt Suetonius refert cap. IV, & quod Caligula nequitiæ cauſſa illo die, quo periit, indixerat, eodem teſte cap. LIV; de quibus auctor Sermonis XXV ad fratres in eremo, ſub Auguſtini nomine, Appendice Tomi X p. 647 *Vigilabant per noctem, & ad eccleſiam* (delubrum) *ludendo & chorizando conueniebant, quod deteſtabile erat malum. Tales non ſolum Romani erant, non ſolum Papienſes & Rauennates, ſed etiam Mediolanenſes.* Sed miſſis his impiis peruigiliis, etiam celebratis honori martyrum, de vigiliis natalitiorum Chriſti hoc addimus, pari ſanctitate, vt paſchales, ſine dubio fuiſſe celebratas, cuius rei teſtes ſunt homiliæ in iis habitæ; vti eſt

Ma-

Maximi Taurinenſis, præſcripta IN VIGILIIS NATALIS DOMINICI: & veſtigia in pluribus eccleſiis ſuperſunt. Inſtat idem ſacratiſſimum tempus, cuius non modo feſtos dies, ſed noctem etiam præcidaneam (quod προδιανυκτερεύειν Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. p. 340 dixit) vt pie, ac ſancte peragamus, Deus per FILIVM ſuum, HOMINEM nobis natum, largiatur.

DISSERTATIO III. DE SEPTEM ECCLESIIS ASIÆ IN DIVINA APOCALYPSI MEMORATIS, EARVMQVE OCCASIONE, DE EXSILIO IOANNIS APOSTOLI,

habita A. 1701.

IN diuerſa eunt ſtudia mortalium, nec ſolum illa diſiiciuntur, quæ curam corporis aut lucrum ſibi commendatum habent; verum ipſa etiam, quæ a mentis cultu liberaliora appellamus. Quis ignorat enim ſupremas illas diſciplinas quam

quam longe inter ſe ſe & ab aliis etiam diſſideant? quis vaſtum interuallum philoſophiam inter & philologiam, ſeu litterarum humaniorum culturam non intelligit? quam varie diuiſæ ſunt mathematicorum differentiæ? omnia tamen, quantumcumque diſiuncta ſunt, ſi recte ſuſcipiuntur, &, vt decet, pertractantur, ad vnum finem collineare debent, qui Dei eſt gloria, & huic coniuncta communis ſalus omnium ſiue reipublicæ.

II. Conſociat hic finis diuerſitatem ſtudiorum, quæ non minus eſt neceſſaria, quam multitudo & varietas opificiorum. Quem vero inter ſe ordinem dignitatemque ſeruent, non eſt noſtrum iam excutere, præſertim quum alia priſcorum temporum ratio fuerit, aliud conſuetudo ætatis noſtræ ferat. Romanorum quæ litterarum ſtudia fuerint, & quo ordine ab illis cenſa ſint & æſtimata, ex monumentis illorum, quæ ſuperſunt, non difficile ad iudicandum eſt. Hodie qui ſtatus rerum ſit, quæ emineant diſciplinæ quæue iaceant, non opus eſt recenſere, quia per ſe cognitum, vt enarratione non indigeat.

III. Dimiſſis ergo ceteris, *philologia* noſtra contenti ſumus, ſeu illarum artium & litterarum ſtudio atque cultura, quæ quod ad humanitatem ducunt, & ceteris quibusque diſciplinis elegantiam ac ornatum adferunt, HVMANIORA STVDIA & LITTERAE POLITIORES, vt dignæ ſunt, appellantur, nec quisquam glorioſum nomen inuidit, niſi ſordido qui animo eſt & ignarus veræ humanitatis ac elegantiæ. Vt vero Marcus Cicero in ſuo ſtudio de

opti-

Digitized by Google

optimo genere oratorum; & noſtra memoria vir il-
luſtris Petrus Daniel Huetius de *optimo interpre-
tandi genere* disquiſiuit: ſic nobis de *philologorum opti-
mo genere* inquirere non nihil liceat.

IV. Sunt qui in codicibus emendandis, ſunt qui
in nummis & ſaxis antiquis, ſeu inſcriptionibus, alii
in aliis antiquitatibus explicandis ſuam curam &
ſtudium deſignant. Atque locant, ſinguli quidem præ-
clare & cum fructu vtique eximio, qui ad alia &
ſublimiora ſtudia adfertur. Nos vero vt ſacris my-
ſteriorum ſtudiis primas, vt par eſt, deferendas eſ-
ſe cenſemus, quia, quum fluxa ſint cetera, & mor-
talis vitæ commoda vt plurimum reſpiciant; hæc
ad diuina diriguntur, & æternos ac immortales
fructus ferunt; ita philologiam quæ ſacro vſui ap-
plicatur, eſſe optimum præſtantiſſimumque in gene-
re humaniorum ſtudiorum, omnino iudicamus: im-
mo etiam, ſed iis qui tractant, iucundiſſimum.
Dulce enim cultis modeſtisque ingeniis, profana ſtu-
dia; hiſtoriam, geographiam linguarumque va-
riarum & antiquitatum notitiam ad ſanctiorem con-
ſtantioremque vſum accommodare.

V. Hanc mentem ingreſſus de ASIA iam ſubit
meditari, cuius SEPTEM ECCLESIIS diuinus Io-
annes cæleſti iuſſione ex Patmo exſul ſcripſit, vt cor-
rigerent prauata, quæ collapſa erant excitarent,
quæ ſtabant recte, in bono ſtatu confirmarent. Il-
lam autem vt Aſiam inueniamus, diuiſiones, et
maxime quibus Romani vſi ſunt, excutiamus neceſſe
eſt; quia quæ explicaturi ſumus, ſub Romanorum
principum imperio, quod nemo negat, geſta ſunt.

De-

Digitized by Google

Deinde Apoſtoli migrationes & pericula, quæ varie traduntur, ex hiſtoriis examinabimus, vt ſtatus eccleſiarum, quibus literas diuinas miſit, lucidius intelligatur, tum loci & temporis cognitione, vbi & quando epiſtolæ illæ conſignatæ fuerint.

Aſia hoc loco non eſt tertia antiqui orbis pars quæ quarta, Europæ & Africæ obiecta: neque illa tractus inter Pontum, Aegæum mare & mediterraneum comprehenſus, quam Peninſulam veteres dixere, nunc *Natolia* appellatur, quam vulgo, non autem antique dicant *Minorem Aſiam*: neque quæ Romanis dicta *cis Taurum Aſia* aut *intra Taurum*, in bello cum Antiocho eiusque pacificatione; ſed pars illius, quæ olim Attalorum regnum fuit, poſt Romanorum prouincia, qui pro temporum ratione nunc adiecerunt, nunc ademerunt ſursus, quæ vſus belli aut adminiſtratio prouinciæ ſuadebat. Hanc Romani κατ' ἐξοχὴν *Aſiam*, ſiue vt Strabo ait lib. XII in Apamea, τὴν ἰδίως καλουμένην Ἀσίαν, *propriam Aſiam* vocarunt; quam diuidendi rationem etiam ſacri ſcriptores imitati ſunt, quia illorum temporibus trita, frequensque hæc Aſiæ erat notio. Lucas Act. Apoſt. II. 9. καὶ κατοικοῦντες τὴν Καππαδοκίαν, Πόντον καὶ τὴν Ἀσίαν, Φρυγίαν τε καὶ Παμφυλίαν, *habitantes in Cappadocia, Ponto, & Aſia, Phrygiaque & Pamphylia.* Et cap. XVI. comm. 6. ſeq. *Peragrata autem Phrygia & Galatia prohibebantur a Spiritu S. verbum prædicare* ἐν τῇ Ἀσίᾳ, *in Aſia. Venientes autem ad Myſiam tentabant in Bithyniam proficiſci; non autem permiſit ipſis Spiritus. Prætereuntes inde Myſiam, deſcenderunt Troadem.* Videmus hinc, a quot prouinciis minoris

noris

noris Aſiæ hæc noſtra Aſia diſtinguatur! Sic epiſtola Petri prima ineunte *παρεπιδήμοις διασπορᾶς Πόντου, Γαλατίας, Καππαδοκίας, Ἀσίας, καὶ Βιθυνίας*, *aduenæ diſperſionis in Ponto, Galatia, Cappadocia, Aſia & Bithynia* diſcernuntur.

VII. Quamuis autem *Aſia propria* cum Romanorum prouinciá *Aſia* conuenire & eadem eſſe videatur, tamen ſi recte diſcutias hiſtoriam, intelliges diſcriminis aliquid intereſſe. Ciceronis ætate *tres diœceſes cis Taurum* in Phrygia ſitæ, vt ipſe lib. III epiſt. VIII deſcribit, & *tres diœceſes Aſiaticas* lib. XIII epiſt. LXVII vocat, ademptæ erant prætori Aſiæ, & Ciliciæ proconſuli adiectæ: quod verum mutatum poſt Ciceronis diſceſſionem, aut ciuili bello fuit, eædemque reductæ ad Aſiæ prætorem, id quod ex altera illa, quam diximus, libri XIII epiſtola apparet. Contra addita Aſiaticæ prouinciæ multa, quæ extra Aſiam Propriam erant, a qua nomen prouincia acceperat, videlicet Caria, Helleſponti ora & alia. Auguſtus Cæſar quum nouam formam prouinciis induxit, aliis ſibi ſeruatis, in quibus armorum opus præſidio erat, quæ inde *Cæſaris prouinciæ* dictæ; aliis ſenatui & populo Romano redditis, quas *prouincias populi* dixerunt, in quibus & Aſia erat, proconſulari dignitate aucta, quum antea fuiſſet prætoria, niſi belli tempus proconſulem poſtularet; amplos fines eius Aſiæ eſſe voluit, ferme omnem Aſiam cis Halyn & intra Taurum, Bithynis exceptis, quibus ſua Pontica erat prouincia, & Galatis gentibus, quas Amyntæ regno adiecerat. Intra Aſiaticam ergo prouinciam erant Ionia, vtraque Phrygia, Lydia, Myſia, Caria & Pergamus. Conſule

Digitized by Google

ſule Strabonem lib. XVII extremo, & eminentiſſimi viri Henrici Noris Cenotaph. Piſan. Diſſert. II cap. XI.

VIII. Propria autem Aſia, vetus Lydia eſt (nec vero totum Lydiæ regnum, quod amplius, præſertim ſub poſtremis regibus patebat) & tractus circa Epheſum & Caſtri ripas vsque ad fontes eius amnis & Tmolum montem. Auctor libelli de locis Ebraicis in Apoſtolorum Actis, (Hieronymi libro de Ebr. Locis adiecti) *Specialiter, vbi Epheſus ciuitas eſt, Aſia vocatur.* Virgilius Georg. I. verſ. 383

- - - - qua Aſia circum

Dulcibus in ſtagnis rimantur prata Cayſtri.

quod deſumptum videtur ex Homeri Iliad. B. v. 461, Et Euripides in Bacchis verſ. 64

Ἀσίας ἀπὸ γᾶς ἱερὸν Τμῶλον

Ἀμείψασα - - -

Aſia ex terra (profecta) *ſacrum Tmolum relinquens*, Sed hæc temporibus antiquiſſimis. Romano æuo, non eſt dubium, quin latior Aſia illa fuerit, nec vero prouinciæ æquata, extremis partibus exceptis, quæ ſuo nomine appellabantur. Aliquando autem etiam Romanos id *Aſiæ* nomen ad totam prouinciam extendiſſe non eſt quod dubitemus: ſæpe vero in arctius illud contrahunt, vt mediam illius partem, quæ ad Epheſum erat atque Pergamum, atque per Lydiæ partes protrahebatur, vnice ac præcipue ſignificaret.

IX. In quo cenſu id nomen & ſacri ſcriptores poſuerunt, vt ſupra vidimus, quos eodem modo, quo nos antea, clariſſimi viri interpretati ſunt. Iacobus

Digitized by Google

Vſſerius, Armachanus in Hibernia archiepiſcopus, de Aſia proconſulari libello pag. 38 *Vnde* (ex Act. xvi) *obſeruari poterit, maiorem Phrygiam, per quam profecti erant in Galatiam; Myſiamque Olympenam, quæ Bithyniæ adhæreſcebat; & Hellespontiadem, in qua erat Troas; quum ſingulæ partes eſſent illius Aſiæ, quæ primum a Romanis ſic proprie dicta eſt, & poſt diœceſeos Aſianæ quoque; expreſſe tamen diſtingui ab Aſia peculiari magis nomine ſic appellata; vti & Cariam fortaſſe, in qua Miletus erat. Act. xx. 16. 17.* Et Guilielmus Eſtius Commentar. in I. epiſt. cap. I, *Specialius* ASIA *fuit appellata ea regio, quæ circa Epheſum eſt, qua, præter alias comprehendebantur ſeptem illæ ciuitates, ad quarum eccleſias ſcribere iubetur Ioannes Apocal.* I. *Atque hanc ſtrictiorem ſignificationem Aſiæ facile eſt colligere ex reliqua hiſtoria Actorum, præſertim cap. xvi. vbi Phrygiam, Galatiam, Myſiam, & Bithyniam, quæ omnes ſunt Aſiæ minoris regiones, inueniens ab Aſia diſtingui, hac vtique ſpecialiore. Quo pertinere etiam arbitror illud cap. xix de Paulo Epheſi per biennium docente:* ITA VT OMNES, QVI HABITANT IN ASIA, AVDIRENT VERBVM DOMINI, IVDAEI ATQVE GENTILES. Atque hinc diuerſæ notiones vocis ASIAE oriuntur, vt *latiſſima* tertiam orbis terrarum continentem ſonet, Europæ ab ortu oppoſitam: *latior* magnam peninſulam inter Ponticum & mediterraneum mare; *lata*, Aſiam cis Taurum, vel intra eum montem. Deinde *ſtricte* eſt prouincia proconſularis: *ſtrictius*, media pars illius prouinciæ, circa Epheſum & Lydiam propriam: *ſtrictiſſime*, Homerica notione, paruus tractus ad Cayſtrum

ſtrum fluuium. Sacris ſcriptoribus ſignificatio illa placuit, quam *ſtrictiorem* modo diximus, vti ex iis, quæ varie adhuc dicta ſunt, elucet.

X. Quod ſi hæc ita ſunt, cur vero tantum *ſeptem* eccleſiæ in Aſia, etiam illa media & propria memorantur, quæ vtique plures claras & frequentes vrbes habuit, Tralles, Hierapolin, Apameam, Magneſiam vtramque, ſub Sipylo monte & iuxta Mæandrum, vt minores alias pæne multas taceamus, quas eccleſiis caruiſſe poſt tantos labores apoſtolorum, virorumque apoſtolicorum, a Claudii imperio vſque ad extremos annos Domitiani, non eſt facile quod credamus. An hæ ſeptem vrbes præ ceteris celebriores eccleſias habuerunt? aut Ioannes his ſolis aut præcipue euangelium prædicauit? an myſticum forte aliquid in numero latet & vrbium nominibus, ſicut Apocalypſeos liber eſt plenus myſteriorum? Hoc ipſum eſt quod veterum Patrum multi tradiderunt. Andreas Cæſarienſis in Cappadocia epiſcopus in Apocalypſ. c. I. comma 4. *διὰ τοῦ ἑβδοματικοῦ ἀριθμοῦ τὸ μυστικὸν ἀπανταχῆ ἐκκλησιῶν συμμαίνων*, *ſeptenario numero myſtice omnes vbique eccleſias ſignificat:* quod iisdem ferme verbis Arethas, itidem Cæſarienſis epiſcopus & ſucceſſor, in Synopſi quam ex illius commentariis fecit, repetitum voluit, hoc numero *τὸ τῶν ἀπανταχῆ ἐκκλησιῶν ἐσήμανε πλῆθος, omnes vbique locorum eccleſias ſignificaſſe*, licet ambo in myſterio interpretando parum myſtici; ſed ieiuni potius videantur, ad ſeptem dies hebdomadis id referentes. Auctor commentarii in Apocalypſin, Ambroſio adſcripti, cap. I. p. 368 *Per has ſeptem eccleſias vna eccleſia catho-*

Digitized by Google

lica, ſicut interpretatio nominum docet, deſignatur. Quam autem ſubiungit interpretationem nominum, in multis dura admodum aut longius petita eſt, quæ mollior quidem a Grotio & Cocceio in commentariis proponitur, an vero diuini ſcriptoris mentem ſententiamque adſequantur, noſtrum non eſt iudicare; Theologorum arbitrio ſubmittimus.

XI. Sit in nominibus & numero eccleſiarum ſenſus myſticus, quem non negamus: nec vero litteralis, quem ille ſupponit, negligendus aut prætereundus eſt. Eſt vbi definitus numerus pro indefinito, & ſeptenarius præcipue, pro multitudine eſt poſitus: vt quum Geneſ. IV. 15 *ſeptempliciter vindicabitur*, Aben Melech in h. l. interpretatur נקמות רבות *vltionibus multis:* & quod Prouerb. XXIV. 16 dictum, *ſepties cadit iuſtus*, R. Leui ben Gerſom in eum locum, & Dauid Kimchi in Sepher haſſchoraſchim exponunt פעמים רבות *multis vicibus:* at vbi non indefinite, ſed nominatim res, & tam diſtinctis conditionibus deſcribuntur, an idem valeat, penes alios, quorum eſt cenſere quæ huius ſunt generis, iudicandi poteſtas eſto. E quibus vnum, ſed magni nominis Theologum, Abrahamum Calouium nominaſſe, & ex Adnotat. in Apocalypſ. c. I. comm. 4. eius verba hic legiſſe ſufficiat. *Quamuis*, inquit, *ſeptenario numero interdum perfectio denotatur: illud tamen non habet locum, quum rerum numeratarum nomina & circumſtantiæ exprimuntur, vt hoc in loco accidit. Ioannes enim non ait generatim* SEPTEM ECCLESIIS, *ſed adiungit* ASIAE, *ſcilicet Minoris* (malim Propriæ) *& quænam illæ ſint, aperte v. 11 ſequenti*

quenti exprimitur. Quare certis quibusdam eccleſiis Apocalypſin ſolummodo inſcripſit, ita tamen, vt earum miniſterio, ex communi ſcopo Scripturæ, communicatio & vſus pertineat ad omnes. Hæc autem non ideo a nobis proferuntur, vt negemus ſenſum myſticum, quem, vt iterum dicamus, quia extra limitem noſtrum eſt, excutiendum aliis relinquimus: ſed vt litterarium, qui noſtri inſtituti eſt, tueamur, & ex hiſtoriis & geographia, quantum fieri poterit, deinceps, quum prius de Ioannis exſilio dixerimus, interpretemur. Quod enim epiſtolæ in exſilio, in Patmo inſula, ſcriptæ ſunt ad illas eccleſias, requiritur vtique, vt prius de exſilio, quod præceſſit, quam de eccleſiis ipſis earumque vrbibus agatur.

XII. Apoſtolorum per terræ orbem diſperſio ad prædicandum euangelium certa eſt: quas regiones ſinguli obierint, incertum admodum; quum neque diuinæ litteræ, neque eccleſiæ hiſtoria id diſtincte aperteque exponant. Euſebius lib. III Hiſt. eccleſ. cap. I τῶν μαθητῶν ἐφ᾽ ἅπασαν κατασπαρέντων τὴν οἰκουμένην, Ιωάννης τὴν Ἀσίαν εἴληχεν, *Apoſtolis in vniuerſum orbem diſpergendis, Ioanni Aſia obuenit.* Aſiam citeriorem intelligit, quia ſtatim addit, πρὸς οὓς καὶ διατρίψας ἐν Ἐφέσῳ τελευτᾷ, *apud quos & commoratus, Epheſi moritur.* Nicephorus Calliſtus lib. II cap. XLIV de Ioanne tradit, ἔπειτα ἐν Ἀσίᾳ γενόμενον εὐαγγελίζεσθαι τὸν χριστόν. ἔνθα καὶ τὸν ναὸν τῆς Ἀρτέμιδος κατηδάφισεν. *Deinde* (poſt exceſſum deiparæ) *in Aſia commoratus, Chriſtum adnunciauit. Ibidem & Dianæ templum ſolo æquauit.* In Aſia fuiſſe, præſertim ſupremis annis, ex Apocalypſi cer-

Digitized by Google

certum eſt: an per omne tempus a diſceſſu ab Hieroſolymis, probari non poteſt: neque etiam rationes, quibus negetur, adſunt. Baronius ad annum Chriſti XLIV ſect. XXX in Parthos etiam ad prædicandum euangelium veniſſe ait, ductus veteri epiſtolæ I Ioannis inſcriptione, quæ *ad Parthos* miſſa in antiquis libris referatur. Sane Auguſtinus lib. II Quæſtion. Euangelicar. cap. XXXIX ita ſcripſit: *Secundum ſententiam hanc etiam illud dictum eſt a Ioanne in epiſtola ad Parthos: Dilectiſſimi, nunc filii Dei ſumus, & nondum apparuit, quid erimus*, cetera. Sed fac veram illam traditionem eſſe, quam vero Græci codices, etiam antiquiſſimi ignorant; nec vero inde conſequetur, in Parthis illum Euangelium prædicaſſe. Poterat ſcribere ad illos, quos nunquam viderat. Guil. Eſtius præfat. commentar. in hanc epiſtolam: *An vero cauſſa ſcribendi ad Parthos ea Ioanni fuerit, quod apud illos euangelium prædicaſſet, vt nonnulli putant, non liquet: quum & Paulus ad Romanos & Coloſſenſes ſcripſerit, quibus ipſe prius non prædicauerat.* Quod vero Nicephorus de templo Epheſino addit, ab Ioanne euerſo, fabuloſum eſt & a perſona diuini viri alienum, quia huiusmodi res ſine maximo tumultu nec ſuſcipi poteſt neque peragi & ad finem perduci; idemque templum ſub Eleagabalo ſtetiſſe, non obſcure Lampridius in Vita cap. VII. ſignificat. A quo accepit Nicephorus, videtur metaphora vſus id fortaſſis dixiſſe, Ioannis voce ac euangelio factum, vt Chriſtianorum numerus augeretur, e contrario Dianæ cultus decreſceret, nec eius templum, vt antea frequentaretur; quemadmodum Plinius, inualeſcente Chri-

Digitized by Google

Chriſtianorum religione, Traiano lib. x epiſt. xcvii ſcripſit, *prope iam deſolata templa fuiſſe, & ſacra ſolemnia intermiſſa.*

XIII. Miſſis ergo ſuperioribus annis, quorum hiſtoriam ignoramus, ſenectutem Ioannis in Aſia peractam fuiſſe credimus, quia eccleſiaſtici ſcriptores vnanimi conſenſu adfirmant, & illud ſcribendi officium ad ſeptem eccleſias Aſiæ, commercium aliquod ſacrum, quod anteceſſerit, non obſcure videtur ſignificare. Tertullianus illas Ioannis *alumnas eccleſias* vocat lib. iv adv. Marcion. c. v, id eſt ab Ioanne vel plantatas, vel doctrina confirmatas. Chronicon Alexandrinum ad annum I Veſpaſiani p. 582 nouem annos ante exſilium Ioannem Epheſi egiſſe tradit: *Ιωάννης ὁ Θεολόγος ἐμβὰς εἰς Ἔφεσον ἐποίησεν ἐκεῖσε ἔτη ἐννέα, Ioannes theologus Epheſum venit ibique nouennium tranſegit.* Vnde venerit, ex alia Aſiæ ciuitate, an ex longinquis regionibus, non memorat. Manet ergo incertum, quamdiu in Aſia, antequam pelleretur, moratus fuerit apoſtolus.

XIV. Inde autem quo depulſus aut abductus fuerit, non conuenit inter omnes. De Patmo inſula plerique conſentiunt; ſunt vero etiam qui prius Romam credunt abductum eſſe. Baronius ad annum xcii ſect. i *Ioannes ad Domitianum imperatorem reus impietatis a proconſule Aſiæ Romam vinctus mittitur.* Quo auctore id adfirmet cardinalis, non adiecit: ſilentque hiſtoriæ eccleſiarum. Tertullianus autem de Præſcription. Hæret. cap. xxxvi *Si Italiæ adiaces, habes Romam, vnde nobis quoque auctoritas præſto eſt. Iſta quam felix eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli*

cum ſanguine ſuo profuderunt? vbi Petrus paſſioni Dominicæ adæquatur: vbi Paulus Ioannis exitu coronatur: vbi apoſtolus Ioannes, poſteaquam in oleum igneum demerſus nihil paſſus eſt, in inſulam relegatur. Hæc ſola fides antiquitatis: quam certa, vel ex eo conſtat, quia qui prope ſolus ex ſubſecutis narrauit, Hieronymus, non approbatione ſua, ſed fide eiuſdem Tertulliani lib. I adv. Iouinianum cap. XIV enarrauit. *Refert*, inquit, *Tertullianus, quod Romæ miſſus in feruentis olei dolium, purior & vegetior exiuerit, quam intrauerit.* Illud ROMAE ſubſtitutum ex Tertulliani contextu a Martiano Victorio Reatino, quum antea legeretur, A NERONE. In eccleſiaſticorum ſcriptorum catalogo, vbi vitam Ioannis Hieronymus enarrat, neque de acceſſu eius in Romanam vrbem, neque de olei ſupplicio quidquam commemorauit. Sola ergo Tertulliani fide res illa innititur, quam quod nemo poſteriorum qui eccleſiæ compoſuerunt hiſtoriam, ſecutus eſt, neque ipſe Hieronymus intrepidus, ſed auctore ſuo adlegato, penes quem illa fides eſſet, vtique ſuſpecta hæc Tertulliani narratio videtur. Minor vero auctoritas eſt Prochori, quamquam antiquius præ ſe nomen ferat, de Vita & miraculis S. Ioannis apoſtoli & euangeliſtæ cap. IX ſeqq. dicentis, Ioannem a proconſule Aſiæ accuſatum apud Domitianum, miſſumque Romam comitante cum militibus ipſo proconſule, vbi extra portam Latinam in dolium feruentis olei immiſſus nihil vſtionis ſenſerit. Chriſtianos autem ſtatim in illo loco eccleſiam ſtruxiſſe: Ioannem dimiſſum reuertiſſe Epheſum. Sed quis falſa huius auctoris ὑποβολιμαίου non animaduertit?

Pro-

Digitized by Google

Proconſules ſic Romam potuerunt recurrere, quum ceſſaret proconſulatus quam primum intraſſent vrbem? num etiam Chriſtianis illa tempeſtate in loco publico, vbi liberet, licuit eccleſiam, id eſt ædem ſacram ædificare? ipſe Baronius ad annum Chriſti XCII ſect. I hunc Prochorum *mendaciſſimum auctorem* vocat: vt de eius fide laborare omnino ſit superuacaneum. At deportari Ioannes non potuit, niſi Romæ, & iuſſu imperatoris. Vlpianus Lege II Dig. de pœnis: *Princeps deportatum in inſulam ſtatuit: præſidem deportare non poſſe, nulla dubitatio eſt.* Potuit autem præſes cauſſam principi perſcribere, & ab illo per litteras exſpectare, qua pœna vellet adfici reum, aut in quem locum deportari, vt ipſum Romam abduci non neceſſe eſſet.

XV. Ad *exſilium* ergo Ioannis, quod certius eſt, conuertimur explicandum, in quo primum eſt *tempus* diſcutiendum, quod haud idem eſt omnibus. Sunt enim qui ſub Claudio Cæſare illum pulſum credant, ſed pauci; ex antiquis Epiphanius; recentium, Hugo Grotius. Ille in Hæreſi LI Alogorum (Ἀλόγων) ſectione XXXIII de Ioanne: αὐτῦ προφητεύσαντος ἐν χρόνοις Κλαυδίου καίσαρος ἀνωτάτω, ὅτε εἰς τὴν Πάτμον νῆσον ὑπῆρξεν, *ille vaticinium Claudii Cæſaris temporibus edidit, quum in Patmo inſula verſaretur.* Grotius commentar. in Apocalypſ. I. comma 9: *In Patmo ſcriptam Apocalypſin tradit Dorotheus Tyri epiſcopus: Epheſi ſcriptam Euſebius. Vtrumque verum eſt diſtinctis partibus. Priora in Patmo viſa, poſteriora Epheſi, vt infra dicemus. Fuiſſe autem Ioannem in Patmo Clau-*

dei iuſſu, & ibi viſis illuſtratum tradidit Epiphanius à Alogis, non dubium, quin veteres ſequutus. Et id verum puto. Nam & alii ante exciſa Hieroſolyma ſcribi hunc librum cœpiſſe, argumentis non malis colligunt. Sed quæ diuerſo de ſcriptionis loco confidenter Grotius adfirmat, neſcimus equidem an idoneo probari teſtimonio poſſint. Ad Euſebium prouocat, qui dixerit Epheſi ſcriptam. Locum non deſignat, quo libro & libri capite, ideoque dubium & ſuſpectum habet illum peritiſſimus interpres Calouius. Sed eſto alicubi Euſebium ſcripſiſſe de Epheſo: num vero de *parte* etiam? hoc vero nec ipſe Grotius ait. At quinam illi, qui ante excidium Hieroſolymitanum hunc ſcribi librum cœpiſſe dicunt; & ſi dicant, quibus id argumentis approbant? Velim plenius id Grotius expoſuiſſet, vt cum cura excuti poſſit, & an idoneum ad perſuadendum ſit, iudicari.

XVI. At Epiphanii auctoritate nititur, de quo non dubitat, quin veteres ſecutus ſit. Nominet illos veteres, ſi poteſt. Nos vero vetuſtiores Epiphanio habemus, Irenæum, ipſi proximum Ioanni; & Euſebium, defunctum ante vita, quam Epiphanius inclareſceret: habemus etiam æqualem Epiphanio Hieronymum; qui omnes ſub Domitiano & exſilium Ioannis ponunt & factam myſteriorum viſionem ſiue apocalypſin. Irenæus lib. v cap. xxx, ex veteri translatione: *Si oporteret manifeſte præſenti tempore præconari nomen eius* (Antichriſti) *per ipſum vtique editum fuiſſet, qui & apocalypſin viderat. Neque enim ante multum temporis viſum eſt, ſed pene*

ſub

ſub noſtro ſeculo, ad finem Domitiani imperii. Hæc vetus interpres: quæ cum Græcis, ab Euſebio nominatim ſeruatis Hiſt. eccleſ. lib. III cap. XVIII conueniunt. εἰ δὲ ἔδει ἀναφανδὸν ἐν τῷ νῦν καιρῷ κηρύττεσθαι τοὔνομα αὐτοῦ, δι' ἐκείνου ἂν ἐῤῥέθη τοῦ καὶ τὴν ἀποκάλυψιν ἑωρακότος. οὐδὲ γὰρ πρὸ πολλοῦ χρόνου ἑωράθη, ἀλλὰ σχεδὸν ἐπὶ τῆς ἡμετέρας γενεᾶς πρὸς τῷ τέλει τῆς Δομετιανοῦ ἀρχῆς. Ipſe Euſebius eodem capite a Domitiano, non alio principe, Ioannem Πάτμον οἰκεῖν, *in Patmo exſulare* iuſſum, tradit, & ibidem vidiſſe apocalypſin. *Quarto decimo anno ſecundam poſt Neronem perſecutionem movente Domitiano, in Patmon inſulam relegatus, ſcripſit Apocalypſin.*

XVII. A Claudio ad *Neronem* venimus, cui Syriacæ verſionis inſcriptione tribuitur. Ita enim præſcriptum eſt: *Reuelatio quæ facta eſt Ioanni euangeliſtæ a Deo, in Patamon inſula, in quam eiectus fuerat* מן נארון קיסר *a Nerone Caſare.* Sunt quoque, & in iis laudatus Calouius in Apocalypſ. cap. I. 9, qui Aretham Cæſarienſem adiungant, quaſi is quoque *Neroni* tribuat vt Ioannes in Patmo exſulauerit. At quod quidam reſpondent, Neronem hic ipſum Domitianum eſſe, cui id nominis ob parem crudelitatem impoſitum fuerit. Noti enim ſunt verſiculi Iuuenalis ſatyr. IV. 37, 38.

Quum iam ſemianimum laceraret Flauius orbem
Vltimus, & caluo ſeruiret Roma Neroni.

Et Auſonii in Cæſaribus carmine II

Et Titus imperii felix breuitate: ſecutus
Frater, quem caluum dixit ſua Roma Neronem.

Sed

Sed non ſimpliciter hic *Nero* dictus Domitianus eſt, ſed *caluus Nero* : quo ſatis a Nerone diſcernitur. At magnus Scaliger Animaduerſ. in Euſeb. pag. 204 ex Tertulliani Apologia cap. v it defenſum, Neronis nomen etiam Domitiani fuiſſe. Dixit Tertullianus, vt in editis eſt: *Tentauerat & Domitianus, portio Neronis de crudelitate*, puta, ſæuire in Chriſtianos. At Scaliger adfirmat in vetuſtioribus libris eſſe, *Domitianus prænomine Neronis.* Verum neque ſic eſt comprobatum, Domitianum abſolute Neronem dictum eſſe, ſed cum prænomine, aut, ſi mauis, cognomine, *Nero Domitianus*, ſiue *Domitianus Nero*; quum Nero Claudiorum cognomen ſit, non Flauiorum. Sed fruſtra Scaliger vulgatam lectionem ſollicitauit, quam genuinam eſſe Euſebii verſio lib. III Hiſt. E. cap. xx, nominatim loco hoc Tertulliani producto, tuetur. Quæ enim Scaliger mutata verba vult, ille vertit μέρος ὢν τῆς τοῦ Νέρωνος ὠμότητος, id eſt, *portio Neronis crudelitatis.* Quapropter nihil in hiſce eſt, quod Syrum ab erroris culpa liberare poſſit : quemadmodum nec ſupra erat, quod Epiphanium in nomine Claudii tueretur. Illud tantummodo adnotatum volo, Syriacam Apocalypſeos verſionem haud æqualem ceterorum librorum interpretationi videri, vti nec primi codices in Europam adlati appoſitam habuerunt, quam demum Ludouicus de Dieu ↀIↃ CXXVII in lucem primum produxit. Et ſi omnino antiqua eſſet, non tamen inſcriptio eiuſdem cenſenda foret ætatis, quum ex Græcis etiam Noui Teſtamenti libris obſeruatum ſit, nonnullas ſubſcriptiones, quarum

rum ratio eadem & præſcriptionum eſt, aliud æuum, quam apoſtolicum, non incertis ſignificationibus præ ſe ferre. Vide 1 ad Timoth. & epiſt. ad Titum. De Aretha Cæſarienſi non opus eſt vt reſpondeamus ante, quam verba proferantur, & locus vbi exſtent, ſignificetur: in loco enim & ſede eius capitis non inueniuntur. Quid? quod capite eius commentationum ſecundo, pag. 654 (ed. Pariſ. Oecumenii, cui adiectus eſt Arethas) Euſebii ex Chronico, vt nominatim vocat, de Domitiano refert, *ἐξόριστον αὐτὸν γενέσθαι ἐν Πάτμῳ τῇ νήσῳ ὑπὸ Δομετιανοῦ*, *exſulem ipſum* (Ioannem) *fuiſſe in inſula Patmo ſub Domitiano*; & in iis adquieſcit.

XVIII. Quod ſi ergo nec Claudii temporibus, neque Neronis, tribuendum eſt Ioannis exſilium, in illoque facta apocalypſis; relinquitur, vt in tempora Domitiani incidant. De anno nunc Domitiani imperii vt diſpiciamus, noſtrum eſt. Lapſus in Alexandrino Chronico, ad annum Veſpaſiani primum, vel auctoris eſt, vel deſcribentium, vel, vt mihi videtur probabile, ab interpolatore quodam, Ioannem *ποιῆσαι ἐν τῇ ἐξορίᾳ αὐτοῦ ἐν Πάτμῳ τῇ νήσῳ ἔτη ιέ*, *exegiſſe in exſilio in inſula Patmo annos quindecim*. Error ex eo eſt, quia tot annos Domitianus imperauit, quaſi a principio imperii per omne illius tempus Chriſtianorum adflictio fuerit. Ipſe auctor huius Chronici p. 591 ad Domitiani annum XIII, refert & vexationem illam Chriſtianorum, & ipſum Ioannis exſilium: & ad annum XIII, auctore Brutio quodam, veteri ſcriptore, tradit, illo anno multos Chriſtianos *μεμαρτυρηκέναι*, *marty-*

rio adfectos eſſe. Sed a capite incipiendum. Irenæus, antiquiſſimus auctor & Ioanni propinquus, lib. v cap. xxx de Apocalypſi: *neque ante multum temporis viſum eſt, ſed pæne ſub noſtro ſæculo ad finem Domitiani imperii.* Euſebius Chron. anno Domitiani xiiii: *Secundus poſt Neronem Chriſtianos perſequitur: & ſub eo apoſtolus Ioannes in Patmum relegatus Apocalypſin vidit.* Hieronymus de Scriptor. eccleſ. in IOANNE: *Quarto decimo anno ſecundam poſt Neronem perſecutionem mouente Domitiano, in Patmum inſulam relegatus, ſcripſit Apocalypſin.* Hos duces ſecutus Nicephorus Calliſtus lib. II cap. XLII ait, τετάρτῳ ϗ δεκάτῳ ἔτει, *quarto decimo anno* Domitiani Ioannem in exſilium miſſum, & Chriſtianos adflictos eſſe. Non ergo diuturna hæc vexatio fuit, ſed intra biennium forte finit, ſenatu reſcindente Domitiani poſt mortem acta, & Nerua exſules inſontes reuocante, quod non tantum Euſebius atque Hieronymus teſtantur, verum etiam Dio Caſſius, in Xiphilini excerptis, cuius mox verba producturi ſumus. Hieronymum ex dicto loco audire iuuat: *Interfecto Domitiano, & actis eius ob nimiam crudelitatem a ſenatu reſciſſis, ſub Nerua Principe rediit* (Ioannes) *Epheſum.* Adde Euſebium lib. III Hiſt. eccleſ. cap. xx, & in Chronico ad Neruæ annum. Xiphilinus in Nerua: ὁ Νερύας τούς τε κρινομένους ἐπ' ἀσεβείᾳ ἀφῆκε, ϗ τοὺς φεύγοντας κατήγαγε, *Nerua eos, qui rei facti erant impietatis* (id eſt Chriſtianos, qui deorum cultum negabant) *abſoluit, exſulesque reſtituit.*

XIX. Hæc duratio, quamlibet breuis, a quibusdam

Digitized by Google

dam arctius contrahitur, & ipſa Domitiani perſecutio mitigatur. Tertulliani auctoritate nituntur, qui Apolog. cap. v ſcripſit: *Tentauerat & Domitianus, portio Neronis de crudelitate, ſed quia & homo, facile cœptum repreſſit, reſtitutis etiam quos relegauerat.* Ex quibus vir clariſſimus Henricus Dodwellus Diſſertat. xi Cyprianicæ ſect. xvi probat, *tentaſſe* tantum Domitianum, non item *Cæſariano*, quod fecit Nero, *gladio ferociſſe*, vt ibidem Tertullianus de Nerone loquitur. *Relegaſſe* confeſſos, non *capitali* etiam, ſed nec *membrorum* ſupplicio adfeciſſe. *Repreſſiſſe etiam cœptum, & quos relegauerat, ipſum reſtituiſſe.* Et paullo ante ex Brutio apud Euſebium de conſulatu Flauii Clementis colligit, iis terminis concludi perſecutionem illam, *vt vix annum impleri potuerit.* Quam Neruæ reuocationem exſulum ſupra dicti auctores tribuerunt, Dio ſiue Xiphilinus, Euſebius, atque Hieronymus, quibus & Clemens Alexandrinus oratione de Diuite ſaluando addi poteſt; eos ita Tertulliano conciliare ſtudet, vt Domitianum quidem reuocaſſe dicat Chriſtianos in inſulas deportatos, aut alio in exſilia eiectos, ſed illos indulgentia eius potiri non potuiſſe ante imperium Neruæ, quia ſtatim poſt illam datam ex vita ille ſublatus fuerit. Quam conciliationem etiam vir ſummus Stephanus Baluzius ad Lactantii de Mort. Perſecut. cap. iii, quamuis ipſe antea diſſenſerat, approbauit.

XX. Mitiorem Domitiani, quam Neronis perſecutionem fuiſſe, concedimus facile: an vero ipſe repreſſerit ſuam in Chriſtianos ſæuitiam, neſcio an tam facile ingenio tyranni conciliari poſſit, quam expedi-

te

Digitized by Google

te laudati auctores Dionem ſe aliosque & Tertullianum conciliaſſe exiſtimant. Plinius certe, Suetonius, Dio, Tacitus ita crudelitatem eius deſcripſerunt, vt credi vix poſſit, reſipuiſſe, & Chriſtianos, omnibus inuiſos & exoſos, reuocaſſe ab exſilio. Alios reſtituiſſe, nemo illorum, qui vitam & geſta eius memoriæ prodiderunt, referunt: cur ergo Chriſtianis tam benignum, tam clementem fuiſſe credemus? cur, qui poſt Tertullianum ſcripſerunt Chriſtiani auctores, nihil de hoc fauore in gentem ſuam repetierunt, qui tamen, ſi quod commodum Chriſtianis a gentilibus acceſſit, magnopere prædicarunt? cur tandem apologetici ſcriptores non inde argumentum innocentiæ ſumpſerunt? Hæc & alia ſuſpectum reddunt Tertulliani locum. Nec vero neſcimus ex quo fonte ille hauſerit, quam reſpuunt ceteri lutulentam opinionem. Hegeſippus illum præiuit, cuius de hoc argumento verba Euſebius lib. III Hiſt. eccleſ. cap. XX ſeruauit, & Zonaras atque Nicephorus repetierunt, *Domitianum* καταπαῦσαι διὰ προστάγματος τὸν κατὰ τῆς ἐκκλησίας διωγμόν, *edicto edito eccleſiæ perſecutionem repreſſiſſe.*

XXI. Quamquam autem hic verus Hegeſippus fuit, cuius fragmenta Euſebius ſeruauit, multum præferendus Latino alteri, qui ſub eodem nomine circumfertur; tamen & Græcus ille in multis locis ſuſpectus eſt, in hoc præſertim, quod manifeſto elucet, ſi cauſſam mutatæ voluntatis cohibitæque ſæuitiæ tyranni excutiamus. Hanc vero Hegeſippus profert, fabulæ quam rei geſtæ ſimiliorem: duos nepotes Iudæ cuiusdam, quem fratrem Domini dixit, fuiſſe ad Domitia-

tianum delatos tamquam Dauidis regis poſteros, a quibus perinde imperator, ac Herodes, ſibi metuerit. Hos quum examinauiſſet, ſpreta vilitate illorum, non ſolum dimiſiſſe eos, verum etiam edicto reuocaſſe Chriſtianorum, quam imperauerat, vexationem. Quis non intelligit nugari Hegeſippum, dum tam inepta & male cohærentia narrauit? nihilominus, quæ inde manabat, adflictionis relaxationem Tertullianus adſumpſit, nequaquam vero poſteriores, vt infra pluribus dicemus. Addit Dodwellus dicto loco cauſſam aliam, miraculum, quo ſaluus Ioannes ex oleo igneo, in quod coniectus fuerat, euaſiſſe feratur, *quo ita deterritus fortaſſe tyrannus fuerit, vt ne auderet quidem deinde in innocentes pro ingenio ſuo ſæuire.* Verum non minus incertum illud de oleo eſt, quam Iudæ, neſcio cuius, nepotum cum Domitiano confabulatio: de qua Scaliger in Euſebium ad num. MMCXII conſulatur. Id quoque Dodwelli opinioni repugnat; Si deterritus fuit miraculo tyrannus, & innocentiam agnouit, cur poſtea in inſulam Ioannem deportari iuſſit? quæ ſane in pœnis atrocioribus fuit habita.

XXII. Sed in vniuerſum Dodwellus negauit Domitianum gladio in Chriſtianos ſæuiſſe, aut capitali vel membrorum adfeciſſe ſupplicio. Nos vero non dixerimus facile, ſine ſanguine adflictionem illam, vt Dodwellus ſentit, exſtitiſſe. Quod enim Dio Caſſius adnotauit, Flauium (ſic enim legendum, non *Fabium*) Flauium, inquam, Clementem conſulem eodem anno κατέσφαξεν, *capitali ſupplicio adfecit*, & quidem propter ἔγκλημα ἀθεότητος, *crimen contemptionis deorum*, quæ chriſtianæ pietatis, in vno

& vero Deo conſiſæ, non *atheiſmi*, vt vertit Dodwellus; deſcriptio eſt. De hoc Clemente Suetonius Domit. cap. xv *Flauium Clementem patruelem ſuum contemptiſſimæ inertiæ - - - repente ex tenuiſſima ſuſpicione tantum non ipſo eius conſulatu interemit.* Ad quem locum Læuinus Torrentius: *Quum huic Flauium Clementem* CONTEMPTISSIMAE INERTIAE *hominem vocat Suetonius, eo ipſo Chriſtianum fuiſſe demonſtrat. De quo iniuria in Chriſtianos titulo, quod inertes & inutiles & infructuoſi dicerentur, Tertullianus cap. XLII. Alio quoque, inquit, iniuriarum titulo poſtulamur, & infructuoſi in negotiis dicimur.* Nec pœnitendum illud teſtimonium, quod Euſebius in Chronico a Brutio, veteri auctore habet, *plurimos Chriſtianorum ſub Domitiano feciſſe martyrium.* Quid? quod ipſe Dodwellus miraculum, quod iam diximus, de oleo feruente, in quod Ioannes coniectus fuerit, non improbat, ſed vt probabile admittit. *Scio equidem,* inquit, *eodem auctore Tertulliano, Ioannem apoſtolum a Domitiano in oleum igneum eſſe coniectum. Tum ſtupendo miraculo ita deterritus eſt fortaſſe tyrannus, vt ne auderet quidem deinde in innocentes pro ingenio ſuo ſæuire.* Quod ſi eſt, nihil ille Neroni conceſſit quia olei eiusmodi ſupplicium maxime capitale eſt, ſimillimumque Neronianis.

XXIII. De *cauſis* nunc exſilii & *merito* diſquirendum eſt. Prompte quidem inueniebatur in Chriſtianis, quia deorum cultum aſpernabantur, quod dignum omni ſupplicio pagani homines exiſtimabant. Vnde calumniæ, delationes & accuſationes in illos

conge-

Digitized by Google

congerebantur. Sed hæc communia cunctis erant, qui Chriſtum confiterentur; ducibus eorum & publicis doctoribus ſeditionis concitatæ crimen intentabatur. Mutatio enim religionis in hiſce erat, quæ ſeditionem mouere viderentur, & punirentur deportatione. Lege xxx digeſt. de Pœnis Modeſtinus iuriſconſultus: *Si quis aliquid fecerit, quo leues hominum animi ſuperſtitione numinis terrerentur; diuus Marcus huiuſmodi homines in inſulam relegari reſcripſit.* Hæc enim ſeditioſorum pœna ordinaria. Iulius Paullus Recept. ſent. lib. v. tit. xxII *Auctores ſeditionis & tumultus, concitato populo, pro qualitate dignitatis aut in crucem tolluntur, aut beſtiis obiiciuntur, aut in inſulam deportantur.* Sic qui Chriſtum Theſſalonicæ prædicabant Act. xvII. 6 dicuntur *οἱ τὴν οἰκουμένην ἀναςατώσαντες, orbem terræ conturbantes,* ſeu concitantes ad tumultum. Ea de cauſſa deportatus Ioannes eſt in inſulam, quod vtique grauioribus in pœnis fuit numeratum. Lege II Digeſt. de Pœnis: *deportatio in locum aquæ & ignis interdictionis ſucceſſit.* At igni & aqua interdicere facile ſuppliciorum erat vltimum grauiſſimumque, quo illi adficiebantur, qui nulla humanitate neque naturæ munere, quæ communia ſunt aliis, digni cenſerentur, ſed ad quorum perditionem omnes, quocumque irent, contribuerent. Sed quum in deſertis inſulis incommoda paria eſſent, poſtea factum eſt, vt deportatio in locum interdictionis aquæ & ignis ſuccederet. Sic & aliis legibus vt pares pœnæ deportatio & interdictio hæc coniunguntur. Lege I Cod. de Repudiis: *Matrimonium quidem deportatione, vel aquæ & ignis in-*

Digitized by Google

terdictione non ſoluitur. Adde legem XXIIII Cod. de Donat. inter vir. & vxorem. Quo & illud Taciti pertinet annali IV cap. XXI de Caſſio Seuero: *bonis exutus, interdicto igni atque aqua, ſaxo Seriphio conſenuit.* Seriphus autem inſula Aegæi, damnatis deſtinata. Vide & annal. II cap. LXXXII. Sic innocentiſſimi Chriſtiani ſeditionis rei acti ſunt, a qua longe omnes alieni erant. Nec vero id mirandum eſt, quia & ſanctiſſimo tranquilliſſimoque SERVATORI CHRISTO idem crimen fuit impactum, quod ex euangeliorum notum eſt hiſtoria.

XXIV. Quod ad locum exſilii attinet, omnes conſentiunt, *Patmum* inſulam eſſe, haud dubie illo tempore deſertam aut male habitatam, vt, negatis vitæ commodis, pœnæ eſſet in eam relegatis. Solus videtur Chryſoſtomus diſſentire, quod mireris, quia ipſa diuina Apocalypſis, quod de Patmo, exſilii loco, iam diximus, clariſſimis verbis confirmat. Ita autem ſanctus pater commentario in epiſtolam ad Epheſios ineunte, de vrbe Epheſo: *ὁ μακάριος Ἰωάννης ὁ εὐαγγελιστὴς τὰ πολλὰ ἐνδιέτριψεν ἐκεῖ, καὶ γὰρ ἐξωρίσθη ἐκεῖ, καὶ ἐτελεύτησεν.* Quæ Latinus interpres Gentianus Heruetus Aurelius ita conuertit: *Beatus quoque Ioannes euangeliſta plurimum illic* (Epheſi) *eſt verſatus. nam & illic fuit relegatus & deceſſit.* Ambiguus ſenſus: aut illic fuit quum relegatus eſſet; aut, illic erat quum relegaretur. Non crediderim priorem interpretationem in animum Chryſoſtomo veniſſe, vt ſentiret, Epheſi exſulaſſe Ioannem, quod ſententiæ de Patmo, diuinitus confirmatæ, repugnat. Niſi ergo aliquid excidit ex contextu, *in Patmum* aut ſimile

Digitized by Google

ſimile, ſaltem θεν, loci vocula, vt *ἐκεῖθεν*, *ex illinc*, *exinde* legatur; alter ſenſus haud dubie auctoris fuit, illic fuiſſe, quum in exſilium eiiceretur. ἐξορίζειν enim eſt exterminare, eiicere extra fines: & ἐξωρίσθη, *exterminatus* inde *eſt*, non, ibidem exſulauit; vt nequaquam *Epheſus* exſilii locus fuerit (neque enim pœna fuiſſet in opulentiſſimam amœniſſimamque vrbem deportare) ſed *Patmos*, ſterilis inſula, vt omnes qui de hoc exſilio tradiderunt, conſentiunt.

XXV. *Patmos* vero, ſiue *Pathmos* inſula, olim obſcura fuit & ignobilis, Ioannis demum exſilio & diuinis viſionibus nobilitata. Vix enim duo ex profanis ſcriptoribus memorarunt, Strabo atque Plinius; & ille quidem tamquam in tranſitu, ſub finem lib. x de Icario mari: ἐν ᾧ καὶ αὐτὴ, καὶ ἡ Σάμος, καὶ Κῶς ἐστὶ, καὶ αἱ ἄρτι λεχθεῖσαι Κορασσίαι, καὶ Πάτμος, καὶ Λέρος, *in quo & ipſa* (Icaria) *ſita eſt, & Samos, & Cos, ac modo dictæ Coraſſiæ, & Patmos, & Leros:* hic lib. IV Hiſtoriæ Naturalis cap. XII de inſulis Sporadibus: *Pathmos, circuitu triginta millia paſſuum.* Plura de illa non habet: cui quidquid famæ ac dignitatis acceſſit, ab Ioanne euangeliſta habet, ibi exſulante, & per eccleſiaſticos ſcriptores habet, qui de illius tradiderunt exſilio. Raritas mentionis, argumentum eſt obſcuritatis: deportatio & exſilium, ſterilitatis & malæ habitationis. Vocabulum a Græcis, quantum conſtat, omnibus, Strabone, Euſebio, Epiphanio, Zonara, Cedreno, Aretha, Nicephoro, Euſtathio (ad Dionyſii perieg. v. 530) & in omnibus Noui Teſtamenti codicibus per τ ſcribitur, Πάτμος, a Latinis indifferenter *Pathmus* & *Patmus*. Clariſſi-

mi viri, qui ex nummis orthographiam emendant, *Pathmos* potius, quam *Patmos* ſcribendum cenſent, freti vno Seueri nummo, quem Carolus Patinus in nummis Cæſarum p. 285 exhibet, inſcriptum ΕΝ-ΠΑΘΜΩΔΑ, quod legunt ἐν Παθμῳ, reciſis extremis litteris, tanquam aliud ſignificantibus. Sed valde dubium eſt, an is nummus inſulæ nomen referat; & ſi refert, an conſenſioni omnium Græcorum opponi poſſit. Nec conſuetudo fert, vt ἐν præpoſitio apponatur, ſi nummus a populo aut loco eſt conſignandus, quemadmodum in hoc, ſi vera hæc interpretatio eſt, oportet factum eſſe, vt Παθμιοι, *Pathmii*, ἐν Πάθμῳ, *in Pathmo* dicerentur: Vt vero in hanc fuerit deportatus, non in aliam exſiliis Romanorum in hoc mari deſtinatam, Gyarum forſan, aut Seriphon, vel ſimilem; id diuina factum prouidentia eſt, quo propior Aſiaticis eſſet eccleſiis, quas vel voce adhuc nutriuerat, vel rexerat cura atque conſiliis.

XXVI. Sed ſatis de Patmo inſula & Ioannis in ea exſilio. Ad vrbes explicandas, & quæ in iis erant, eccleſias properamus, ad quas diuinus vir ab exſilio cæleſti iuſſione litteras dedit. De numero earum ſeptenario ſupra ſect. x dictum eſt. *Angeli* vocantur quibus mitti epiſtolæ iubentur, id eſt epiſcopi, ſeu præfecti eccleſiis, vt illis cura & voce conſulant. Non infreta ſcripturæ ſacræ hæc notio, vt vel ex ſolo Malach. II 7 loco manifeſtum eſt: cui Iudæi etiam Iudicum II comma 1 adiungunt, Aben Melech in eum locum refert maiores ſuos dixiſſe המלאך הוא פנחס *hunc angelum Pinehaſum eſſe:* qui in Targum Ionathanis eſt נביא *propheta.* Ita vero epiſcopis ſcribitur, vt

eccle-

Digitized by Google

eccleſiæ quas curabant, illorum nomine vna ſignificentur, quia in epiſtolis ſunt quæ eccleſiæ aptius quam ſanctis epiſcopis imputentur: præſertim ſi verum eſt, quod multi tradiderunt, Epheſinæ tum Timotheum, Pauli diſcipulum; Smyrnenſi Polyearpum præfuiſſe. Vide & Apocal. I. comm. II. Arethas Cappadox ad Apocalypſ. II comma I. ἄγγελον τῆς Ἐφέσε τ[illegible] ἐν αὐτῇ ἐκκλησίαν λέγει, *Angelum Epheſi eccleſiam in ea vrbe dicit.* Tropus ergo eiuſmodi eſt, quo duci tribuitur, quod ſimul eſt exercitus: & magiſtratui, quod etiam eſt populi.

XXVIII. Prima illarum eccleſiarum eſt EPHESINA, quæ primo loco ponitur; quia quum Romani Aſiam tenerent, Epheſus vrbs primaria fuit prouinciæ. Lydis atque Perſis Sardes caput illius Aſiæ; Attalis Pergamum fuerat: Romani hanc dignitatem detulerunt *Epheſo*, quia prima erat Roma aduenientibus, & ea claritate, vt mereretur præferri omnibus. Vnde factum eſt poſtea, vt etiam in hierarchia eccleſiæ primum hæc locum teneret inter Aſiæ prouinciæ eccleſias, id eſt metropolis fieret, quia Chriſtiani plerumque in eccleſiarum ordine ciuilem dignitatem, quam ciuitates ſub Romanis habebant, ſecuti ſunt, quod ex Notitiis eccleſiæ & epiſcopatuum apparet, quemadmodum in Hieroclis Notitia in Aſia proconſulari inter XLIII vrbes, epiſcopales pleraſque, Epheſus primo loco eſt poſita.

XXIX. EPHESUS, vt Stephanus dicit Byzantius, πόλις Ἰωνίας ἐπιφανεςάτη, *Ionia vrbs illuſtriſſima.* Lydiæ tribuit Herodotus lib. I cap. CXLII αὗται δὲ ἐν τῇ Λυδίῃ, Ἔφεσ@-, Κολοφὼν, Λέβεδ@-, *hæ vero* (vrbes)

Digitized by Google

bes) *in Lydia ſunt, Epheſus, Colophon, Lebedus, cete-ræ:* at huic Lydia non regio hoc nomine ſignata, ſed Lydorum eſt imperium, quod extra Lydiam ad mare vsque per Ioniam extendebatur, ſicut altero latere per Phrygiam ad flumen Halyn, Romani quidquid eius tractus eſt, *Aſiam* poſtea & propriam quidem dixerunt, cuius Epheſus vrbs prima & præcipua fuit. Plinius lib. v cap. xxix *lumen Aſiæ* dixit, *opus Amazonum.* Splendorem addidit Dianæ templum in mirandis terræ orbis olim numeratum. Idem Plinius lib. xxxvi cap. xiv *Magnificentiæ vera admiratio exſtat templum Epheſiæ Dianæ, ducentis viginti annis factum a tota Aſia.* Extra vrbem ad portum fuit. Strabo lib. xiv pag. 440 εἶτα λιμὴν Πάνορμος καλούμενος, ἔχων ἱερὸν τῆς Ἐφεσίας Ἀρτέμιδος· εἶθ' ἡ πόλις, *deinde portus eſt qui Panormus vocatur, cum Epheſiæ Dianæ templo: deinde vrbs ipſa* Epheſus. Lis de origine templi. Pomponius Mela lib. i cap. xvii ad Amazones refert, vt taceam de Callimacho & Dionyſio poetis: ſed hoc in fabulis relinquemus. Strabo iam dicto loco nulla Amazonum mentione facta; Archiphron vel Cherſiphron (nam variant libri) πρῶτος ἠρχιτεκτόνησε, *primus exſtruxit,* vt auctor, an tantum vt architectus, non exprimitur. Plinius Aſiæ ciuitatibus tribuit, quod etiam Liuius lib. i cap. xlv confirmauit: *Iam tum* (ſub Seruio rege) *inclutum Dianæ Epheſiæ fanum: id communiter a ciuitatibus Aſiæ factum fama ferebat.* Cultus Dianæ quam ſuperſtitioſus ibi fuerit, ex Apoſtolorum hiſtoria cap. xix manifeſtatur. Etſi enim Heroſtratus combuſſerat templum, ἄλλον ἀμείνω (νεὼν) κατεσκεύασαν *aliud ta-*

Digitized by Google

tamen præſtantius ædificauerunt, quod itidem Strabo adnotauit: qui etiam de aſyli iure, per ſpatium inde porrecto, adiecit.

XXX. Idem etiam ſuo æuo, hoc eſt ſub Auguſto & Tiberio, creuiſſe vrbem obſeruauit, eſſeque *ἐμπόριον μέγιςον τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν τὴν ἐντὸς τοῦ Ταύρου, emporium Aſiæ earum, quæ ſunt intra Taurum, maximum.* Nec caruit litterarum ſtudiis, indeque prodierunt, philoſophi & oratores, quos Strabo nominat, & poeta Ἱππῶναξ, *Hipponax*: item Apelles & Parrhaſius pictores, arte ingenii non minus, quam poetæ, nobiles. Vt fit autem in rerum adfluentia, & vt in Europa Græci philoſophiam in ſophiſticam peruerterunt, ita Epheſii etiam multa tractauerunt *περίεργα*, vt diuinus hiſtoricus vocat Act. XIX. 19, hoc eſt *nimium curioſa*, quæ ſub naturalium ſcientiarum ſpecie incantationes & artes magicas fouebant. Heſychius: *περίεργον, περιττὸν ἢ ςρεβλὸν, periergon eſt ſuperuacuum aut prauum.* Sed propius ad vim vocis explicandam acceſſit Irenæus lib. I. cap. XX. *Exorciſmis*, inquit, *& incantationibus* (Simoniani) *vtuntur. Amatoria quoque & agogima, & qui dicuntur paredri & oniropompi, & quæcunque ſunt alia perierga, apud eos ſtudioſe exercentur.* Sic cum Grotio legimus, vbi editum inconuenienter erat *parerga.* Ad magiam & incantationes ſpectaſſe, etiam Syrus interpres, at quam antiquus? ſuo ſuffragio approbanit, חרשא vertens, id eſt *magi venefici*, qui ſunt Græce *περίεργα πράξαντες*: quemadmodum idem Galat. V. 20. *Φαρμακείαν veneficium*, חרשותא cognata voce tranſtulit. Hi vero Pauli doctrina eo vsque

Digitized by Google

ſunt perducti, vt libros etiam, qui magno pretio conſtiterant, quibus hæ malæ artes docebantur, publice concremarent. Hæc erant illa Ἐφέσια γράμματα, *Litteræ Epheſiæ*, quæ in prouerbium abierunt, de quibus Suidas, Heſychius, & Clemens Alexandr. lib. v Strom. pag. 568 conſuluntur.

XXXI. Vt vero ſanctiſſimus auctor & inſpirator Apocalypſeos, qui ipſe SERVATOR eſt omnium; ab Epheſo, primaria Aſiæ illius vrbe initium hortandi caſtigandique fecit: ita non ſecundum ciuitatum dignitatem progreſſum facit: ſic enim proximæ Sardes & Pergamum fuiſſent, regum quondam domicilia; ſed ſecundum ſitum & poſitionem locorum. Epheſum ergo SMYRNA excipit, tamquam ſitu proxima. Plinius lib. v cap. XXIX *Ab Amazone condita, reſtituta ab Alexandro in ora Smyrne, amne Melete gaudens, non procul orto.* Stephanus aliter; a Tantalo conditam, Naulochi nomine: alterum nomen accepiſſe ab Amazone Smyrna, Epheſum tenente. *Gaudere amne* ſuo, iam dixit Plinius, etiam ob fabulam puta, quia Homerus ibi ſua carmina compoſuiſſe ferebatur. Pauſanias Achaic. cap. v extremo: Σμυρναίοις ποταμὸς Μέλης ὕδωρ ἐςὶ κάλλιςον, καὶ σπήλαιον ἐπὶ ταῖς πηγαῖς. ἔνθα Ὅμηρον ποιῆσαι τὰ ἔπη λέγουσι. *Apud Smyrnæos longe pulcherrimus eſt amnis Meles: ad eius caput antrum, in quo Homerum tradunt carmina ſua ſcripſiſſe.* Et Papinius Statius ad illum adluſit. Lib. II Silv. carm. VII verſ. 34 de Lucani poetæ Hiſpania Bætica oriundi, laudibus:

Graio nobilior Melete Bætis.

Et Siluarum lib. III carm. III verſ. 60 de ſeruo quodam:

Smyr-

Smyrna tibi gentile ſolum, potusq; verendo
Fonte Meles:

Smyrna etiam in iis eſt vrbibus, quæ de Homeri patria diſceptarunt, & ceteris fere prælata in illo certamine fuit. Eximia laus, niſi quod illa maior eſt, cæleſtiorem poſtmodum vatem, Ioannem apoſtolum, habuiſſe, eiusque diuina voce atque literis ex tenebris in lucem ſplendidiſſimam perductam eſſe. Cetera tum nobilem ciuitatem hanc fuiſſe, Ciceronis etiam teſtimonio conſtat Agrar. II cap. XV in nobiliſſimis & eam referentis. *Commodum erit*, inquit, *Pergamum, Smyrnam, Tralles, Epheſum, Miletum, Cyzicum, totam denique Aſiam populi Romani factam eſſe dicere.* Idcirco etiam Romanis temporibus conuentum habuit iuridicum, quem magna pars Aeoliæ frequentauit: quod Plinius dicto loco adiecit. Ipſa vrbs Aeolica erat, vt Paterculus lib. I cap. IV tradit: quamquam poſtea Ioniæ a Stephano adnumerata, quia in confinio vtriusque gentis fuit poſita. Strabo lib. XIV ſub initium, *προσελήφθη ὕστερον καὶ ἡ Σμύρνα εἰς τὸ Ἰωνικόν.* Vnde etiam Aeolum conuentus in ea erat, ſicut Epheſi Ionum. Incolæ *Σμυρναῖοι* dicti, vt in nummis eſt & ipſa Apocalypſi: etiam Latine Tacitus annali IV cap. LV *Ita Sardianos inter, Smyrnaeosque deliberatum.* Illorum tum epiſcopus fertur S. Polycarpus fuiſſe, apoſtolorum diſcipulus. Irenæus lib. III. cap. III *Polycarpus non ſolum ab apoſtolis edoctus & conuerſatus cum multis ex iis, qui Dominum noſtrum viderunt; ſed etiam ab apoſtolis in Aſia, in ea quæ eſt Smyrnis eccleſia, conſtitutus epiſcopus, quem & nos vidimus in prima noſtra ætate. Multum enim per-*

perſeuerauerat, & valde ſenex glorioſiſſime & nobiliſſime martyrium faciens exiuit de hac vita. Subiit glorioſam confeſſionis mortem, vt Euſebius Hiſt. eccleſ. lib. IV. cap. XV notauit, ſub Marco Antonino & Lucio Vero auguſtis.

XXXII. PERGAMVM ſequitur, Attalorum regum ſedes quondam nobilis. Plinius lib. V. cap. XXX *Longe clariſſimum Aſiæ Pergamum, quod intermeat Selinus, præfluit Cetius profuſus Pindaſo monte.* Nec procul ab vrbe Caicus fluit. Strabo lib. XIII pag. 429 παραῤῥεῖ ὁ Κάϊκος καὶ τὸ Πέργαμον, *& Pergamum Caicus præterfluit,* qui nobilior eſt fluminibus Plinianis. Rex Eumenes cum alia ornamenta, tum βιβλιοθήκας, *bibliothecas* addidit. Laudat illas & Plinius lib. XIII cap. XI, adiiciens, eius rei cauſſa membranas in chartarum vſum Pergami eſſe inuentas, quæ inde *pergamenæ* dicantur. Plutarchus in Antonio p. 943 dicit, χαρίσασθαι, *donaſſe* illum Cleopatræ τὰς ἐκ Περγάμου βιβλιοθήκας, *Pergamenas bibliothecas,* in quibus ducenta millia librorum ἁπλῶν, *ſingularium* eſſent. Si facta translatio, (de qua nihil Strabo memorauit) in locum ſucceſſit malus ornamentum, cæleſtis doctrina, & diuinæ litteræ, quæ in vera Pergameos ſapientia inſtituerunt.

XXXIII. Quod vero inter hos etiam fuerunt *Nicolaitarum* doctrinam tenentes, de hoc nomine aliquid adiicere non erit alienum. De his antiquiſſimus auctor Irenæus lib. I. cap. XXVII *Nicolaitæ magiſtrum quidem habent Nicolaum vnum ex* VII, *qui primi ad diaconium ab apoſtolis ordinati ſunt, qui indiſcrete viuunt. Pleniſſime autem per Ioannis Apocalypſin manife-*

Digitized by Google

niſeſtantur qui ſint; nullam differentiam eſſe docentes in moechando & idolothyton edere. Et poſteriores plerique ad diaconum illum, S. Stephani collegam, originem ſectæ referunt, Irenæum, puto, imitati, qui vtrum ex certa traditione, an coniectura id habuerit, neſcitur. Epiphanius Hæreſi xxv pag. 76. fœda & pudenda de Nicolao prodidit, quæ improbabilia ſunt, quia credi non poteſt, apoſtolos in diaconis legendis tam longe a vero iudicio aberraſſe. Ipſe Irenæus inter Nicolai mores & Nicolaitarum videtur diſtinxiſſe, quod clarius exponunt Clemens Alexandrinus lib: III Strom. p. 436, Euſebius H.E. lib. III. cap. XXIX, & Nicephorus lib. III. cap. XV, qui Nicolaum omnes excuſant, ſectatores demum bene eius dicta & facta ad obſcenitatem detorſiſſe aiunt. Quod ſi eſt, Nicolao videtur contigiſſe, quod Zadoco & Epicuro, illi Sadducæorum, huic Epicureorum auctori. De illo enim referunt Iudæi eius præclarum dictum, *non eſſe mercedis cauſſa pie viuendum*, ita diſcipulos eiusdem peruertiſſe, vt animam poſt mortem ſupereſſe & in corpus redire negarent. De Epicuri temperantia ac frugalitate Seneca epiſtolis II & XVIII & XXI ac alibi, & Diogenes Laertius in Vita teſtes ſunt: quosdam vero de ſchola eius, abuſos auctoritate magiſtri, voluptatibus ſe dediſſe, & præceptoris quoque nomen pæne infame reddidiſſe, in vulgus eſt notiſſimum. Sed hæc ex hypotheſi de diacono Nicolao: quæ vero argumentis certis non poteſt approbari. Vnde etiam clariſſimi viri de tota re dubitant, aliud quidpiam myſterii illius vocabulo ſignificari exiſtimantes. Vide doctiſſimi interpretis Io. Coccei in Apocalypſin commen-

Digitized by Google

mentaria. Nobis ſatis eſt hiſtoriam, quæ ab antiquis eſt tradita, ad examen vocaſſe, eiusque incertam oſtendiſſe rationem.

XXXIV. THYATIRA quarta vrbs, cui Ioannes in viſione illa e Patmo, vbi erat, iubetur ſcribere. Plinius lib. V cap. XXIX *Intus & Thyatira adluitur Lyco, Pelopia aliquando & Euhippa cognominata.* Aut alius hic Lycus fluuius ab illo eſt, qui Laodiceam adluit, & Mæandro circa Coloſſas adfunditur; aut magnopere Plinius a vero ſitu aberrauit. Ptolemæus enim lib. V cap. II vrbem Θυάτειρα longe citeriorem ponit, inter Caicum & Hermum fluuios. Strabo lib. XIII pag. 430 conſentit, conſtituens in via, quæ Pergamo Sardes ferebat. Et hic quoque Θυάτειρα ſcripſit pluratiuo numero, vt multa vrbium nomina Græci efferunt, quæ Latinis ſunt ſingularia. Non ergo eſt quod mireris, in Apocalypſi cap I commate II dici εἰς Θυάτειρα, & cap. II comm. 18 ἐν Θυατείροις, quum Plinius ſingulariter, *Thyatira adluitur.* Innumera exempla huius inter Græcos Latinosque differentiæ in nominibus vrbium ſunt, v. gr. Ἱεροσόλυμα in Nouo Teſtamento plurali dicuntur: at Cicero pro Flacco cap. XXVIII *quum aurum Iudæorum nomine ex Italia & omnibus prouinciis Hieroſolymam exportari ſoleret*: quamquam & Græcorum more Tacitus Hiſt. II cap. X *præter Hieroſolyma*: & mox *ante mœnia Hieroſolymorum.* Ptolemæus, qui in Lydia cum Stephano poſuit, Thyatira μητρόπολιν, *metropolim* vocat. Liuius lib. XXXVII cap. XLIV ſingulari numero, *ab Thyatira*: at eodem libro cap. VIII plur. *circa Thyatira*: & cap. XXI *per Thyatira.* Et Polybius in ex-

Digitized by Google

excerptis Valeſianis ex lib. XVI pag. 69 ἐπὶ Θυατείρων ὥρμησε *Thyatira verſus profectus eſt*. Alogi hæretici apud Epiphanium Hæreſ. LI ſect. XXXIII in argumentis, quibus Apocalypſin reiicere tentabant, & hoc ponunt, nominari eccleſiam Thyatirorum, quæ nusquam fuerit. At quamuis poſteriori tempore ab hæreticis, puta Alogis & Cataphrygibus, occupata omnis fuerit, non tamen inde ſequitur, neque prius, & apoſtolico æuo nullam ibidem eccleſiam exſtitiſſe. Per orbem terrarum fuit primo tempore euangelium prædicatum, & vbique fundatæ eccleſiæ, quarum vero plures ad gentilitatem relapſæ ſunt, vt denuo conuerti ad Chriſtum opus fuerit. Sic Germania noſtra ab Irenæo lib. I cap. III dicitur *fundatas eccleſias* habuiſſe, quas ne de Cisrhenana Romanorum in ſolo Gallico interpreteris, occurrit, qui proximus eſt, Tertullianus adv. Iudæos cap. VII, Germanos illos, Chriſtum confeſſos, cum *Dacis, Scythis*, & *Sarmatis* connumerans, qui *limites ſuos transgredi non ſinerentur* ab Romanis, quæ ſane Germaniæ barbaræ, non Romanæ, eſt deſcriptio: nihilominus poſteriori ſæculo vel nulla vel pauca veſtigia eccleſiarum in illa vaſta regione ſuperfuerunt, quæ ſero ad Chriſtum deinde reducta fuit.

XXXV. Ad SARDES nos ordo ducit, caput quondam Lydiæ ac ſedes regni Lydorum. Plinius lib. V cap. XXIX *Lydia celebratur maxime Sardibus in latere Tmoli montis*. Strabo lib. XIII pag. 430 αἱ Σάρδεις πόλις ἐστὶ μεγάλη, - - - βασίλειον δ' ὑπῆρξε τῶν Λυδῶν, *Sardis vrbs eſt magna, - - - regia autem Lydorum fuit*. Plurali & ſingulari numero vocabulum

Digitized by Google

lum effertur. Pluralem iam Plinius approbauit & Strabo. Et Polybius lib. v. c. LXXVI εἰς Σάρδεις, *in Sardes*, perinde ac Apocal. I comm. II. Addo Ouidium Metamorph. lib. XI verſ. 137 de Mæandro:

Vade, ait, ad magnis vicinum Sardibus amnem,

Contra Ptolemæo Σάρδις eſt ſingulariter: & Horatius lib. I epiſt. XI ineunte:

Quid concinna Samos? quid Crœſi regia Sardes?

Damnum, quod Sardes cum aliis Aſiæ ciuitatibus terræ motu ſunt paſſæ, & Tiberii reſtituentis munificentiam Tacitus narrat lib. II annal. cap. XLVII. *Eodem*, inquit, *anno* (Chriſtianorum circiter XVII) *duodecim celebres Aſiæ vrbes conlapſæ nocturno motu terræ. Aſperrima in Sardianos lues plurimum in eosdem miſericordiæ traxit. Nam centies ſeſtertium pollicitus Cæſar, & quantum ærario aut fiſco pendebant, in quinquennium remiſit.* Poſtea ex ſtatu miſeriore non a Tiberio, ſed per eum, qui ſub Tiberio in crucem actus fuerat, orbis reſtitutorem, liberati ſunt, nec vero ita, vt decebat, beneficium æſtimantes, in caſtigationem diuini Spiritus, epiſtola ad Sardianos notatam, incucurrerunt.

XXXVI. PHILADELPHIA Sardibus propinqua erat, itidem ad Tmoli radicem ſita. Plinius lib. v cap. XXIX de Sardiana iurisdictione: *Conueniunt in eam extra prædictos, Philadelpheni, & ipſi in radice Tmoli, Cogamo flumini appoſiti.* Sita apud (πρὸς Strab. XII p. 398) Lydiæ partem κατακεκαυμένην dictam, id eſt *combuſtam*: vnde crebri motus terræ, & muri vrbis ſæpe hiantes, quod Strabo obſeruauit lib. XII prope extremo. Tacitus dicto loco *Philadelphenos*

nos quoque in quaſſatis, quorum damno Tiberius, leuatis in tempus tributis, ſubuenerit, memorauit. Ab Attalo Philadelpho conditore, Eumenis regis fratre, nomen habet. Byzantiorum chorographus: *Φιλαδέλφεια πόλις Λυδίας, Ἀττάλου κτίσμα τοῦ Φιλαδέλφου, Philadelphia vrbs Lydiæ, condita ab Attalo Philadelpho.* Et Epiphanius Hæreſ. LXXIII p. 874 *ἐπίσκοπος Φιλαδελφίας τῆς Λυδίας.* Qui myſticam ſignificationem in ciuitatum harum vocabulis quærunt, in nulla Chriſtianæ profeſſioni magis idoneam inueniunt, quam in nomine *Philadelphiæ*, digna vtique, quod omnis eccleſia ſibi vindicet, ac reipſa & communi caritate ſecundum illud ſibi nomen gerat, atque fiat maneatque φιλάδελφος.

XXXVII. LAODICEA ſeptima ciuitas eſt, cuius eccleſiæ in Apocalypſi eſt mentio a diuino Spiritu facta. Sita vrbs in finibus Aſiæ minoris eorum verſus, ad Phrygiæ limitem. Strabo ſub finem libri XII ἡ πρὸς τῷ Λύκῳ Λαοδίκεια. *Laodicea ad flumen Lycum ſita*, vt diſtinguatur a Syriæ Laodicea itidem percelebri, vt de minoribus taceamus. Plinio lib. V cap. XXIX principio, eſt *vrbs celeberrima*. Cicero ſæpe memorat in epiſtolis, lib. I epi. XVII & lib. III epiſt. V, IV quoque loco deſcribit, tanquam inſignem vrbem & emporium, vbi pecuniæ permutarentur: & lib. V epiſt. XX vocat *Laodicenſem ciuitatem*. Antiochi κτίσμα, *opus*, dixit Stephanus Byzantius ab vxore Laodice appellatam: vt altera Syriæ, a matre Seleuci. Laudat eccleſiam eius Paulus ad Coloſſ. II comm. 1, & cap. IV comm. 13, 15, 16, quo poſtremo loco epiſtolæ cuiuſdam habita eſt mentio, vnde nonnulli deperditam quan-

dam Pauli ad Laodicenos epiſtolam ſuſpicati ſunt. Græci codices ambigue legunt, quidam τὴν Λαοδικέας, ſubaudi ἐπιςολὴν: præſtantiores τὴν ἐκ Λαοδικείας, quæ omnino antiquior videtur lectio eſſe, quia Syrus etiam interpres מן ex interiecit, & Chryſoſtomus quoque, illud ἐκ & legit & expoſuit. Sic ceſſat Paulinæ ad Laodicenſes deſiderium: & hæc vel inter Paulinas ſuperſtites eſt quærenda, vel ab alio Laodiceæ fuit conſignata. Qui prius cenſent, alii epiſtolam ad Epheſios intelligunt, cui hæreticos titulum non ad *Epheſios*, ſed *ad Laodicenos* præfixiſſe Tertullianus lib. v. adu. Marcion. cap. xi auctor eſt. Alii putant priorem ad Timotheum eſſe, inducti ſubſcriptione eius, ἀπὸ Λαοδικείας, *ex Laodicea*: licet quæ ſequuntur de *Phrygia Pacatiana* aliquid nouitatis ſapiant, quemadmodum nec a Syro, neque a Vulgato ſunt expreſſa. Sed nec priora verba, ἐγράφη ἀπὸ Λαοδικείας, *ſcripta Laodiceæ*, quæ Syrus quidem habet, Vulgatus autem itidem omiſit, omnino certa & indubitata ſunt, quia Coloſſ. ii comm. 1 dixit Paulus ſe nunquam vidiſſe Laodicenos: quæ vero epiſtola ad Coloſſenſes chronographis ſacris poſt illam ad Timotheum videtur ſcripta: hæc vero ad Timotheum in Macedonia vel Achaia cenſetur compoſita, quod alterum Arabs Erpenianus confirmat, *Athenis*, ſcriptam eſſe ſubiiciens. Vide Ludouici Cappelli Hiſt. Apoſtol. p. 74 & 78. Nec quæ ad Philemonem data, quod quibusdam placet, Coloſſ. iv. 16 intelligi facile poteſt, quia videtur e vinculis ſcripta, & ſubnotatum habet ἀπὸ Ῥώμης, *ab Roma*, quod non temere eſt loco dimouendum. Aliis ergo eſt epiſtola a

Lao-

Laodicenſibus ad Paulum miſſa, vt vulgatus interpres vertit, *& eam quæ Laodicenſium eſt, vos legatis.* Oecumenius in h. l. commentario confirmat, οὐ τὴν ἀπὸ Παύλου πρὸς Λαοδικέας, ἀλλὰ τὴν ἀπὸ Λαοδικέων πρὸς Παῦλον, *non eam quæ a Paulo ad Laodicenſes ſcripta ſit, ſed quæ a Laodicenſibus ad Paulum.* Sed hæc ſatis ſunt de hiſtorico certamine: ἐπίκρισιν relinquimus iis, penes quos eſt ſacri codicis interpretatio. Mutuam vero epiſtolarum lectionem Coloſſenſibus & Laodicenſis apoſtolus commendat, quia hæ vicinæ vrbes erant, vtraque ad Lycum amnem poſita, quod de Laodicea ſupra probatum fuit: de Coloſſis nos docet Herodotus lib. VII cap. XXX.

XXXVIII. Reditus ſuccedit ab exſilio, qui an iubente ipſo Domitiano, qui relegauerat, factus fuerit, omnino eſt, quod dubitemus, vt ſupra de Tertulliani teſtimonio dictum ſect. XIX & XX. Sub Nerua rediiſſe, & illo concedente, non tantum Chriſtiani dicunt, ſed ipſe etiam Dio Caſſius, cuius epitomen Xiphilino debemus, non incertis verbis confirmat, quæ quod ſupra ſect. XVIII attulimus, non eſt quod eadem nunc repetamus. Chriſtianorum in hoc, ſi Tertullianum excipias, magna & conſtans eſt conſenſio. Euſebius lib. III cap. XX extremo refert, Domitiano ſublato, Neruam iuſſiſſe ἐπανιέναι θεῖν τοὺς ἀδίκως ἐξεληλαμένους, *iniuſte relegatos redire*, τότε, *tunc* & Ioannem dicit ἀπὸ τῆς κατὰ τὴν νῆσον φυγῆς, *ab inſulari exſilio* liberatum eſſe. Eadem in Chronico Euſebiano, quod Latine Hieronymus vertit, leguntur. Hieronymi de hoc verba protulimus ſupra ſect. XVIII. P. Oroſius lib. VII cap. XI in Nerua imperatore: *Hic*

primo edicto ſuo cunctos exſules reuocauit: unde & Ioannes apoſtolus hac generali indulgentia liberatus, Epheſum rediit. Zonaras in Nerua pag. 109 τότε καὶ τὸν μέγαν Ἰωάννην ἀπὸ τῆς ἐν τῇ Πάτμῳ ὑπερορίας λόγος ἔχει ἐπανελθεῖν ἐπὶ τὴν Ἔφεσον, *tunc magnum apoſtolus* Ioannes *ab exſilio in Patmo rediſſe fertur Epheſum.* Cedrenus pag. 103 οὗτος ὁ Νέρουας ἀνεκαλέσατο τὸν θεολόγον Ἰωάννην ἐκ τῆς ἐξορίας, καὶ ἀπέλυσεν οἰκεῖν ἐν Ἐφέσῳ, *Hic Nerua reuocauit Ioannem Theologum ab exſilio, permiſitque, vt Epheſi habitaret.* Ex his vna videmus, ex Patmo Ioannem ſecundum eccleſiæ traditionem reuertiſſe *Epheſum*, quod præclare Rufinus, Euſebii verba ex lib. III cap. XX conuertens, τὴν ἐπὶ τῆς Ἐφέσου διατριβὴν ἀπειληφέναι, expreſſit, *Epheſum, quaſi ad ſcholam propriam rediſſe:* quo priſtinum munus, vt ſueuerat antea, & docendo & confirmando eccleſias rurſus obiiſſe, ſignificat. Nihil ergo proficit Epiphanius, in Alogorum hæreſi ſect. XII p. 434 de Ioanne profeſſus, τὴν αὐτοῦ ἀπὸ τῆς Πάτμου ἐπάνοδον ἐπὶ Κλαυδίου γενομένου Καίσαρος, *eius reditum ex Patmo ſub Claudio Caeſare factum eſſe:* quia, vnde manauit illud, a Claudio in exſilium eiectum fuiſſe, ſupra ſect. XV & XVI a nobis confixum eſt ac refutatum.

XXXIX. Nerua ergo eſt qui reſtituit Ioannem, & de futuro etiam cauit, vetuitque, vt Dion refert, οὔτ' ἀσεβείας, οὔτ' Ἰουδαϊκοῦ βίου καταιτιᾶσθαί τινας, *neque contemptionis deorum, neque Iudaiciſmi crimine aliquos inpoſterum accuſare.* Puta Chriſtianorum ritus & profeſſionem, qui quod orti ab Iudæis erant, & in diis ſpernendis cum Iudæis conſentiebant,

Digitized by Google

bant, ipſi quoque a paganis illo tempore Iudæi ſunt appellati. Sic idem Dion in Domitiano tradit, Flauium Clementem eiusque vxorem Domitillam, quam Chriſtiani ſororis filiam dicunt, punitos eſſe, illum capitis ſupplicio, hanc deportatione in Pandetariam inſulam, tamquam ἐς τὰ τῶν Ἰουδαίων ἤθη ἐξοκέλλοντας. *in mores Iudæorum prolapſos.* Domitillam autem Chriſtianam fuiſſe non eſt dubitandum, quam Euſebius lib. III H. E. cap. XVIII τῆς εἰς Χριστὸν μαρτυρίας ἕνεκεν, *propter Chriſti confeſſionem* in inſulam Pontiam relegatam tradit. Leuis de inſula diſſenſus, & vtraque iuxta Italiam ſita, etiam exſiliis vtraque parata: quemadmodum Tiberius Agrippinam, Germanici viduam, in Pandetariam relegauit: Neronem, filium Germanici, in Pontiam, quod Suetonius refert Tib. cap. LIII & LIV & Calig. cap. XV. De Flauio Clemente idem ſupra ſect. XXII probatum fuit.

XL. Nec vero Iudæi ab illa ſæuitia liberati erant, ſed cum iis etiam iniquius actum. Suetonius Domitiano cap. XII *Præter ceteros Iudaicus fiſcus acerbiſſime actus eſt; ad quem deferebantur qui vel improfeſſi Iudaicam intra vrbem viuerent vitam, vel diſſimulata origine impoſita genti tributa non pependiſſent.* De Iudæis proprie agi non negamus, idque exemplum, quod ſubiicitur, nonagenarii ſenis manifeſtat; an vero etiam Chriſtiani per *improfeſſos* aut *originem diſſimulantes* intelligendi ſint, diſputatur ab interpretantibus. Læuinus Torrentius: *Fiſcum Iudaicum vocat, quacumque ratione non aduerſum Iudæos tantum, ſed etiam Chriſtianos ageretur.* Contra Caſaubonus ad hunc locum: *Interpretes, qui ad perſecutionem ſe-*

cundam Chriſtianorum ſub Domitiano hæc verba referunt, falluntur. Nos media via incedemus, vt fiſcum illum Iudæorum cauſſa inſtitutum cenſeamus, cuius origo a Titi victoria eſt, qui, quod Dio in Veſpaſiano refert, Iudæis imperauit, vt ſinguli quotannis δίδραχμον, *didrachmum* Ioui Capitolino inferrent. Cui alia tributa ſunt adiecta, vt qui in vrbe habitarent, id beneficium quoque redimerent. Quod quum negligerent Chriſtiani, & ipſi vulgo Iudæi viſi; ab *improfeſſis* non videntur excludendi eſſe. Io. Fr. Gronouius V. C. ad proſelytos reſtringit, ſed horum pauci tum in vrbe erant, Chriſtianorum autem numerus in dies creſcebat. Nerua tandem hæc omnia mitigauit, quod nummus eius probat, inſcriptus FISCI IVDAICI CALVMNIA SVBLATA. *Calumnia* autem ad Chriſtianos æque aut magis, quam ad Iudæos, referri poteſt.

XLI. Vbi vixerit Ioannes poſt exſilium, *Epheſi* videlicet, ſupra ſect. XXXVIII. ex eccleſiæ traditione oſtendimus, quippe Euſebius Hiſt. eccleſ. lib. III cap. XX dixit, ὁ τῶν παρ' ἡμῖν ἀρχαίων παραδίδωσι λόγος *antiqua apud nos traditio eſt*, Ioannem ab exſilio Epheſi διατριβὴν *commorationem* recepiſſe. Nunc dicendum quoque reſtat, vbi diem ſupremum obierit. Non enim immortalem fuiſſe, vt quidam Chriſti verba, SI VOLO HVNC MANERE, DVM VENIAM, interpretati ſunt; ex ipſius diuini ſcriptoris, quam ſubiicit, certiſſima declaratione patet. Et ſic eccleſia etiam ſenſit ac tradidit poſteritati. Tertullianus de Anima cap. L *Obiit & Ioannes, quem in aduentum Domini remanſurum fruſtra fuerat*

ſpes.

ſtes. Et Euſebius lib. III cap. I de Ioanne, ἐν Ἐφέσῳ τελευτᾶ, *Epheſi mortuus eſt.* Hieronymus etiam annum mortis deſignauit, de Scriptor. eccleſ. in IOANNE: *Interfecto Domitiano, & actis eius ob nimiam crudelitatem a ſenatu reſciſſis, ſub Nerua principe redit Epheſum, ibique vſque ad Traianum principem perſeuerans totas Aſiae fundauit rexitque eccleſias: & confectus ſenio ſexageſimo octauo poſt paſſionem Domini anno mortuus, iuxta eandem vrbem ſepultus eſt.* Paſſus eſt Dominus noſter, vt plurimi ſupputant, medio anno Tiberii XIX, quia Auguſtus obierat XIV Kalend. Septembris, cui ſi addas LXVIII annos, incidet Ioannis mors in Traiani annum III, quo etiam ponitur Chronico Euſebiano, qui annus in vulgari Chriſtianorum epocha eſt circiter CII.

DISSERTATIO IV. DE FATIS LATINAE LINGVAE.

habita An. 1701.

SVmma dignum admiratione eſt, hominem ita a Deo conditum eſſe, vt non ratione ſolum, qua animantibus antecellat, ad geniorum ſimilitudinem ornatus ſit, verum etiam quae ſentit ipſe &

intelligit, poſſit cum aliis ſui generis ſermone communicare, ſine quo arctior vſus rationis foret, & intra cuiusque conſcientiam contineretur, quod pauciora ſunt, quæ ſignis, aut geſtibus, nec vero his etiam diſtincte ſatis ac clare, ſignificamus.

II. Vnum ſermonem fuiſſe omnium, antequam conditores Babylonicæ turris confuſionem linguarum, diſiectionemque in varias terras, temeritate ſua mererentur, diuino antiquiſſimi ſcriptoris teſtimonio manifeſtum eſt. Vtrum vero prima & vnica illa lingua, qua ante hanc pœnam vſi mortales fuerant, conſeruata ſit in illa perturbatione; an ipſa etiam perierit, in varias ac nouas diffuſa & diſperſa; non eſt eadem omnium opinio & ſententia. Plures aiunt ſeruatam eſſe, eamdemque eſſe, quam ſanctam & Ebræam appellamus; pauciores, qui cenſent periiſſe; quam controuerſiam, quod aliena ab inſtituto noſtro eſt, in præſenti præterimus, de nouis, ex diſperſione ortis ſermonibus ſolliciti magis, & de earum numero, vt inquiramus, an *Latinus* quoque ſermo, de quo tractaturi ſumus, ab illo tempore fuerit, & in Chaldæa natus, in Italiam gentium migratione relegatus.

III. Traditione, neſcio qua, probare multi conati ſunt, in gentes circiter ſeptuaginta, & totidem linguas, diſperſos illius turris ædificatores, ſeu potius, humanum genus omne fuiſſe: ſed vnde numerus ille comprobetur certus, nec diuinando, quantum nobis conſtat, poteſt inueniri. Nugæ ſunt quæ de ſeptuaginta ſenioribus, aut de certorum angelorum numero, qui linguis æque atque genti-

bus

Digitized by Google

bus præſideant, eum in finem adferuntur. Hieronymus ſane in Matth. XXVI. 53 *typum*, inquit, *dixiſſe ſufficiat ſeptuaginta duo angelorum, in quot gentes hominum lingua diuiſa eſt, de duodecim legionibus fieri.* Magis declinant a vero, qui ex LXX virali verſione Deuter XXXII, 8. haberi putant, quod de linguis gentibusque, cum angelorum numero comparandis, adferri documentum poſſit. Nihil enim de angelis ibidem ſanctus codex habet, neque de numero linguarum agit aut gentium, ſed de ſpatio potius, quod Deus in diſperſione gentium Iſraelitis deſtinauerit ad habitandum. Conſule clariſſimos interpretes, Abr. Calouium in adnotatis ad Grotium, & Sam. Bochartum in Phaleg. cap. XV.

§. IV. Haud ergo certus numerus linguarum ex συγχύσει illa probari poteſt, & ſi probaretur, non hoc ipſo certum foret, conſtitiſſe ſemper talium numerum, neque vel auctum fuiſſe ſucceſſu temporum, neque etiam exciſis quibusdam gentibus imminutum. Narratur quidem diſperſio populorum Geneſ. X: num vero omnium, an præcipuorum tantummodo, itidem dubitatur. Bochartus d.l. miratur paucitatem, quam ita tuetur & interpretatur: *Moſes non neceſſe habuit, omnes omnino gentium, aut linguarum conditores nominare: ſatis illi fuit, inſigniorum meminiſſe, maxime in Iudæorum vicinia, in quorum gratiam ſcribebat.* Sermo hominum mutatur cum tempore, & in vna etiam gente nonnunquam lingua fuit mutata, & alia ſuperinducta. Hiſpanorum Gallorumque vetus Celtica ceſſit Romanæ ſiue Latinæ: Latina poſtmodum, ex parte ſaltem, ceſſit Gothicæ aut Francicæ loquelæ, qua-

Digitized by Google

quarum commiſtione nouæ linguæ, Hiſpanica, Gallica, (nec Italica aliter, niſi Langobardicæ acceſſione) exortæ ſunt: vt adeo difficulter aliquis numerus inueniri, aut omnes linguæ confuſione prima natæ certo definiri ac demonſtrari poſſint.

V. Miſſis ceteris, ſolius *Latinæ* rationes in præſenti nobis curæ ſunt, de qua id maxime iam inquirendum videtur, an ætas illius ad primam γλωττοσύγχυσιν ſit referenda, ſiue, quod idem eſt, an ſit primigenia, non orta ex alia primarum, quas dedit illa confuſio. Non dubitamus, quin prima migratione, quum mare traiicerent ex Aſia homines, & pars venirent in Græciam, auctore Iauan, quod nomen alii Ἰών, *Ion*, a quo Ἴωνες, *Iones* ſunt, & lingua eſt Ionica; non dubitamus, inquam, quin pars eodem tempore ad Italiam appulerit, & pars ita longius ſit, quam in Ioniam profecta. Hinc fuerunt antiquiſſimi illi Italiæ *Aborigines*, quem populum tradunt primum in Italia exſtitiſſe: αὐτόχθονας dictos, id eſt *terra natos* & indigenas, quomodo omnes appellabant, quorum antiquitatem & originem nulla memoria potuerunt repetere, quemadmodum Iuſtinus libro II cap. VI etiam Athenienſes dicit *eodem innatos ſolo, quod incolunt*, id quod de iiſdem etiam Cicero pro Flacco cap. XXVI tradidit. His fere, æquales *Oenotri* fuerunt, ex Arcadia profecti, qui inferiorem Italiæ partem occuparunt: quibus vel acceſſerunt poſtea, vel nomen mutauerunt *Oſci* atque *Auſones*, aliique. In partem, quæ ſupra Tiberim & Alpes eſt, *Lydos* Tyrrheno duce circa Troiani belli tempora ex Aſia in-

vectos

vectos eſſe, Patereulus cap. I memorauit, quod etiam Virgilius comprobet lib. VIII verſ. 479

- - - vbi Lydia quondam
Gens bello praeclara iugis inſedit Etruſcis.

Latius enim quondam regnauerunt illi Lydi ſiue Etruſci, a Gallis poſtea in anguſtias Etruriæ regionis compulſi.

VI. His populis diſtinctas linguas, vti ex diuerſis regionibus aduenerant, non dubitandum eſt fuiſſe, etiam Gallis ſuam, cum Circumpadanam regionem occupaſſent. In inferiorem partem, quam Campaniam & Bruttios dicebant, Græcum ſermonem cum colonis Græcis inuectum fuiſſe, minus eſt quod dubitemus. Ex illis vero omnibus lingua, quæ in tractu partis erat, quam Tiberis finit, & *Latium* poſtea vocatum eſt, præualuit maxime, atque magis magisque culta fuit, &, Romanorum creſcente potentia, etiam propagata cum imperio, vt ceteras pedetentim aboleret, Romanamque per omnem proferret Italiam: vt adeo difficulter definiatur, quæ vera origo Latinæ linguæ fuerit, quum ex tam diuerſo hominum commercio, vt fieri ſolet, tandem fuerit enata. Quam controuerſiam vt dirimamus, opus erit, de ſingulis aliquid præmonuiſſe.

VII. Gallos Celticam ex Tranſalpina regione; Lydos Lydiam linguam ex Aſia attuliſſe, non eſt, quod dubitetur. Certe iam libera republica, exactis regibus, Etruſca lingua ab Romano ſermone diuerſa erat, quod ex Liuii lib. IX cap. XXXVI conſtat, vbi Marcus Fabius Cæſo exploraſſe Etruſco bello refertur omnia, quia *educatus Cære apud hoſpites fuerat, Etruſcis-*

truſcisque litteris eruditus, linguam quoque Etruſcam probe nouerat. Seruum ei comitem fuiſſe nutritum vna, eoque haud ignarum linguæ eiuſdem. De Oſcis Campaniæ, & propioribus Volſcis (nam Latio poſtmodum adſcripti ſunt) idem diſcrimen nos docet Pompeius Feſtus in OSCVM ex Titinii, antiqui poetæ, fabula hæc verba adferens: *Qui Oſce & Volſce fabulantur: nam Latine neſciunt.* Et Velleius lib. I cap. IV *Camanos* (Græcam coloniam) *Oſca mutauit vicinia.* De Græcis autem præcipue contendi poteſt, an illi conditores Latinæ linguæ fuerint. Nihil iam dicemus de Græcis coloniis per Bruttios, Calabros, Campanos diffuſis; vnde pars illa *Magna Græcia* nomen ſortita fuit; ſed tantum de Latio aut propiore Romanæ vrbi agro, & eius populis.

VIII. Aboriginibus, quos αὐτόχθονας Dionyſius Halicarnaſſeus libro I. pro more illorum temporum dixit, vndecumque aduenerunt, ſuam linguam fuiſſe, ab aliis diuerſam, non incertum eſt. Aborigines autem per Latium & Sabinorum agrum vsque ad Reate habitaſſe, ex Dionyſii libro I & Varronis lib. IV de LL. cap. VIII probari poteſt. Qui in Latio fuerunt, iis videtur Ianus imperaſſe, ad quem Saturnus, ab Ioue pulſus, profugiſſe traditur, vltra quæ tempora neque fabulæ de Italia quidquam habent, quod vel tenui fide approbari & ad hiſtoriam referri poſſit. Saturno, quem Ianus in regni ſocietatem ſuſcepiſſe fertur, in Latio filius Picus, Pico Faunus, Fauno Latinus ſucceſſiſſe traditur; Virgilius Aen. VII verſ. 45.

Rex arua Latinus & vrbes
Iam ſenior longa placidas in pace regebat.

Hunc

Hunc Fauno & nympha genitum Laurente Marica
Accipimus. Fauno Picus pater: isque parentem
Te, Saturne, refert; tu ſanguinis vltimus auctor.

Fauno regnante aiunt Euandrum ex Arcadia in Italiam veniſſe, & perinde a Fauno, vt Saturnus ab Iano, eſſe ſuſceptum præter regni tamen ſocietatem, quia Fauno filius & ſucceſſor erat Latinus. Nihil ominus Aurelius Victor de Origine gentis Romanæ, & ante ipſum Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. 1 pag. 24, dicunt, *agro donatos* ab rege Fauno fuiſſe Arcadas: hic quidem, δίδωσιν αὐτοῖς τῆς αὐτοῦ χώρας ὅσην ἐβούλοντο, *dedit Faunus illis de ſua regione, quantum voluerunt:* Ille autem, ſiue Victor: *Euandro non paruum agri modum ad colendum eorogit.* Et hic eſt ille ager, in quo is *Pallanteum* oppidum ædificauit, loco quem poſtea Romani intra vrbem *Palatium*, ſiue *collem Palatinum* appellauerunt. Hos Arcades vetuſtis incolis illius Italiæ partis, quam *Latium* vel ante a Saturni tempore, & populum *Latinum*; vel poſtea a *Latino* rege, Fauni filio, appellauerunt, aliquid de Græca ſua lingua admiſcuiſſe, non difficile ad credendum eſt, nec pauca Græcitatis veſtigia in Latino tam veteri quam cultiori ſermone, quod nemo negat, reperta fuerunt.

IX. De Troianis quid in hac cauſſa dicamus, non facile reperimus. Si verum eſt, quod Græci Latinique tradunt, Aeneam fatis ductum in Italiam veniſſe, non ſatis conſtat, quam linguam Troiani intulerint. Dionyſius pag. 40 etiam τὸ τῶν Τρώων ἔθνος Ἑλληνικὸν ἐν τοῖς μάλιστα εἶναι, *Troianorum gentem maxima parte Græcanicam fuiſſe*, perſuadere conatur,

Digitized by Google

tur, nec vero firmis probare argumentis poteſt: alii Phrygiam, quæ barbara erat, linguam tribuunt Troianis. Quid? quod idem Dionyſius Aborigines etiam ex Peloponeſo cum Oenotris in Italiam profectos credit, ὡς ἐγὼ πείθομαι inquit, id eſt, *vt ego exiſtimo*; non autem probat. Sed quoquo modo ſe lingua habet Aboriginum, id tamen ſatis certum eſt, multum in Lingua Latinorum eſſe, quod deſumtum ſit ex Græca: multum vero etiam, quod cum Græca minime conueniat, ſed ex aliis, quæ in Italia obtinebant, retentum vel receptum: quapropter ſæpe laudatus Dionyſius lib. 1. extremo ita cenſet; Ῥωμαῖοι δὲ φωνὴν μὲν οὔτ᾽ ἄκραν βάρβαρον, οὔτ᾽ ἀπηρτισμένως Ἑλλάδα φθέγγονται, μικτὴν δέ τινα ἐξ ἀμφοῖν, ἧς ἐστιν ἡ πλείων Αἰολίς· *Romani ſermone nec prorſus barbaro, nec abſolute Græco vtuntur, ſed ex vtroque mixto, accedente in pleriſque ad proprietatem linguæ Aeolicæ.* Ad Aeolicam potius, quam aliam dialectum conuenientiam Latinæ retulit, quod maxime digamma Aeolicum, vſitatiſſimum Latinis, perſuadet; idque innumeris exemplis poteſt approbari. Conſentit doctiſſimus Bochartus loco ante dicto clare profeſſus: *Latina ipſa lingua magna ſui parte facta eſt ex Aeolica, Græca dialecto.* Illuſtrat ibidem exemplis ipſius Latinæ & Germanicæ: ex illa enim deductas eſſe ait Italicam, Gallicam, Hiſpanicam, vt ſingulæ ſeparatæ ſint & diuerſæ ab Latina; quemadmodum Germanica ſit mater Belgicæ, Danicæ, & aliarum, ſed itidem ab illis diuerſa lingua. Nec enim Latina lingua pro Græcæ dialecto haberi poteſt, a qua innumeris vocabulis differt, quæ aliunde, quam ex Græcia

cia

cia accepit; & flexione quoque atque conſtructione vocum. Quod Plutarchus etiam in Quæſtionibus Platonicis ſub finem de Romana lingua confeſſus eſt: *Προθέσεις τε γὰρ ἀφῄρηκε, πλὴν ὀλίγων ἁπάσας, τῶν τε καλουμένων ἄρθρων οὐδὲν προσδέχεται τὸ παράπαν, præpoſitiones abiecit, præter paucas, omnes, & quos vocant articulos, nullos in vniuerſum adſumit.*

X. Anguſtis primum finibus concluſa lingua Latina fuit, veteris Latii contenta limite; nec forte totius eius, quia hoſtiles vrbes quamlibet proximæ Romanis, aliter loquebantur, nec Latine, niſi colonis acceptis, didicerunt. Exemplo *Fidenates* ſint, de quibus Liuius lib. I. cap. XXVII, *Magna pars Fidenatium, vt qui coloni additi Romanis eſſent, Latine ſciebant.* Quam lectionem contra Tanaquillum Fabrum defendit & ſcite interpretatur Io. Fr. Gronouius. Ergo antequam Romanis coniungerentur colonis, Latine neſcierunt. *Volſci* ab altero latere cingebant vetus Latium, in nouum poſtea & ipſi tranſcribendi; tamen Volſcorum lingua fuit alia ab Romana, vti ſupra ex Pompeio Feſto adnotauimus. Nec propiores Romanis, quam Sabini erant, & tamen ex lingua eorum notant veteres Grammatici, quæ ab Latinorum vſu, etiam veteri, abhorruerunt.

XI. Tardior linguæ progreſſus fuit, nec niſi aucto imperio, Romanus ſermo dilatatus eſt. Tria autem quatuorque ſæcula proceſſerunt, antequam maiorem Italiæ partem Romani ſibi ſubiicerent: pars enim finito demum Punico primo bello in poteſtatem fuit redacta. Sic ſenſim linguæ aliæ, & ipſa Græca in Græcia Magna, quæ Italiæ pars ita appellata fuit, exſpira-

Digitized by Google

ſpirarunt, commercio Romanorum, aut imperio potius ac poſſeſſione, vbique inducto ſermone Romano, qui poſtea etiam in ipſas prouincias extra Italiam poſitas emanauit: de quibus dicturi ſumus poſtea. Immo adfectabant tandem Græci in Italia, vt ſibi Romana lingua, quaſi honoris cauſſa vti liceret. Liuius lib. XL cap. XLII *Cumanis eo anno petentibus permiſſum, vt publice Latine loquerentur, & præconibus Latine vendendi ius eſſet.* Græca tamen videtur diutius ſeruata aut coniuncta cum Latina in Græcis ciuitatibus Italiæ, præſertim propter ſtudia & diſciplinas Græcas, quas Græce magiſtri diſcipulis tradebant; quo referri illud Ciceronis poteſt pro Archia cap. III, *Erat Italia tunc plena Græcarum artium ac diſciplinarum*, quas quamuis in Latio quoque excultas eodem tempore adiecit, tamen maximopere id ad *Tarentinos, Rheginos, & Neapolitanos*, Græcanicas ciuitates, reſtrinxit.

XII. Conſtituta ſic lingua fuit, propagata etiam per Italiam, neque vero cum Græca, quæ elegantiſſima erat, comparanda: ſed rudis, inculta, & horridum aliquid delicatis auribus ſonans, quod poetæ poſtea & oratores cultura ſua & Græcorum æmulatione mitigauerunt. Poetæ primi fuerunt, qui cultum Latinitati adhiberent, vel tentarent potius. In his facile primus fuit *Liuius Andronicus*, de quo Cicero de Claris Oratoribus cap. XVIII dicit: *Hic Liuius primus fabulam C. Clodio, Caci filio, & M. Tuditano* COSS. *docuit, anno ipſo, antequam natus eſt Ennius*, h. e. anno V. C. IɔXIV. An idem hiſtoricus quoque fuerit, diſceptatur inter eruditos. Liuius Patauinus

uinus lib. VII. cap. II *fabulas* tantum huic primo Liuio attribuit. Hunc ſequutus eſt *Næuius*, quinquennio poſt Liuium eadem ſe arte proferens, quod ex Gellii libro XVII extremo conſtat. Sub finem ſecundi Punici belli Q. ENNIVS magis magisque linguam vario genere carminum, quorum fragmenta non pauca habemus, (ſicut & Liuii quædam ac Næuii ſuperſunt) excoluit. Huius quamquam maxime laudanda eſt induſtria, tamen, ſi carmina eius cum iis, quæ Auguſteo ſæculo compoſita fuerunt, comparentur, apparebit, non ab re quod eſſet, dixiſſe Ouidium lib. II Triſt. verſ. 424.

Ennius ingenio maximus, arte rudis.

Hic præcipuus fuit inter antiquos illos linguæ Latinæ cultores, a quo ſubſequentes, & ipſe Cicero cum Marone, ſumſerunt quædam, & ſua imitando fecerunt. Calaber fuit genere, Rudiis ortus, ex quo *Rudium hominem* Cicero pro Archia dixit cap. X: ſiue vt Silius ait libro XII verſ. 396. de eodem Ennio:

Miſerunt Calabri; Rudia genuere vetuſta.

Bello Punico ſecundo interfuit, ductor ordinum, & centurio Silius ibidem:

Ennius antiqua Meſapi ab origine regis,
Miſcebat primas acies: Latiaque ſuperbum
Vitis adornabat dextram decus.

Hoc enim centurionis inſigne, vt Plinius libr. XIV cap. I auctor eſt, de quo plura ad eiusdem Silii libr. VI, 43. diximus. Ratione belli ita ferente in Sardiniam, Romanam prouinciam, ab Afris defendendam, miſſus erat, vnde Cato quæſtor ex Africa decedens, perſpecto ingenio eius, Romam deduxit: quod non minoris

Digitized by Google

Cornelius Nepos in Vita Catonis cap. I exiſtimat, quam *ampliſſimum Sardinienſem triumphum.* Carus in primis fuit Scipioni Africano, adeo, vt etiam in ſepulcro Scipionum putetur is eſſe conſtitutus e marmore, quod Cicero eadem oratione cap. IX refert & Liuius lib. XXXVIII cap. LVI, & Plinius lib. VII cap. XXX confirmant. Quod ideo non prætereundum fuit, vt probetur, a principio culturæ litterarum in pretio fuiſſe ingenia, & quidem merito ſuo, nihilque iniquius in republica admitti poſſe, quam ſi honor ſtudiis detrahatur.

XIII. Ennium, magnum ducem, magno numero ſequuti ſunt alii, & eodem prope tempore *Cæcilius*, *Pacuuius*, *Attius*, ex fragmentis ſuis non ignobiles poetæ: ſed plurimum tum temporis M. Accius Plautus, comicus poeta, ad ornandam Latinitatem attulit, ingenioſus, elegans, & puræ pro tempore Latinitatis amans, idcirco maxime commendandus, niſi moribus impurus eſſet, & proteruos ac laſciuos ſales cunctis fabulis ſuis immiſceret, plures etiam de induſtria ex inſalubri & obſcena materia componeret. Quæ cauſſa eſt, vt adoleſcentes a lectione illius reuocandos exiſtimemus. Florere cœpit vltimis annis Annibalici belli, & proximis inter ſecundum & tertium Pœnorum bellum fere ſeptemdecim. Inter hunc & Terentium *Lucilius* interuenit, ex paucis, quæ ſuperſunt, fragmentis, non incognitus. *P. Terentius* autem belli Punici tertii tempore, & poſt paullo clarior fuit, Afer genere, & Carthaginienſis, tanto ingenio, vt Romam inter captiuos adductus, quum Terentio Lucano ſeruiſſet, Latinam linguam non didicerit modo,

ſed

ſed ita etiam excoluerit, vt nec inter Romanos haberet, qui cum ipſo conferri elegantia poſſet. Quæ enim in Plautinis adhuc horrida erant & aſpera, magis magisque perpoliuit: ſed quod vitium illorum temporum erat, quamuis pudicior Plauto eſſet, tamen in ſingulis, quas reliquit, elegantiſſimis fabulis, eiusmodi argumentum pertractauit, quod conſultius eſſet, adoleſcentes neque legere, neque audire. Non itaque morem ſcholarum probamus, quæ initia Latinitatis a Terentio petunt, quo non poſſunt morum ſanctitati non officere. Attamen dicunt Terentiani, genuïnam ex illo linguæ indolem hauriri. Eſto. Sed hauriuntur ſimul vitia morum, quorum grauius damnum eſt, quam vt vel ampliſſimo Latinitatis fructu poſſit repenſari. Excuſent alii, quantum volunt, vel etiam poſſunt: nobis id verum & certum eſt, quod Minucius Felix cap. XXXVII dixit: *Hiſtrio amores dum fingit, infligit.* Hoc de Terentii comœdiis ſatis ſit: de impurioribus Plauti ex iisdem facile quoque iudicabitur. Conſuli & moribus & ſtudiis vna opera poſſet, ſi excerpta Plauti & Terentii, non integras fabulas, iuuentuti proponamus, vt quæ bona in iis ſunt, perdiſcantur: quæ noxia morum ſalubritati, ignorentur. Tentatum id ab aliis eſt, & litteris publicis excerpta illa propoſita, ſed vt mores ſunt ſæculi atque ſcholarum, pauci admodum approbauerunt aut imitati ſunt.

XIV. Hæc de poetis, quibus *Turpilius* & *Africanus* addi poſſunt, ſed minus noti ex illis, quæ reſtant, carminum fragmentis: & proximus ante Ciceronem, vel ipſo iam florere incipiente, *Carus Lucretius*, cu-

Digitized by Google

ius carmina phyſici argumenti elegantia quidem, ſed propter materiam abſtruſiora, ſuperſunt, ab ipſo Cicerone laudata lib. II ad Quintum fratrem epiſt. XI.

XV. Nec vero ſoli poetæ illis temporibus Latinum ſermonem coluerunt, verum etiam oratores & hiſtorici poetas æmulati ſunt. Primus Romanorum ſoluta oratione hiſtoriam *Fabius Pictor* ſcripſiſſe fertur, quem ideo T. Liuius lib. I cap. XLV *ſcriptorum antiquiſſimum* dicit: cuius ætatem nobis Eutropius prodidit lib. III, cap. II, in bello Gallico, quod in Italia inter primum & ſecundum Punicum geſtum fuit, ad hunc auctorem prouocans, vel ideo fide digniorem, quod ipſe illi bello interfuerit. Latine autem hiſtoriam Romanam compoſuiſſe, locuples teſtis eſt Cicero, de Oratore lib. II cap. XII, Græcis eumdem ſcriptoribus opponens. *Ne noſtros*, inquit, *contemnas, Græci quoque ſic initio ſcriptitarunt, vt noſter Cato, vt Pictor, vt Piſo. Erat enim hiſtoria nihil aliud, niſi annalium confectio.* Et paucis interiectis: *qualis inter Græcos Pherecydes, Hellanicus, Acuſilas fuit, aliique permulti; talis noſter Cato, & Pictor, & Piſo, qui neque tenent, quibus rebus ornatur oratio, (modo enim huc iſta ſunt importata) &, dum intelligatur quid dicant, vnam dicendi laudem putant eſſe, breuitatem.* An vero Fabius Græce forſan ſcripſerit, dubitant nonnulli, quia Cicero lib. I de diuinat. cap. XXI, *Numerii Fabii Pictoris Græcos annales* memorat. Verum aut noſter vtraque lingua ſcripſit, aut alius Fabius Pictor fuit, qui Græce ſcripſit, ſicut Voſſius quatuor eiusdem nominis oſtendit, pleroſque prænominibus diſtinctos. *Catonis Origines* notæ ſunt, etiam

a Ne-

Digitized by Google

a Nepote in Vita Catonis laudatæ, æqualis ferme Pictori. *Piſo Frugi* pone ſequutus, annalium conditor, exiliter ſcriptorum, vt Cicero iudicat in Bruto cap. XXVII Poſt quos hiſtoriæ operam dederunt L. *Caſſius Hemina*, *Sempronius Tuditanus*, L. *Siſenna*, *Claudius Quadrigarius*, *Q. Valerius Antias*, quorum nec fragmenta noſtris hominibus ignota ſunt. Plura de illis apud Voſſium videas de Hiſtoricis Latinis opere.

XVI. Ars quoque oratoria ſatis antiqua Latinis fuit, quum itidem circa Punica bella clariſſimi oratores laudentur. Sergius Sulpicius Galba facile primus fuit, Catoni Cenſorio æqualis; de quo Cicero lib. I de Orat. cap. X: *Equidem Serg. Galbam memoria teneo, diuinum hominem in dicendo.* Et extremo de Claris Orat. *Galba fuit inter tot æquales vnus excellens, cui & Cato cedebat ſenior, & qui temporibus illis ætate inferiores fuerunt; Lepidus poſtea, deinde Carbo.* Orationes Catonis, quarum amplius centum quinquaginta Ciceronis æuo exſtabant, quamuis multæ perierant, aut inueniri nequibant; laudantur a Cicerone in Bruto cap. XVII, & vetuſtis Grammaticis, Gellio, Feſto, Nonio, Chariſio, aliis. Fuerunt & *Gracchi* fratres a matre Cornelia inſtituti; fuit æqualis his *M. Druſus*, quibus non facile vberiorem alium plenioremque adiiciendum fuiſſe, Cicero auctor eſt in Bruto cap. XXVII & ſequenti etiam XXXIII, vbi addit, *damnum Latinas litteras Caii Gracchi immaturo interitu feciſſe.* Eodem libro laudantur *Scipio Aemilianus*, *C. Lælius*, *Q. Catulus*, aliique, & quo propior ætate Ciceroni, eo illuſtrior etiam ornatiorque *M. Antonius*, orator ſummus & maximus. Terſior hic ſuperiori-

Digitized by Google

rioribus omnibus, qui aliquid inculti ex ſæculo ſuo retinebant, inſequuturo tempore magis leuigandum perpoliendumque.

XVII. Tres haſce claſſes poetarum, oratorum, hiſtoricorum, qui inde a Punicis bellis ad tempora Ciceroni propinquiora fuerunt, in quo cenſu Latinitatis ſcribamus, diſceptatur inter auctores. Vt Romanum imperium ad ſimilitudinem ætatis humanæ; tempus vniuerſi generis hominum, poetarum fictione (a qua tamen, ſed correctiore, non longe abeſt diuinus vates) in certa ſæcula, aureum, argenteum, æneum, diſtribuuntur; ita etiam tempora Latinitatis purioris deteriorisue, per ſimiles gradus diſpeſcimus, vt alia ſit pueritia Latini ſermonis, alia iuuentus & virilis ætas, alia deficiens ſenectus; ſeu, quod frequentius eſt, aliud *ſæculum aureum* Latinitatis, aliud *argenteum*, *æneum*, *ferreum*, de quibus non tam in ſe controuerſia eſt, (quilibet enim rem facile concedit) quam de cuiusque ſæculi termino atque limitibus. Quod enim mutationes linguarum non impetu fiunt, & puncto temporis, ſed ſucceſſu illius & pedetentim, vt vix differentia, niſi longum poſt tractum obſeruetur: ita etiam admodum difficile eſt ad diiudicandum, ex quo vnaquæque Latinitatis ætas incipiat, & in quo tempore illa deſinat atque exſpiret.

XVIII. Hoc certum eſt, a Punicis bellis cœpiſſe Romanos colendæ linguæ Latinæ operam dare, maxime bello Punico ſecundo. Porcius Licinius, vetus poeta, apud Gellium lib. XVII extremo id clare prodidit his verſibus:

Pœnico bello ſecundo Muſa pinnato gradu
Intulit ſeſe bellicoſam in Romuli gentem feram.

Hinc clariſſimi viri, Caſpar Scioppius & Olaus Borrichius ætatem auream Latinitatis a bello Punico ſecundo arceſſunt, quia tum cœperint Romani elegantius loqui atque ſcribere. Vnde laudes ſunt, quas Cicero in Galbam, aliosque veteres congesſit, adeo, vt vel ſuæ ætatis eloquentisſimis præferre videatur. Etenim de Claris orat. cap. LXXIV ſub Pomponii perſona ita indicat de Cæſare: *ſolum quidem & quaſi fundamentum oratoris vides, locutionem emendatam & Latinam: cuius penes quos laus adhuc fuit, non fuit rationis aut ſcientiæ, ſed quaſi bonæ conſuetudinis. Mitto C. Lælium, P. Scipionem. Ætatis illius iſta fuit laus, tamquam innocentiæ, ſic Latine loquendi.* Et paucis interiectis: *Omnes tum fere, qui nec extra vrbem hanc vixerant, nec eos aliqua barbaries domeſtica infuſcauerat, recte loquebantur.* Hoc vult dicere: propriam Romanæ linguæ indolem purius in vrbe ſeruatam fuiſſe, quum Romani paucioribus populis imperarent: poſtea confluxiſſe ex omni Italia in vrbem, qui ſuæ quisque gentis idiotiſmos in linguam Romanam intulerint: ex quo tempore neceſſe fuerit in dies Romanum ſermonem purgare.

XIX. Præclaræ quidem laudes, ſed tamen ita moderandæ, vt genium Latinæ linguæ, qui in illis ſcriptoribus obſeruatur, magni faciamus; alia vero in iis horrida aſpera & inculta, & omnes archaiſmos, ac quidquid poſtea in meliorem rationem conuerſum fuit, notemus, fugiamus. Nam primum fuerunt in ipſis etiam, qui male loquuti fuerunt. Quum enim

Digitized by Google

dicto loco ſub Attici perſona dixiſſet Tullius, *ætatis illius laudem fuiſſe, Latine loqui*: adiicit ſtatim: *nec omnium tamen. Nam illorum æquales, Cæcilium & Pacuuium, male loquutos videmus.* Quid vero de Galba, Catone, Lælio? Eiusdem libri cap. LXXXVI pergit in perſona cenſoris: *Galbam laudat? ſi vt illius ætatis principem, adſentior; ſic enim accepimus: ſin vt oratorem, cedo, quæſo, orationes, & dic, hunc, quem tu plus, quam te, amas, Brutum velle te illo modo dicere. Probas Lepidi orationes: paullum hic tibi adſentior, modo ita laudes, vt antiquas: quod item de Africano, de Lælio ſentio, cuius tu oratione negas fieri quidquam poſſe dulcius.* Paullo ante de Catone idem ita cenſuit: *Riſum vix tenebam, quum Attico Lyſiæ Catonem noſtrum comparabas. magnum mehercule hominem, vel potius ſummum & ſingularem virum. nemo dicet ſecus. ſed oratorem? ſed etiam Lyſiæ ſimilem, quo nihil poteſt eſſe pictius? bella ironia, ſi iocaremur: ſin adſeueramus, vide, ne religio nobis tam adhibenda ſit, quam ſi teſtimonium diceremus. Ego enim Catonem tuum, vt ciuem, vt ſenatorem, vt imperatorem, vt virum, denique cum prudentia & diligentia, tum omni virtute excellentem probo: orationes autem eius, vt illis temporibus, valde laudo. Significat enim quantam formam ingenii, ſed admodum impolitam & plane rudem.* Et quid opus eſt teſtimoniis, vbi res, quod ipſa eſt, aperte loquitur? Ex Catonianis ſolus liber de re ruſtica ſupereſt, non quidem contemnendus, neque vero comparandus ornatiſſimis libris Moderati Columellæ, qui in eodem

argu-

Digitized by Google

argumento, ſed felicius, & fauentiore Muſa, ac applaudente, verſatus eſt.

XX. Ne vero ſolius Ciceronis teſtimonio ſtemus, Quintilianum adiungimus, magiſtrum artis, & cenſorem æquiſſimum. Hic lib. XII cap. X, *fuere*, inquit, *quædam genera dicendi conditione temporum horridiora, alioquin ingenii magnam vim præ ſe ferentia. Hinc ſunt Lelii, Africani, Catones, Gracchique.* Et de principe poetarum ita ſentit libro X cap. I. *Ennium ſicut ſacros vetuſtate lucos adoremus, in quibus grandia & antiqua robora iam non tantam habent ſpeciem, quantam religionem.* Et auctor Dialogi de Oratoribus cap. XVIII idem cenſuit. *Si qua*, inquit, *ex oratorum fama gloriaque laus temporibus adquiritur, eamdem docerem in medio ſitam, & propiorem nobis, quam Galbæ, C. Carboni, quosque alios* ANTIQVOS *merito vocaremus. Sunt enim horridi, & impoliti, & rudes & informes.*

XXI. Sed *Terentius* nobis & *Plautus* obiiciuntur, tamquam præſtantiſſimi artifices Latinitatis, quaſi *Aurea* ex illorum fabulis omnino repetantur; ideoque iniuriam fieri, ſi excludantur ab ætate aurea. Diximus autem ſupra, Plautina plura eſſe, quæ archaiſmos teneant, ſicut nec ab illis plane liberatus eſt elegantior Terentius: præterea abundare ſæpe iis verbis atque formulis, quæ poſtmodum in obſoletorum cenſum reiecta fuerunt: vnde Ciceronis ætas & omnis inſequuta elegantior, ab illis ſibi ſummo ſtudio & induſtria temperauit. Ipſe Borrichius in Analectis pag. 3 inter multas laudes, etiam quod vituperet, non poteſt præterire, *Non ſunt*, inquit, *ab aureo ſeculo*

Digitized by Google

excludendi Cato, Plautus, Terentius, Lucretius, *quorum dictio prorſus* Latina, *prorſus elegans; ſed circumcidendæ tantum obſoletæ eorumdem fimbriæ.* Deinde non negamus, aurum Latini ſermonis ex Terentio & Plauto peti poſſe: verum totos illos aureos eſſe, & illorum ætatem æque auream, vt Ciceronis & Auguſti Cæſaris; non poſſumus adduci, vt credamus. Non enim omne aureum eſt, vnde aurum eruitur, quod in ſordibus etiam & lutulenta materia inuenitur. Nec omnes eiusdem temporis auctores in hoc cenſu pares ſunt, ſed Terentius omnino ceteris longe anteferendus, quia ingenio & induſtria profecit ſupra id, quod ſuorum erat temporum, vt pauciores fimbrias (liceat cum Olao loqui) in ipſo circumcidendas inueniamus.

XXII. *Auream* ergo *ætatem* Latinæ linguæ, ſi recte iudicamus, a Ciceronis ætate ad exceſſum Auguſti Cæſaris deducimus. Priores omnes habent aliquid, quod limatum ornatiusque redditum a Cicerone fuit & æqualibus. Cicero enim adſiduus fuit in poliendo ornandoque Latino ſermone, quem etiam ad id nitoris perduxit, vt nihil poſtea ad perfectionem eius addi ab inſequentibus potuerit. Socios laboris & induſtriæ habuit claros viros, e quibus maxime noti nobis ſunt *M. Terentius Varro*, & *C. Iulius Cæſar*, ita tamen, vt primæ huius laudis partes penes vnum Tullium conſiſtant. Is enim tamquam norma & regula habendus eſt, ad quam ſermonis Latini cum puritas tum elegantia referatur: vt veriſſimum omnino illud elogium Fabii exiſtimemus, quod de Cicerone lib. x Inſtitut. Orat. cap. 1 adfert: *ille ſe profeciſſe ſciat; cui Cicero*

Digitized by Google

Cicero valde placebit. Vere ergo Hieronymus, prooemio Quæſtionum in Geneſin, *Latinæ linguæ illuſtratorem* dixit: qui & lumen eius & fulgentiſſimum ſidus merito ſuo vocari poteſt. Nec vero ignoramus eſſe hodie, & fuiſſe olim etiam, qui neſcio quid in Cicerone reprehendant, eique vel Tacitum præferant, vel Symmachum, vel proximæ tempeſtatis Lipſium. Conſtat ſua laus Tacito, conſtat Lipſio, (durior enim eſt Symmachus, quam vt cum his comparari poſſit) ſed illorum acuta breuitas non cuiuis apta eſt ingenio, ſed pauciſſimi ſunt, qui adſequantur: Cicero autem ad imitandum facilis, perſpicuus, copioſus & floridus, omnibus ſæculis inde ab ſuo æuo, adſectatores inuenit, & quoad homines erunt, inuenict plures, qui & copiam eius & nitorem admirabundi imitentur, vt illius gloria ſuam quoque prouehant, & ſcriptis ſuis illius æmulatione concilient æternitatem. Vnum addimus, qui Ciceronem ſpernit, nondum intelligere, quæ proba & genuina ſit Latinitas. Aſiaticam abundantiam nonnulli ei obiiciunt; ſed fruſtra; quia non tam Aſiaticus eſt dicendi genere, quam Rhodius, quod genus medium eſt inter Atticum & Aſiaticum: & propterea vtrique, vt videtur, facile præferendum.

XXIII. Sed ad ſocios eius in hoc ſtudio, & adiutores conuertamur, in quibus duos ſupra eximios laudabamus. Vnus eſt *M. Terentius Varro*, qui plurima ſcripſit, quæ præter libros de *Re ruſtica*, interierunt; ſcripſit etiam de *Latina lingua* libros, niſi fallimur, viginti quatuor, e quibus ſex tantum, neque hi plane integri, ſuperſunt: ex quibus clare conſtat, quan-

quanto ſtudio laborauerit, vt patrium ſermonem ad id, quod ſummum eſt, adduceret, ſicut etiam cum Cicerone aliisque perduxit. Alter *C. Iulius Caeſar*, vir maximis intentus rebus, & totus in republica & cura bellorum, nihilominus grammaticis ſtudiis etiam operam aliquam impendit, & in eo argumento duos libros *de Analogia* compoſuit, & Ciceroni dedicauit, tamquam principi in hac arte, quem iisdem libris dixit *inuentorem copiae*. De quibus ipſe Cicero in Bruto cap. LXXII ita iudicauit ſub alterius perſona: *Quin etiam ex maximis occupationibus quum ad te ipſum, inquit, in me intuens, de ratione Latine loquendi accuratiſſime ſcripſerit, primoque in libro dixerit,* VERBORVM DELECTVM ORIGINEM ESSE ELOQVENTIAE, cetera. Eodem libro inerat ſaluberrimum illud, quod Gellius lib. I cap. X ſeruauit, vt *tamquam ſcopulum, ſic fugiamus inauditum atque inſolens verbum.*

XXIV. Eodem tempore floruerunt *Criſpus Salluſtius* & *Cornelius Nepos*: hic pura elegantia nihil concedens Ciceroni; ille aemulus quidem Thucydidis, vt Paterculus lib. II cap. XXXVI vocat: at nonnunquam nouas adfectans dictiones, quas Seneca epiſt. CXIV examinauit, vnde Gellius lib. I cap. XV *nouatorem verborum* appellauit: quod etiam ad notiones nouas, quales in vocibus *ſupplicium* & *neceſſitudo* obſeruamus, referre liceat. Demtis his, quae pauca ſunt, hiſtoricum ſaeculo ſuo digniſſimum habemus, generi dicendi Attico magis, quam copioſiori, ex aemulatione Thucydidis addictum. Ceterorum, ingenium ex epiſtolis ad Ciceronem datis, quae vel ſolae ſuperſunt,

ſunt, excultum ſane & elegantiæ ſtudioſum cognoſcimus.

XXV. Magnus prouentus ingeniorum ſub Auguſto erat, ſed in hiſtoricis T. Liuius Patauinus eminuit: cui Quintilianus lib. x cap. I *lacteam vbertatem* tribuit, eumque Herodoto comparatum, dicit *cum in narrando miræ iucunditatis, clariſſimique candoris, tum in concionibus, ſupra quam enarrari poteſt eloquentem. Sic enim ducere omnia cum rebus tum perſonis commodata, & adfectus, præcipue eos, qui ſunt dulciores, neminem hiſtoricorum commendare magis:* ideoque lib. II cap. V Liuium ab adoleſcentibus magis, quam Salluſtium, legendum eſſe iudicat. Nihil autem tam altum eſt, cui non detrahat inuidia. *Aſinius* enim *Pollio*, vir clariſſimus, Ciceronis & Auguſti temporibus, neſcio quam peregrinitatem in T. Liuii hiſtoricis libris notauit. Quintilianus lib. VIII cap. I. *In T. Liuio, miræ facundiæ viro, putat ineſſe Pollio Aſinius quamdam Patauinitatem*, id eſt dictionem, quæ Patauium magis, quam Romam, redoleat. Fuit hic *Aſinius* ſumma dignitate, rebus præclare bello, pace geſtis, etiam ingenio pollens & induſtria: ſed quod ſummis nonnunquam hominibus adhæret vitium, ſui amore inuidus aliis, iis maxime, quos ſuæ gloriæ credebat poſſe obſiſtere. Nam, quod Marcus Seneca Suaſoria VI dicit, *infeſtiſſimus famæ Ciceronis permanſit*: & iniquo animo tulit, vt ſuaſoria inſequenti eſt proditum, Ciceronem iam occiſum, laudatum eſſe a Cornelio Seuero poeta: ſed quam vere, quam æque ita adfectus fuerit, mille teſtes ſunt, qui obloquantur. Sugillauit

idem

idem Pollio Iulii Cæſaris de bello Gallico & ciuili commentarios, vt Suetonius refert in Vita cap. LVI, quaſi *parum diligenter, parumque integra veritate compoſiti ſint, quum Cæſar de iis, quæ per alios geſta erant, temere crediderit; quæ per ſe, vel conſulto, vel memoria lapſus, perperam ediderit.* Quis vero non deprehendit malignitatem huius cenſuræ? quam cordatius M. Cicero, alias parum fauens Cæſari, & Aulus Hirtius apud eumdem Suetonium de iisdem commentariis iudicauerunt? Qui ergo iniquus fuit in laudatiſſimos viros, Ciceronem atque Cæſarem, quid mirum, ſi non æquior etiam in T. Liuium, his maxime æqualem, fuerit? Quid? quod neque ingenio, neque moribus par iis, quibus inuidebat, videtur exſtitiſſe. Auctor Dialogi de Oratoribus cap. XX de eo dicit, *videri ſibi inter Menenios & Appios ſtuduiſſe, expreſſiſſeque Pacuuium & Attium: durum & ſiccum eſſe.* Et Tacitus annalium lib. I. cap. XII *ferociam* in ipſo notauit. Hæc ſufficiant pro vindicando Liuio, quem pluribus ab hac iniuria vir clariſſimus Daniel Georgius Morhofius in *de Patauinitate Liuiana* libro adſeruit.

XXVI. Poetæ illius æui *Virgilius, Horatius, Ouidius, Catullus, Tibullus*, aliique notiores ſunt, quam vt laudari in præſenti opus ſit. Hoc addimus, in aureo hoc ſæculo non omnium æqualem fuiſſe induſtriam, ſicut neque omnibus vis par erat ingenii: quosdam etiam ita deditos materiæ fuiſſe, quam ſcribebant, vt illa onerati ſtilum eleuare vix potuerint. In quo cenſu *Vitruuium* locamus, meliorem architectum, quam litteratorem: quo nonnulli etiam *Manilium* refe-

referunt, de cuius ætate non omnes conſentiebant, quem vero Scaliger & Voſſius fortiter tuentur.

XXVII. Ab exceſſu Augusti videtur Latinitas inclinatior quodammodo facta eſſe, qua de cauſſa hinc *argenteam* eius *ætatem* ſeu *ſeculum* incipimus. Seneca Rhetor præfatione libri I Controuerſiarum teſtis ſit, ita ſcribens filiis ſuis: *Vt poſſitis æſtimare, in quantum quotidie ingenia decreſcant, &, neſcio qua iniquitate naturæ, eloquentia ſe retro tulerit; quidquid Romana facundia habet, quod inſolenti Græciæ aut opponat aut præferat, circa Ciceronem effloruit. Omnia ingenia, quæ lucem noſtris ſtudiis attulerunt, tunc nata ſunt: in deterius deinde quotidie data res eſt.* Ipſe in cauſſas mutationis inquirit, & primum adlegat *luxum temporum*, quia nihil tam mortiferum ſit ingeniis, quam luxuria. Vere dictum. Summa felicitas ſæculi Auguſtei excitauit patres, antea natos, vt ingenium exercerent: non itidem eorum filios, qui paterna fortuna ſæpe corrumpuntur, vt licentius viuant, quam pro litterarum ſtudiis, quæ ſobrios, abſtinentes & induſtrios cultores ſibi poſtulant. Deinde in cauſſis numerat, *quod præmium pulcherrimæ rei cecidiſſet.* Et hoc veriſſimum: quia ſtudia honore & præmiis excitantur, prouehuntur: iis autem ſubtractis cadunt, iacent, nec facile poſſunt erigi. Sic eſt enim, vt ad Flaccum Martialis libro VIII epigrammate LVI ſcripſit,

Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones.

Quid vero præmii a ſæuiſſimis tyrannis Tiberio, Caligula, Nerone, litterarum ſtudia exſpectare potuerunt? Domitianus autem, (nam & hic ad argenteum ætatem

tem pertinet) non tantum in eruditos homines, ſed in libros etiam ſæuiit: illos ex Italia expellens; hos, id eſt ingeniorum monimenta clariſſima comburens in foro ac comitio.

XXVIII. *Fatum* quoque accuſat Seneca & eius malignitatem, quod vero nihil eſt, quia quæ fato imputantur, a Dei ſunt prouidentia, quæ in pœnam delictorum aſperiora permittit, vt caſtigentur homines, & bonis ſuis cautius vtantur, nec ad iram Deum ignauia luxuriaque prouocent. Addit Morhofius *faſtidium*, quod ex bonorum abundantia oriatur, quia hæc indoles eſt mortalium, vt quorum copia vbique proſtat, negligentius tardiusque appetant: quod & noſtrorum temporum moribus confirmatur, quibus quo paratiora omnia ſunt ad ſummam eruditionem conſequendam, eo negligentius, etiam identidem obtruſa, adſumuntur, plurimique malunt in ſemidoctorum ignobili cenſu manere, quam ſtudio & induſtria ad veram gloriam eniti.

XXIX. Egregius Veſpaſianus erat, & liberaliter profeſſores litterarum fouebat; ſed breue eius & Titi imperium: & quæ bene vterque ſanxerat, Domitiano, diſſimillimo patri fratrique, ſunt euerſa. Reſuſcitauit Vlpius Traianus, ſed tardiora remedia, quam mala ſunt. Superarunt tamen ingenia, vt magnus illorum ſub optimo principe prouentus eſſet, quem Plinius in epiſtolis laudauit: multi vero etiam pigre ad ſtudia coibant, vt idem lib. I epiſt. XIII queſtus eſt. Traiani conſtituta manſere ſub Hadriano & Antonino Pio, ſed ita manſere, vt deeſſet noua & repetita ſuſcitatio: quo factum eſt, vt ſub Pio magis

Digitized by Google

gis magisque decreſcerent bonæ litteræ, & *argenteum* Latinitatis *aurum* in *aeneum* conuerteretur.

XXX. Antequam vero ex argentea ætate excedamus, de prouinciarum Latinitate aliquid dicendum eſt, quia vel origo illius, vel cultura melior in hanc ætatem incidit. Vetuſtiores quidem prouinciæ etiam antea Latinæ linguæ ſtuduerant, ſed mediocri ſucceſſu, adeo, vt Cicero pro Archia. c. x dicat, Cordubæ natos poetas pingue quoddam atque peregrinum ſonare. Poſtea vero, vincente ſtudio & induſtria, cultiſſimi facti Hiſpani, vt vtriusque Senecæ, & Lucani, & Martialis exemplo notum eſt. *Galliarum* quoque *ſoboles Auguſtoduni liberalibus ſtudiis operata* fuit Tiberii temporibus, vt Tacitus annali III cap. XLIII obſeruauit. Fuiſſe autem in ſtudiis illis præcipuam eloquentiam, eamque Latini oris, ex ſucceſſoribus, ibidem has litteras docentibus, conſtat, e quibus *Eumenius* rhetor eſt, ex aula Conſtantii, in qua magiſter ſacræ memoriæ fuerat, miſſus in hanc ciuitatem, vt eloquentiam, maiorum in prouincia more, ingenti ſtipendio doceret: quod ex oratione eius *pro reſtaurandis ſcholis* clariſſime intelligitur. Durocortori Remorum ita liberalia ſtudia, & ipſa eloquentia Latina, florebant, vt Cornelius Fronto ex Hadriano æuo nobilis rhetor, apud Conſentium, veterem grammaticum, *Athenis* comparauerit. Pro Britannia Tacitus loquatur Vita Agricolæ cap. XXI. Romanis ait curæ fuiſſe, *principum filios liberalibus artibus erudire*, quippe *ingenia Britannorum ſtudiis Gallorum anteferebant*, *vt qui olim linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiſcerent.*

Digitized by Google

XXXI. Aenea ætas Latinitatis, vt diuturnior eſt prioribus, ita varia admodum, & nunc magis, nunc minus inclinans in barbariem, prout tempora erant, & ingenia hominum ac imperantium mores. Iam enim arcanum illud euulgatum erat, poſſe principem etiam aliunde legi, quam ex Italia, aut prouincia cultiore. Quum enim Afri, Thraces, Arabes, Dalmatæ, Pannonii imperarent, quisque ſuæ gentis homines in aulam adductos, gerundis rebus præfecit, quo fieri non potuit, quin Latinus ſermo magis magisque per barbaros eiusmodi homines, inter Latinos agentes, conſpurcaretur. Id vero mirandum eſt vtique, poſteriorem huius ætatis partem priori in his ſtudiis præferendam eſſe, cuius rei eamdem cauſſam credimus fuiſſe, quæ fuerat decrementi ſub initium ætatis argenteæ. Quod enim Traiani æuo ad ſummum prope ſtudia reducta fuerant, & vbique propagata; denuo faſtidium cepit homines, ac incuria primum, deinde inertia, vt fieri ſolet, inſequuta. Fuit quidem egregius imperator M. Antoninus, ſed melior philoſophus, quam litterator: etiam Græcæ linguæ, quam Latinæ, amantior, id quod ex conſuetudine philoſophorum habuit. Medio tempore vix cultioris ingenii ſcriptorem habemus, præter *Cenſorinum*, & ex Chriſtianis *Minucium Felicem*: quibus iuriſconſultos, in Pandectis laudatos, adiungimus, quos legum priſcarum tractatio in puriore litteratura continebat. Quum tempus appropinquaret, vt cæleſtis doctrina, ſubmotis tyrannis, liberius propagaretur, etiam Latinitas magis reſtituta & exculta fuit, non tantum a profanæ ſuperſtitionis hominibus, in quibus rheto-

res

res & panegyriſtas Conſtantinianí æui numeramus; verum etiam ab ipſis Chriſtianis, *Arnobio* Afro, & *Firmiano Lactantio*; aliisque, quibus & peregrinæ ſectæ ſcriptores, *Aurelius Macrobius*, *Magnus Auſonius*, & *Cl. Claudianus* non impares extiterunt.

XXXII. Poſt Honorii tempora magis magiſque deficiebat Latinitas, barbaris vndique in Romanum imperium inuadentibus, nec iam prædæ agendæ cauſſa, ſed vt ſedem figerent, & perpetuo poſſiderent. Sic Franci, Germanica gens, Galliam ſuperiorem: auſtralem partem Viſogothi, & inde eiecti a Francis, Hiſpaniam occupauerunt. Saxones Britanniam: & ipſa Italia a Gothis primum, deinde a Langobardis per aliquot ſæcula fuit inſeſſa. Hinc factum eſt, vt Latina lingua tam in Italia, quam in prouinciis cum barbarorum ſermone commiſceretur, indeque nouæ linguæ Hiſpanica, Gallica, Italica, orirentur, quæ principio erant horridæ hybridæque ſatis: poſt, ſucceſſu temporis & ipſæ poliri cœperunt ornarique, vt quæque nunc in ſua gente habeatur nitidiſſima.

XXXIII. Interea Latina lingua ægre ſeruata eſt inter Chriſtianos, maxime in monaſteriis & propter ſacrorum vſum, quæ ex longa conſuetudine, quia hæc lingua in prouinciis valuerat, ita retinebantur a poſteris. Initio incurſionis barbarorum ſeruabatur, aliquamdiu ex ſuperiori tempore repetita & propagata Latinitas; poſt magis magiſque fuit deprauata. Vnde etiam in illis ſcriptoribus, qui inter Honorium & Carolum Magnum fuerunt, notabile diſcrimen reperitur, nec poſteriores cum prioribus comparandi. Id vero omnino dignum obſeruatione eſt, poetas etiam

Digitized by Google

poſteriorum temporum ornatiores eſſe, quam ſolutæ orationis auctores. Quod in Sidonio Apollinari & Paullino Nolano obſeruamus, quorum carmina ſunt nitida & perpolita: epiſtolæ parum elegantes, quia proſa oratione conceptæ. Cuius rei hanc putamus cauſſam eſſe, quod carminum ſcriptores, poetas veteres & legere & imitari neceſſe magis habuerunt, quam ſolute aliquid componentes, qui vel ingenio confiſi ſuo ſcribebant, vel conſuetudini ſe temporum applicabant, ſecuri ac liberi a neceſſitate & induſtria, quam carmina ſcripturis metricæ rationes imponebant: quamquam etiam ſunt (quod de Nolano illo epiſcopo iudicamus) qui licet æque in proſa, quam verſibus elegantes eſſe potuerint, eccleſiæ tamen ſtilo ſe accommodantes, maluerint illius more, quam quo antea inſtituti & vſi fuerant, ſua componere atque proferre.

XXXIV. Eccleſiæ enim ſcriptores, etiam veteres, vt in Tertulliano & Cypriano videmus, ſcripturæ ſanctæ verba vel ex Græco codice Latine exprimebant, vel veterem aliquam verſionem Latinam ſequebantur. Vtroque modo non poterant a vocabulis & formulis ſibi temperare, quæ Latio ignota, originem ab Ebraiſmo habebant, vel a Græcis ebraizantibus. Hoc quidam parcius fecerunt, priſcæ elegantiæ etiam in ſacra materia obſeruantes, vt Minucius, Arnobius, Lactantius, P. Chryſologus, atque Hieronymus; quidam ex induſtria fugerunt morem, quem a pueris didicerant, in eo laudem ſibi paratam exiſtimantes, ſi vnico nouo illo & ſacro ſtilo vterentur: quo in cenſu Cyprianum, & magis Paullinum Nolanum putamus habendos

bendos

Digitized by Google

bendos eſſe. Auguſtinus huius diſcriminis & noui inſtituti teſtis ſit, ex libro II de Doctrina Chriſtiana cap. XIV. *Qui in ſcripturis ſanctis*, inquit, *quodammodo nutriti educatique ſunt, magis alias locutiones mirantur, eaſque minus Latinas putant, quam illas, quas in ſcripturis didicerunt, neque in Latinæ linguæ auctoribus reperiuntur.* Scilicet ita eſt: Habet eccleſia res nouas, habet ſua myſteria, quæ vtique ſanctis formulis atque vocabulis ſunt efferenda. His ergo in ſacris cunctis negotiis vtatur, æquum eſt; extra ſacrum vſum, & in ciuili negotio liceat etiam elegantius & veterum Latinorum more loqui atque ſcribere.

XXXV. Nec tantum nitor & elegantia Latinæ linguæ barbarorum conuerſatione mutabatur, ſed plane aliæ ac nouæ inde linguæ exſurgebant, & ipſa pronuntiatio ac ſonus litterarum barbarorum fuit ori accommodatus, vt nunc plane ignoremus, quæ priſca & genuina Latinorum fuerit pronuntiatio. Vt enim barbari illi, & regiones, quas inſederunt, inter ſe diſferebant: ſic quoque inter poſteros illorum diuerſitas eſt in pronuntianda Latinitate. Solæ litteræ c & g ſint teſtes luculenti, quæ aliter a Gallis, aliter ab Italis enuntiantur, quæ diuerſitas non alii cauſſæ videtur imputanda, quam quod iſti ex Francorum ore, hi ex Gothorum Langobardorumque aliquid hauſerint. Plura de his tradit Iuſtus Lipſius libro *de Recta pronuntiatione Latinæ linguæ*, qui conſulatur. Id modo adiungimus, neminem hodie ſupereſſe, qui veterem Latinorum pronuntiationem reuocare poſſit, id quod in aliis etiam linguis, quæ deſierunt eſſe vulgares,

Digitized by Google

præſertim in Græca, eſt obſeruandum. Satis firmum eius, quod dixi, eſt argumentum littera Græca K, Latine per c expreſſa, quæ inepte ante certas quasdam vocales ſibilatur, ante alias dure ac Græcorum more pronuntiatur, v. g. *Κικέρων, Cicero, Καῖσαρ, Cæſar, Κόρινθος, Corinthus, Κάτων, Cato.*

XXXVI. De reſtitutione Latinæ linguæ, poſtquam tot ſæculis oppreſſa, fœdata; ac tantum non exſtincta fuerat, vt aliquid adiiciamus, & noſtri muneris videtur eſſe, & pretium quoque operæ. Adflictæ Græcorum res, Turcorum creſcente potentia, auxilio fuere Latinis. Quamquam enim, qui exſules in Italiam veniebant, Græci erant genere; non tamen ignari erant Latinitatis, quæ inde ex Conſtantini inſtituto ſeruata fuerat Conſtantinopoli, vt vel ſolus *Priſcianus*, Conſtantinopolitanus grammaticus, documento eſt. Primus fertur Græcarum litterarum in Italia reſtitutor *Chryſoloras* fuiſſe: non dubitamus, quin etiam Latinarum elegantiarum, quia qui ex ſchola eius prodierunt, bene omnes Latine ſcripſerunt, e. g. *Leonardus Aretinus, Franciſcus Barbarus, Baptiſta Guarinus, Poggius Florentinus*. Prior an æqualis Chryſoloræ, Grammaticus ille *Gaſparinus* fuerit, quem Antonius Sabellicus Dialogo *de Latinæ linguæ reparatione* laudat, non habemus dicere. Sufficiat, magna nominis celebritate bonas illum litteras diuerſis in Italia vrbibus docuiſſe. *Laurentius Valla* proximus erat, cuius ingenium induſtriamque nemo ſatis laudauerit. Qui his ſucceſſerunt, vergente XIV ſæculo, *Hermolaus Barbarus, Io. Baptiſta Mantuanus, Io. Picus princeps Mirandulanus, Angelus Politianus,*

&

& alia magna nomina, in horum ſcriptis vel epiſtolis laudata, quam docti, quam politi, quam elegantes extiterunt? miramur, ſub initium reſtitutionis litterarum ingenia fuiſſe cultiora, quam temporibus inſequutis. De quibus idem iudicari decet, quod Paterculus de Homero iudicauit lib. I cap. V, in quo id *maximum* cenſet, *quod neque ante illum, quem ille imitaretur, neque poſt illum, qui eum imitari poſſet, inuentus ſit.*

XXXVII. Sed hoc de noſtro potius, quam ſuperiore, quod proximum his heroibus erat, velimus ſæculo intelligatur, quia ad illorum laudem peruenerunt *Petrus Bembus*, *Antonius Sabellicus*, *Paulus* & *Aldus Manutii*, *Antonius Muretus*, vt alios taceamus his æquales, ſtudiorumque ſocios. Quæ vero cauſſa tantæ doctrinæ, & ex illa natæ gloriæ? non tam ingenium, quod nec hodie defecit, quam ſtudium & induſtriam in cauſſa fuiſſe inuenimus, quod vel vno exemplo breuitatis cauſſa illuſtrare liceat. *Pomponius Lætus*, proximus Vallæ, aut ſuppar meliorum litterarum profeſſor Romanus, vt Sabellicus lib. XI epiſt. vltima refert, princeps Academiæ ſuæ fuit, magno ſtipatus adoleſcentum numero, qui optimas litteras ex ore illius diſcebant. At, quod idem Sabellicus dicit, *profitebatur antelucanis horis, deſcendebatque ex Eſquiliis ad lumen laternæ, niſi pernox luna eſſet.* Bone Deus! quantum mutata noſtra iuuentus ab illa decimi quinti ſæculi Romana? non noctu, ſed claro die, & ſub ipſum meridiem docentur nunc eædem litteræ: quotus quiſque accedit ex iis, qui rerum ſuarum fortuna ad ſummum poſſint hæc ſtudia perducere?

Digitized by Google

nam illi, qui velint proficere, apparatu & ſumtu deſtituuntur. Sed is eſt genius ſæculi, vt plures illotis manibus tantum ea ſtudia attingant, ex quibus plus lucelli ſperant, neglectis iis, quæ ceteris fundamentum præſtant, & animum adducunt ad veram humanitatem.

DISSERTATIO V.
DE
CIMBRIS ET TEVTONIS
PRIMIS ROMANORVM EX GERMANIA HOSTIBVS,

habita Ann. 1701.

VItio humanæ non naturæ, ſed negligentiæ fit, vt externa ſemper in laude; domeſtica in faſtidio ſint. Ad quæ enim noſcenda mortales iter ingrediuntur, maria transmittunt, ea ſub oculis poſita & in ſolo patrio reperienda poſthabent plerique. Citius ſic inueneris qui de India, de Perſide & Scytharum vaſta regione magnifice verba faciant, quam qui patriam ſuam, & quo innati ſolo ſunt, didicerint explicare. A quo peruerſo more, quantum fieri poteſt, vt nos & noſtros reuocemus, patriæque noſtræ, cui ſpiritum debemus

Digitized by Google

bemus & vitæ alimenta, rationem potius, quam exterarum regionum habeamus; viſum eſt nobis *antiquitatis hiſtoriæ Germanicæ* excutere, & exercitationibus nonnullis explorare, vt cognoſcamus, quæ vita maiorum, qui mores fuerint, quas ſedes incoluerint, per quos viros, quibusque artibus libertatem & imperium tutati ſint, & qua occaſione tandem a barbarie ad cultiorem vitam moresque magis compoſitos traducti, veterem gloriam non perdiderint, ſed ampliorem auguſtioremque effecerint, atque etiam conſeruarint.

II. Vtinam vero in ipſa patria inueniamus, quibus vti argumentis atque teſtimoniis poſſimus, vt ab iis, qui hoſtes Germanorum fuere, illa petere neceſſe non habeamus: ſed, proh dolor! ea fuit maiorum noſtrorum ruditas atque barbaries, vt omnem doctrinæ cultum reſpuerent, & quidquid ad rerum geſtarum memoriam gloriamque ſeruandam aliquid confert, in vniuerſum ignorarent, præter incondita quædam carmina, quibus feſtis diebus, & in conuiuiis, maiorum ſuorum res bello geſtas celebrare adſueti fuerant; quæ vero, quod nullis litteris poſteritati fuerunt tradita, diuturnitatis memoriam haud potuerunt conſeruare. Quidquid ergo de ſtatu veteris Germaniæ habemus, Romanorum debetur induſtriæ, quanquam nec illorum monumenta, quæ de Germanis condiderunt, ad noſtram ætatem & memoriam omnia peruenerunt, ſiquidem, quod dolendum eſt, Plinius maior ſeu auunculus, vt ſororis filius lib. III epiſt. v. prodit, quum in Germania militaret, ſomnio monitus, quaſi a manibus Druſi Neronis, qui late victor ibi perierat, *Bellorum Germaniæ viginti li-*

bros compoſuerat, de quibus, quæ temporum eſt injuria, nec vola neque veſtigium ſuperſtat. Pauca ſunt quæ a Græcis habemus, neque hi fere aliunde, quam ab Romanis acceperant; neque Romani aliunde quam ex bellis cum ea gente geſtis, habuerunt. Pugnatum autem plerumque fuit in limite aut etiam extra fines Germaniæ in alieno ſolo; raro in interiore Germanorum terra, quam pauci Romanorum ingreſſi ſunt, nec vnquam omnem peruaſerunt; ſed contenti barbaros remouiſſe, ad ſuum reuerterunt limitem.

III. Primum *Germanorum* nomen, & vna virtus ſiue ferocia, Romanis bello Cimbrico & Teutonico innotuit, quum antea ſecuti de illis infra Oceanum populis, trans Alpes & vltra Rhenum conſtitutis eſſent, & forte pauca, eaque incertiora de iis fando percepiſſent. Tum vero, quum aliquot illorum nationes irruptionem in Italiam tentarent, experti vſu ſunt & repugnatione, qui Germani eſſent, & quam validi atque feroces, vtpote a quibus ſe ſuamque Italiam ægre atque difficillimis pugnis tuerentur. Quum ergo *Cimbri* & ſocii, primi ex Germanis fuerint, quos Romani exercitus adſpexerunt, illorumque audacia & robore mire ſunt fatigati; de Cimbris *hiſtoriam Germanorum veterem* inchoare res ipſa & ordo temporum poſtulat, de quibus in præſentia, quæ inueniri potuerunt, proferemus.

IV. Plures gentes erant, quæ ſocietate facta vno tempore Italiam petebant, ſedem in illa ſibi occupaturæ; ſed in his princeps & præcipua erat gens *Cimbrorum*, a qua totum illud bellum, a variis nationibus

bus aduerſus Romanos geſtum, *Cimbricum* fuit appellatum. Cimbri qui fuerint & unde venerint, ignotum tum temporis Romanis erat, Germanicam gentem, ſaltem Celticam eſſe, poſtquam congreſſi ſunt, ex corporis habitu & proceritate deprehenderunt; qua vero in parte Germaniæ ſedem habuerint, omnino ignorabatur; niſi quod remotiſſimos Germanorum eſſe, & Oceani forſan accolas, ex ſignis quibusdam coniiciebant: quidam etiam ex Sarmatia, ſeu Europæa Scythia, inde a Mæoti palude aduenisse crediderunt, vel quod patriam ibi habuerint, vel ex Germania eodem profectos: de qua re plura poſt, quum de illorum itinere diſſeremus, proferetur. Plutarchus varie hæc diſputauit, in Vita Marii pag. 411, ibidemque in illorum nomen eiusque etymon inquirit. Primum ait, *Κίμβρους ἐπονομάζουσι Γερμανοὶ τοὺς λῃστάς*, *Cimbros Germani vocant Latrones*, quaſi commune nomen & appellatiuum ſit, quod Teutonica lingua latronem ſonet. Plutarchus videtur ex Strabone hauſiſſe, qui lib. VII pag. 203 de Poſidonio vetere hiſtorico, dicit, *οὐ κακῶς εἰκάζειν, ὅτι λῃστρικοὶ ὄντες καὶ πλάνητες οἱ Κίμβροι*, *non male coniecisse, prædones Cimbros & vagabundam gentem eſſe*, quales vtique cenſeri potuerunt, poſtquam patriam reliquerant, nouas quæſituri vi & armis ſedes. An vero ea vis & notio ipſius ſit vocabuli, vt Plutarchus credidit, nec vero a Poſidonio, neque a Strabone dictum fuit; non ſine cauſſa dubitamus, immo negamus ſtrenue. Quis enim tunc Romanis dixit, latrones Germanis appellari *Cimbros*, quum ipſa Germanorum gens illis adhuc incognita, multo magis

lingua eſſet? quæ etiam ſententia eſt Philippi Cluverii, clariſſimi viri, lib. III German. antiq. cap. XXIII. Nam quod neceſſe in cunctis migrationibus fuit, vt quo vaga gens tranſiret, prædando ſe ſuſtentaret; id non ſufficit ad probandum, nomen gentis *prædones* proprie ſignificare. Vt ergo aliæ gentes Germanorum proprias appellationes habuerunt, quarum originem inueſtigare non poſſumus: ita etiam Cimbrorum nomen cenſemus proprium fuiſſe, non commune aut appellatiuum.

V. Deinde Plutarchus a *Cimmeriis* alios id nomen deducere proponit, qui Aſiæ ſupra Pontum populi fuerunt, quæ etiam Poſidonii opinio fuit apud Strabonem, ſed fallax vtique & inutilis, vt quæ præter litterarum conuenientiam quamdam nihil quidquam probabilitatis habet. Tolerabilius eſt quando idem Plutarchus dicit, gentes illas, e quibus Cimbri fuerunt, κοινῇ Κελτοσκύθας, *communiter Celtoſcythas* dictos fuiſſe. Celtæ enim omnino fuerunt, vt omnes Germani, licet Gallis id nomen præcipue adhæſerit: non autem proprie fuerunt Scythæ, licet propiores illis habitauerint, Oceano tamen interiecto. Nam ideo Scythas appellari, quod a Boſphoro Cimmerio aduenissent, vt diximus, eſt fabuloſum.

VI. De ſede Cimbrorum, quam initio ignorabant, poſt bellum certiores facti Romani ſunt, eſſe magnam peninſulam ab oſtiis Albis in ſeptemtrionem longe procurrentem. Strabo, χεῤῥόνησον οἰκοῦντες, *peninſulam inhabitantes*, quæ inde a Ptolemæo lib. II cap. XI Κιμβρικὴ Χερσόνησος, *Cimbrica Cherſoneſus* appellatur. Tacitus de Germania cap. XXXVII *Cimbros*

ſinum

Digitized by Google

ſinum Oceani tenere dicit. Strabo videtur quidem à ſiniſtra Albis ripa locare, ſiue inter Rhenum & Albim; verum ſibi non conſtat, quia ibi nulla peninſula eſt, quæ tam numeroſam gentem accipiat: Ptolemæus autem peninſulam illam ſatis accuratè, quantum peregrinis tum temporis noſſe licuit, deſcriptam nobis reliquit.

VII. Antequam vero ad migrationem Cimbrorum perluſtrandam adgrediamur, de ſociis illorum ex Germania adſumtis, aliquid adnotandum eſt. *Teutoni* hi a Cicerone pro Lege Manilia cap. xx, Cæſare lib. I B. Gall. cap. xxxIII, & xl, & lib. II, cap. IV ac alibi; Floro lib. III cap. III, Epitoma Liuii LXVII. vocantur, qui Plutarcho & Ptolemæo ſunt Τεύτονες, & Eutropio *Teutones* lib. V cap. I. Sociorum ceteri in Gallia vel Heluetia adſumti ad Germaniam nihil pertinent, infra in hoc ipſo Cimbrorum bello explicandi. Qui ergo *Teutoni* olim dicti fuerint, in præſentia diſquirendum eſt. Ptolemæus in Germania circa Chaluſum fluuium, qui nunc Traua vocatur & in Codanum ſinum effunditur, *Teutonos* proxime ab ortu ante Suevos conſtituit. Pomponius Mela videtur latius per inſulas Oceani ſiue Codani ſinus diſpergere, lib. III cap. III. *Super Albim*, inquit, *Codanus ingens ſinus magnis paruiſque inſulis refertus eſt. Hac re mare, quod gremio litorum accipitur, nuſquam late patet, nec vſquam mari ſimile, verum aquis paſſim interfluentibus, ac ſæpe transgreſſis, vagum atque diffuſum facie amnium ſpargitur* - - - *In eo ſunt Cimbri & Teutoni: vltra, ultimi Germaniæ Hermiones.* Subobſcure dictum: quia Cimbri in peninſu-

la, vt ſupra probatum: Hermiones in continenti videntur fuiſſe. Vbi ergo Teutoni, ſi non in paruis magniſque Codani, de quibus tam ſollicite agit, inſulis? Firmat hæſitantes ipſe mox cap. VI. *In illo ſinu*, inquit, *quem Codanum diximus*, *ſex* (ſunt inſulæ), *ex iis Scandinauia, quam adhuc Teutoni tenent, vt magnitudine alias, ita fecunditate anteſtat.* Sic Voſſius legit & Gronouius: alii Codanonia, vt etiam Cluuerius, qui lib. III Germaniæ cap. XL, de primaria Daniæ, Seelandia, interpretatur: priores vltra fretum in Scandiam, auſtralem Suedorum partem, remouent, quæ priſcis etiam fuit inſula credita. Quoquo modo illud nomen ſeſe habet (nam variant libri) exinde non incertum eſt, *Teutonos* Codani ſinus inſulas, quæ a Cimbrica Cherſoneſo vsque ad Scandiam ſunt, quas nunc Danicas appellamus, & forte etiam in continente Germania partem circa Chaluſum amnem eiuſque oſtia, quæ ſubiecta illis inſulis ſunt, incoluiſſe. Hinc eſt quod paſſim cum Cimbris, tamquam finitimi, apud prædictos auctores coniungantur. Neque vocabulum illorum tum temporis omnes Germanos ſignificabat, ſed tantum aliquos ex ſeptemtrionalibus, quia Germania tum temporis per ſinum illum & vltra in transmarinas regiones extendebatur. Sero factum, vt *Teutonorum* nomen toti Germaniæ imponeretur, quemadmodum a Galliis nomen *Alemannorum*.

VIII. Duos hic populos habemus, qui egreſſi ex patria nouas ſedes quæſierint, Teutonos atque Cimbros. Quæ cauſſa migrationis fuerit, nunc diſpiciendum eſt. Strabo lib. VII poſt initium dicit, nonnullos

nullos tradere Cimbros *μεγάλῃ πλημμυρίδι ἐξελθεῖν ἐκ τῶν τόπων*, *magna inundatione* coactos *migraſſe* ex terra ſua, quam *Χεῤῥόνησον*, *peninſulam* ibidem vocat. Ipſe vero negat id eſſe ſibi probabile. Quamquam enim in maritimis oris nonnunquam fiunt eiusmodi exundationes maris, partem terræ ſubmergentes; non tamen tantæ ſunt, vt propterea integra natio neceſſe habeat aufugere; neque ſi facta eſt inundatio tempeſtate oborta, talis illa perpetuo manet, ſed recurrit in mare aqua, terra ſiccatur; & contra noua pericula aggeribus molibusque munitur. Ipſa magna peninſula ad hunc vsque diem habitata multitudine populorum quos tenet, abunde probat, fictam falſamque fuiſſe illam ex inundatione migrandi cauſſam atque rationem.

IX. Verior cauſſa fuit, quæ omnium populorum ſeptemtrionalium, in cultiores regiones, præſertim medio æuo, deſcendentium, vt Scytharum, Gothorum, Vandalorum, Hunnorum, Langobardorum Auarum, Bulgarorum & ipſorum, quos ſcriptores illius ætatis *Τούρκους πρὸς ἕω*, *Turcos orientales* vocant. Quod enim ſeptemtrio ex cæli inclinatione minus ferax frugum eſſet quam regiones aliæ; & barbari homines neſcirent terræ colendæ rationem; creſcente hominum multitudine in illas terras proficiſci parabant, quarum eximiam fertilitatem fama præcognouerant. Egregie id Corn. Tacitus lib. IV Hiſt. cap. LXXIV oratione Cerialis, qua etiam Cimbrorum Teutonorumque mentionem fecerat, manifeſtauit. *Eadem*, inquit, *ſemper cauſſæ Germanis transſcendendi in Gallias, libido atque auaritia, & mutandæ ſedis*

amor

amor, vt relictis paludibus & ſolitudinibus ſuis, Fecundiſſimum hoc ſolum vosque ipſos (Treuiros Lingoneſque) *poſſiderent.*

X. Inuenta cauſſa, quæ ſine dubio vera fuit, quamquam minus iuſta, ſed cum inſtituto veteres colonos expellendi, quæ ſumma iniuria eſt, coniuncta; ad iter deſcribendum, quod ingreſſi ſunt, vt in Italiam peruenirent, Cimbri Teutonique, nunc adgrediemur, quod vere difficilius ad inueſtigandum eſt, dum pauca ſunt, quæ hiſtoriæ de illo tradant. Quod enim ingens multitudo erat & duo diuerſi populi ſeu nationes; vno agmine vix ire potuerunt, ſed diuiſis copiis, vt commeatus facilior eſſet, diuerſis itineribus ad Italiam videntur contendiſſe. Prima fama aduentantis barbaræ & ignotæ gentis Romanos terruit circiter annum IↃCXL. Metello & Carbone conſulibus. Tacitus ſatis probatus teſtis nobis eſt de Moribus Germanorum cap. XXXVII. *Sexcenteſimum*, inquit, *& quadrageſimum annum vrbs noſtra agebat, quum primum Cimbrorum audita ſunt arma, Cecilio Metello ac Papirio Carbone* COSS. *ex quo ſi ad alterum imperatoris Traiani conſulatum computemus, ducenti ferme & decem anni colliguntur. Tamdiu Germania vincitur.* Diuiſis populis Cimbri eam viam ſecuti dicuntur, vt in Illyricum deuenirent, inde tranſcenſuri in Italiam. Iter vagæ gentis quale fuerit, definiri non poteſt, quia incertum, recta ne via an per ambages ad Illyrios fines progreſſi fuerint. Mediam certe Germaniam quæ circa Albim & Danubium eſt, oportet tranſiiſſe antequam in Noricum venirent indeque ad fines Illyriorum, per quos quousque proceſ-

ſerint,

Digitized by Google

ſerint, æque dubium eſt atque incertum. Id tamen probabilius videtur, ad interiora Illyridis non peruenisse, quia Italiam, non Dalmatiæ montes, conſtituerant occupare, nec in Illyrica, ſed Carnorum regione prope Illyricos fines primam pugnam cum Romanis commiſerunt, vt ex Liuio & Strabone mox probaturi ſumus. Quantus terror tum Romanos ex ſola fama & nuncio inuaſerit, Eutropius prodit ineunte lib. v, tantus videlicet quantus vix Hannibalis tempore Punici belli fuerat.

XI. Contra hos miſſus eſt Papirius Carbo conſul, vt a tranſitu in Italiam prohiberet, qui vero infeliciter cum illis congreſſu primo depugnauit. Liuii Epitoma LXIII, *Cimbri, gens vaga, populabundi in Illyricum venerunt: ab iis Papirius Carbo conſul cum exercitu fuſus eſt.* Si ille Liuii liber ſupereſſet integer, plura & de gentis immanitate, & de itinere atque excurſionibus intelligeremus: ſed ſummario, quæ temporum iniuria eſt, adquieſcere debemus, ex quo tamen hoc cognoſcimus, vagando populandoque veniſſe ad extremas haſce Illyrici atque Italiæ regiones. Cladem Romanorum, ibidem a Cimbris acceptam, memorant etiam alii. Velleius lib. II cap. XII, *effuſa immanis vis Germanarum gentium, quibus nomen Cimbris ac Teutonis erat, quum Cæpionem Manliumque* coss., *& ante Carbonem Silanumque fudiſſent fugaſſentque*, cetera. Carbonis itaque clades prima fuit Romanis hoc bello Cimbrico inlatarum. Plutarchus etiam in Vita Marii pag. 414, ἢ τὰ Κάρβωνος αὐτὸν φόβει καὶ Καιπίωνος, οὓς ἐνίκησαν οἱ πολέμιοι; *an vero Carbonis caſus & Cæpionis*

terrent ab hoſtibus oppreſſorum? Certa ergo clades ipſa: certus annus, quia conſul victus eſt, teſtante Liuio: locus pugnæ nunc certior etiam definiendus. Paterculus dixit *in Galliis*: ſed de pluribus, quos coniungit, intellige, Cæpione Manlio, Silano: non etiam de Carbone: niſi *Galliis* etiam Ciſalpinam vna intelligas, ad quam illi populi, qui poſt Venetos erant ſub Carnicis Alpibus, quodammodo etiam referebantur. Strabo lib. v pag. 148 omnem dubitationem eripit, *Noreiam* vrbem vocat, ad quam Carbo a Cimbris ſuperatus fuit. Hanc dicit mille ducentis ſtadiis ab Aquileia abeſſe, poſitam ad flumen nauigabile, quod Tiſauentum eſt, vt adeo *Noreia* in Carnorum Tauriſcorumque confinio non ignoretur. *Nauigatur*, inquit, *aduerſo flumine* εἰς Νωρηΐαν πόλιν, περὶ ἣν Κναῖος ὁ Κάρβων, συμβαλὼν Κίμβροις, οὐδὲν ἔπραξεν, *in Noreiam vrbem, circa quam Cn. Carbo, cum Cimbris committens, male rem geſſit.*

XII. A tempore quo Papirius Carbo in Carnis victus a Cimbris eſt, quid Cimbri anno inſequente & proximo egerint, non omnino eſt compertum. Quamuis enim victores eſſent, non auſi tamen Italiam ante inuadere, quam cum ſociis, qui alia via profecti fuerant, ſeſe coniunxiſſent. Haud dubie ergo per ſuperiores partes ex Illyrico & Carnis ita circuierunt Italiam, vt ſupra Alpes circa Heluetios Allobroges in lucem Galliæ ſeſe proferrent, quod vel ex pacto vel famæ nuncio habuerant, ibi vel aduenisse Teutonos vel proxime exſpectari. Interea vagati ſunt per Gallias, & tandem in Hiſpaniam irruperunt, dum, & illa

illa vaſtata prouincia; à Celtiberis repulſi ſunt in Gallias. quamquam hæc tum certum ſatis ſit, an etiam, & quando cum Teutonis ſe coniunxerint. De his ergo, & illorum itinere, quo in Galliam profecti ſunt, nunc etiam eſt diſſerendum.

XIII. *Teutoni* ex patria ſua vel eodem tempore, quo Cimbri vel alio poſt anno profecti, Rhenum verſus iter inſtituerunt, quo neceſſe fuit per tractum illos, qui inter Albim & Rhenum eſt, atque ita per maiorem Germaniæ partem eſſe vagatos. Superiorem Rhenum an inferiorem traiecerint, non quidem manifeſto eſt proditum: pronius autem ad fidem, inferiorem amnem tranſmiſiſſe, quia mox in Eburonibus & Atuaticis apparuerint. Cæſar lib. II B. Gall. cap. XXIX *Atuatici ex Cimbris Teutoniſque prognati, qui, quum iter in prouinciam noſtram atque Italiam facerent, his impedimentis, quæ ſecum agere ac portare non poterant, citra flumen Rhenum depoſitis, cuſtodiæ ex ſuis ac præſidio ſex millia hominum vna reliquerunt.* Hi poſt eorum obitum multos annos a finitimis exagitati, quum alias bellum inferrent, alias illatum defenderent; conſenſu eorum omnium pace facta hunc ſibi domicilio locum delegerunt. Eadem Dio Caſſius lib. XXXIX ſub initium: Ἀτουατικοὶ καὶ τὸ γένος, τό τε φρόνημα τὸ τῶν Κίμβρων ἔχοντες, *Atuatici & genere & ingenio Cimbri erant.* Et Appianus Alexandrinus de Bellis Gallicis extremo, ἦσαν τῶν Κίμβρων καὶ Τευτόνων ἔκγονοι, *erant* (quos Cæſar e Neruiis & Atuaticis vincebat) *Cimbrorum Teutonorumque poſteri.* Teutonos autem Rhenum traiecisse, diſerte Velleius dixit lib. II cap. VIII. *Tum*

 Cim-

Digitized by Google

Cimbri, inquit, *& Teutoni transſcendere Rhenum, multis mox noſtris ſuisque cladibus nobiles.* Coniungunt hi auctores Cimbros cum Teutonis, vel a nobiliore poſt gente ſociatos barbaros nominantes, quamuis ſine Cimbris eſſent: vel quod pars Cimbrorum cum Teutonis profecti ſunt, maiore illorum parte in Carnos antea & Illyricum digreſſa. Rheno traiecto inferiore non quidem potuerunt per Belgas non transire in prouinciam Romanam; quamquam Remorum legati eodem lib. II cap. IV Cæſari narrant, *ſolos Belgas eſſe, qui patrum memoria omni Gallia vexata Teutonos Cimbrosque intra fines ſuos ingredi prohibuerint.* Nam vix de omnibus hoc poteſt intelligi, ſed de iis forſan, qui longius ab Rheno remoti etiam ſuperiore ſunt, ad quem videntur inclinaſſe quum tranſitum ad Heluetios ſibi pararent, cum iisque fœdere coniungerentur. *Ambrones & Tigurinos*, quod omnes annales dicunt, in ſocietatem adſciuerunt, quod probabilius eſt a Teutonis peractum fuiſſe, priusquam Cimbri ex Illyrico & Carnis in Galliam circa Heluetios erupiſſent. His enim vel in Hiſpania morantibus, vel in alios Galliarum populos forte profectis, Teutoni & Ambrones in prœliis aduerſus Marium nullos præterea ſocios dicuntur habuiſſe, vt infra de prœliis pluribus tradetur.

XIV. Longe lateque tum Gallia fuit vaſtata, præter Belgicam, quæ reſtitit Cimbrorum ſociorumque vexationibus, vt ſupra ex Cæſaris lib. II Gall. cap. IV oſtendimus, Belgas intra fines ſuos prohibuiſſe Cimbros ingredi; quod non de primo tranſitu Teutonorum intelligas, ſed de aliquot annis poſteriori excurſione

ſione per Gallias, cui ſoli Belgæ dicuntur reſtitiſſe. Quod autem fatum fuerit ceterarum Galliæ partium, Critognatus apud Cæſarem lib. VII cap. LXXVII oſtendit. *Quid ergo*, inquit, *mei conſilii eſt? facere quod noſtri maiores nequaquam pari bello Cimbrorum Teutonorumque fecerunt, qui in oppida compulſi ac ſimili inopia ſubacti, eorum corporibus, qui ætate inutiles ad bellum videbantur, vitam tolerauerunt, neque ſe hoſtibus transdiderunt.*

XV. Vaſtationibus hiſce videntur aliquot anni abſumti eſſe, quia inter Carbonis cladem, qui conſul fuerat quadrageſimo poſt ſexcenteſimum vrbis annum, vsque ad conſulatum M. Silani, id eſt quadrageſimum quartum annum, nihil occurrit in hiſtoria a Cimbris Teutoniſque contra Romanos ſuſceptum. Silano autem conſule inſigni clade rurſus Romani adfecti ſunt. Tum enim per legatos Cimbri Teutonique agrum ab Romanis petere cœperunt, quem quum hi non poſſent dare, neque æquum eſſet ſuum relinquere & aduenæ concedere multitudini, aut alios finitimos adigere ad emigrandum, vt externi peregrinique locum inuenirent: ferro ſibi eum parare barbari conſtituerunt, Florus lib. III cap. III, *miſere legatos in caſtra Silani, inde ad ſenatum, petentes, vt Martius populus aliquid ſibi terræ daret quaſi ſtipendium: ceterum, vt vellet, manibus atque armis ſuis vteretur. Sed quas daret terras populus Romanus, agrariis legibus inter ſe dimicaturus? Repulſi igitur, quod nequiuerant precibus, armis petere conſtituunt.* Hinc initium cladium Romanarum in Gallia, de quibus idem Florus pergit dicto loco narrare: *Sed ne primum*

 qui-

quidem impetum barbarorum Silanus, nec ſecundum Manlius, nec tertium Cæpio ſuſtinere potuerunt. Nondum omnes ſunt: plures enumerauit Marianus miles quidam, apud Quintilianum Declam. III conqueſtus: *ſtrage noſtrorum campi latent. iam fugatorum Carbonis atque Silani ſub comparatione felix militia eſt. iacet poſt amiſſum Scaurus exercitum. Seruilii Manliique bina cum tot legionibus caſtra perdidimus.* Neque hic numerus ſufficiens eſt: Lucius quoque Caſſius eſt addendus, a Tigurinis cæſus, vt omnino ſex, pleroſque conſulares exercitus perdiderint Romani, antequam duce Mario vincerent, & tandem Cimbros Teutonoſque funderent atque delerent. Ex quo ſatis de robore & impetu Germanarum gentium, quæ tot exercitus Romanorum proſtrauerunt, conſtare poteſt.

XVI. De ſingulis eo ordine agemus, quem Liuius nobis diuerſis libris ſignauit, vt exinde de annis etiam iudicare poſſimus. Poſtquam enim Epitoma eius LXIII de Carbonis clade actum fuerat, Epitoma LXV de Silano ita eſt traditum: *M. Iunius Silanus conſul aduerſum Cimbros infeliciter pugnauit. Legatis Cimbrorum, ſedem & agros, in quibus conſiderent, poſtulantibus, ſenatus negauit.* Silani huius victi præter antea dictos auctores meminit etiam Velleius Paterculus lib. II cap. XII: *Carbonem Silanumque fudiſſe fugaſſeque* (Cimbros ac Teutonos) *in Galliis.* Sed omnium clariſſime nobis totam cauſſam reliquit deſcriptam Aſconius Pedianus ſub finem commentarii in Ciceronis pro C. Cornelio. *M. Silanus*, inquit, *quinquennio ante conſul fuerat, quam Domitius tribu-*

nus

nus plebis: atque ipſe quoque aduerſus Cimbros rem male geſſerat. Quam ob cauſſam Domitius eum apud populum accuſabat. Criminabatur, bellum cum Cimbris iniuſſu populi geſſiſſe, idque principium fuiſſe calamitatum, quas eo bello populus accepiſſet: ac de eo tabellam quoque dedit: ſed pleniſſime Silanus abſolutus eſt. Miramur ergo, quid Eutropio in mentem venerit, quum lib. IV extremo ſcripſit: *a M. Iunio Silano, collega Q. Metelli, Cimbri in Gallia victi ſunt.* Lapſus memoria eſt bonus cetera hiſtoriarum breuiator. nam *infeliciter*, Silanus, Liuio teſte, *pugnauit*; aut, Pediano, *male rem geſſerat.*

XVII. Hæc prima in Gallia clades, poſt illam in Carnis Papirianam: ſecunda quæ fuerit, ſententiarum diuerſitate diſceptatur. Liuius eadem Epitoma LXV cum Silani infelicitate coniunxit interitum *L. Caſſii*: tum demum Epitoma LXVII *Scaurum* ſcribit a Cimbris victum captumque. Et Tacitus de Germ. cap. XXXVII hoc ordine clades illas diſpoſuit: *Germani Carbone, & Caſſio, & Scauro Aurelio, & Seruilio Cæpione, M. Manlio fuſis vel captis, quinque ſimul conſulares exercitus populo Romano abſtulerunt:* vt ita Caſſii interitus cladem Scauri videatur præceſſiſſe. Contra Carolus Sigonius, in Faſtos conſulares, Caſſii caſum biennio poſtponit, ipſis faſtis perſuaſus, quibus, vt Caſſiodorus edidit, hic ordo conſulum obſeruatur:

Quintus Metellus & M. Silanus,

Ser. Galba & M. Scaurus,

L. Caſſius & C. Marius.

Si itaque, Silanus conſulatum geſſit quadrageſimo quarto anno, interque eum & Caſſium intercedit Scau-

rus; vtique Scauri in Gallia imperium conſulare prius fuit, quam L. Caſſii. In eo videtur cardo verti controuerſiæ, vtrum M. Aurelius Scaurus, quum cæſus a Cimbris eſt, fuerit eiusdem anni conſul, quod dixit Paterculus dicto loco, *Scaurum Aurelium conſulem, & alios celeberrimi nominis viros* (Cimbri) *trucidarunt.* At Liuius Epitoma LXVII *M. Aurelius Scaurus, legatus conſulis, a Cimbris fuſo exercitu captus eſt.* Negat hic conſulem eo anno fuiſſe: tantum *legatum* dicit *conſulis*: quod, ſi recte faſti ſe habent, vltra L. Caſſii conſulatum proferendum eſt, quod nobis etiam videtur probabilius, Liuio cum Tacito conſentiente. Caſſii autem illius calamitas proxime inſecuta cladem Silani, non a Cimbris Teutonisue, ſed horum ſociis Tigurinis fuit inlata. Cæſar lib. I. Gall. cap. XII *Is pagus appellabatur Tigurinus. nam omnis ciuitas Heluetia in quatuor pagos diuiſa eſt. Hic pagus vnus quum domo exiſſet, patrum noſtrorum memoria L. Caſſium conſulem interfecerat, & eius exercitum ſub iugum miſit.* Epitoma Liuii LXV *L. Caſſius conſul a Tigurinis Gallis, pago Heluetiorum, qui a ciuitate ſeceſſerant, in finibus Allobrogum cum exercitu caſus eſt. Milites, qui ex ea clade ſuperauerunt, obſidibus datis & dimidia rerum omnium parte, vt incolumes dimitterentur, cum hoſtibus pacti ſunt.* Memorat etiam Paulus Oroſius lib. V cap. XV. *Iisdem,* inquit, *Iugurthini belli temporibus L. Caſſius conſul in Gallia Tigurinos vsque ad Oceanum perſecutus, rurſumque ab iisdem inſidiis circumuentus, occiſus eſt.* Fuiſſe autem hunc Caſſium cum C. Mario conſulem,

quam-

quamuis Faſti Siculi diſſentiant, adfirmat tamen Plinius lib. x cap. XIII.

XVIII. Si Liuium ſequimur, poſt Caſſianam cladem Scaurus legatus conſulis male rem geſſit & cum exercitu periit. Sigonius, vt prædiximus, diſſentit, eo falſus, quod Scaurum in conſulatu periiſſe perſuaſum habet, inductus forſan a Velleio in illam opinionem, qui itidem Scaurum conſulem dixit, qui tantum conſularis fuit & legatus conſulis. Infelicem eius pugnam omnes ſcribunt, Tacitus, Quintilianus, Liuius, Velleius, & hic quidem *trucidatum* narrat; Quintilianus declamatione III, *iacere poſt amiſſum exercitum*; Liuii Epitoma LXVII plenius: *M. Aurelius Scaurus legatus conſulis, a Cimbris fuſo exercitu captus eſt: & quum in conſilium ab iis euocatus deterreret eos, ne Alpes tranſirent Italiam petituri, eo quod diceret Romanos vinci non poſſe; a Bolo rege, feroci iuuene, occiſus eſt.* Plura de ipſo non habemus, niſi quod conſul fuerat anno proximo ante Caſſium & Marium, quibus, ſi bene ſe faſti habent, ſucceſſit Seruilius Cæpio cum Attilio Serrano, ſub quibus videtur Aurelius Scaurus, legatus alterius conſulis, vt Liuius loquitur, infeliciter cum hoſtibus pugnaſſe.

XIX. Quamuis enim vulgo credant, Cæpionem conſulem fuſum ab hoſtibus fuiſſe: tamen id pugnat cum Liuio in Epitoma iam dicta, vbi proconſulem vocat; & cum Dione Caſſio in Excerptis Valeſianis pag. 631, vbi dicitur conſuli Manlio ſiue Mallio *συνάρχων, imperio par, τῷ δὲ ἀξιώματι, ἅτε ὑπάτου ὄντος αὐτοῦ ἠλαττοῦτο, titulis tamen & dignitate illo, vtpote conſule, minor erat.* Proinde Cæpio-

nis calamitatem in annum poſt conſulatum eius, quo Caius Manlius & Rutilius Rufus conſules erant, id eſt quadrageſimum octauum a ſexcenteſimo vrbis, reiicimus. Fuit autem ille annus propterea infelix, quod bina caſtra & duo exercitus, alter conſulis Manlii, alter proconſulis Seruilii Cæpionis victi & proſtrati ſunt. Quintilianus dicto loco: *Seruilii Manliique bina cum tot legionibus caſtra perdidimus.* Breuiator Liuii ex lib. LXVII, *ab iisdem hoſtibus Caius Manlius conſul & Quintus Seruilius Cæpio proconſul victi prælio, caſtris quoque binis exuti ſunt.* Notamus ergo in prædicto Velleii loco, vt minus curate dictum, Cimbros ac Teutonos Cæpionem Manliumque *conſules* fudiſſe fugaſſeque: quippe iam intelleximus non conſulem eo anno Cæpionem fuiſſe, ſed pro conſule.

XX. Videtur coniuncta vtriusque clades fuiſſe, ſed ita, vt culpa penes Cæpionem eſſet: Inuidia enim aduerſus conſulem, ne ille ſibi laudem victoriæ præriperet, omnia fertur conturbaſſe, vt ſolus cum hoſte confligeret. Iuſſus autem cum conſule caſtra coniungere, primum recuſauit, deinde coniunxit, quia metuebat ne ſolus conſul hoſtem profligaret, quam gloriam illi inuidebat: & vt ſibi primas laudes pararet impediretque conſulem, coniunxit quidem caſtra cum eo, ſed ita, vt media eſſent inter conſulis caſtra & hoſtium. Hæc Dionis Excerpta, ad quæ antea prouocabamus, tradunt, ex quibus intelligitur, ipſum ſibi Seruilium fuiſſe cauſſam infelicitatis. Vterque autem victus fuit, & hoſtes redditi eorum clade ferociores. Præter Liuium id etiam Salluſtius

mo-

memorauit extremo Iugurthino. *Per idem tempus*, inquit, *aduorſum Gallos ab ducibus noſtris Quinto Cæpione & M. Manlio male pugnatum.* *Gallos* vocat, quia in Gallia commiſſa pugna, etiam cum Gallis, Cimbrorum ſociis, quia Cimbris & Teutonis tres Galliæ populi ex Heluetiis adiunxerant, *Ambrones*, *Tigurini*, *Tugeni*. Etſi enim hiſtorici tantum duas gentes nominarunt; tamen non dubitamus, quin cum Strabone, Poſidonium ſecuto, lib. VII poſt initium, *Tugenos* adnumeremus, qui forte ceteros multitudine non æquauerunt, ideoque ab hiſtoricis & fama publica prætermiſſi ſunt. Oroſius lib. V cap. XVI de hac re ita ſcripſit: *Manlius conſul & Quintus Cæpio proconſul aduerſus Cimbros & Teutonas & Tigurinos & Ambronas, Gallorum & Germanorum gentes, quæ tunc, vt imperium Romanum exſtinguerent, conſpirauerant, miſſi, prouincias ſibi Rhodano fluuio medio diuiſerunt. Vbi dum inter ſe grauiſſime inuidia & contentione diſceptant, cum magna ignominia & periculo Romani nominis victi ſunt: ſiquidem - - - octoginta millia Romanorum ſociorumque eadem tempeſtate trucidata, Antias ſcribit.* Loquitur de primis caſtris Rhodano diuiſis, antequam coniungerentur. Tanto autem ex ſtrage illa damno adfecti Romani ſunt, vt diem illius pugnæ inter nefaſtos, æque vt Allienſem, quod Plutarchus in Lucullo pag. 510 notauit, referrent. Florus, neſcimus quo auctore, disiungit clades, Manliumque prius victum eſſe, quam Cæpionem, narrat. *Nec primum*, inquit, *impetum barbarorum Silanus, nec ſecundum Manlius, nec tertium Cæpio ſuſtinere potuerunt.* Sed quod

Digitized by Google

quod Dio dixit caſtra coniunxiſſe, probabile eſt vno tempore fuiſſe profligatos, quod vero in cauſſa cladis Seruilius Cæpio, vt ex dictis apparuit, fuerat (quibus alia violatæ religionis ſuſpicio acceſſit) idcirco male acceptus a ciuibus fuit, quum Romam reuertiſſet. Valerius Maximus lib. IV cap. VII exemplo 3, *Tribunus plebis Cæpionem in carcerem coniectum, quod illius culpa exercitus noſter a Cimbris & Teutonis videbatur deletus, veteris arctaque amicitiæ memor publica cuſtodia liberauit: nec eatenus amicum egiſſe contentus, etiam fugæ eius comes acceſſit.* At oblitus ſui Valerius lib. VI cap. IX exemplo 13, *in publicis vinculis ſpiritum depoſuiſſe* Cæpionem, *corpusque carnificis manibus laceratum*, memorauit. Durius hoc, quam pro Romana manſuetudine, ideoque prius ſequendum magis eſt, præſertim quod & Liuius lib. LXVII de pœna Cæpionis hæc tantum in epitoma reliquit: *ſecundum populi Romani iuſſionem, Cæpionis, cuius temeritate clades accepta erat, damnati bona publicata ſunt, primi poſt regem Tarquinium; imperiumque ei abrogatum.* De violata religione quod diximus ſupra, ita ſe habet, vt Oroſius lib. V cap. XV refert, Cæpionem capta Toloſatum vrbe magnam vim auri & argenti ex templo Apollinis ſuſtuliſſe, quaſi ad publicum aut ſacrum alibi vſum ſeruaturus eſſet: clam autem cuſtodibus interfectis, ſibi per ſcelus rapuiſſe. Vnde etiam quæſtio Romæ de ipſo acta fuerit.

XXI. Quum itaque in ſummo timore Romani eſſent, ne Galli Germanique in Italiam penetrarent, & tot ducibus cæſis, tot amiſſis exercitibus, non habe-

rent

rent cui hæc prouincia decerneretur; ad C. Marium, recentem Iugurthæ regis victorem ſpes omnis fuit conuerſa. Florus dicto loco: *Actum erat, niſi Marius illi ſæculo contigiſſet.* Velleius Paterculus: *populus Romanus non alium repellendis tantis hoſtibus magis idoneum imperatorem, quam Marium, eſt ratus. Tum multiplicati conſulatus eius.* Sed tum abſens in Africa erat, ex qua quum reuertit, triumphauit de Iugurtha, & ad Cimbrorum bellum ſociorumique animum adplicuit. Quod quum protraheretur, nec Cimbri Teutonique, victis Manlio & Cæpione, admodum properarent in Italiam transire: quæſtio noua in diſceptationem venit, quo anno Cimbri in Hiſpaniam receſſerint. Sunt qui ante hoc tempus diſceſſionem illam factam putent, propterea quia ab Lucio Caſſio cum ſolis Tigurinis in Allobrogum regione decertatum ſit. Verum dubitatur, an id ſufficiat ad comprobandum, quia tot nationes in vno hærere loco non poterant, neque commeatus eis ſuffeciſſet: ſed vti diuerſis ducibus parebant, nunc huc nunc illuc vagabantur, & prædas agebant, vnde vitam tolerarent: quo fieri vtique potuit, vt in ſolos Tigurinos conſul Caſſius incideret. Quod ſi ergo Liuium eiusque ordinem ſequemur, diſceſſus Cimbrorum in Hiſpaniam Mario iterum conſule factus fuit. Poſtquam enim triumphum Marianum deſcripſerat, addit tandem: *Cimbri vaſtatis omnibus, quæ inter Rhodanum & Pyrenæum ſunt, per ſaltum in Hiſpaniam transgreſſi, ibique multa loca populati, a Celtiberis fugati ſunt: reuerſique in Galliam bellicoſis ſe Teutonis coniunxerunt.* Id quod non ita intelligendum

eſt,

eſt, quaſi eodem anno, quo ingreſſi, reuertiſſent Cimbri ex Hiſpania, ſed haud dubie ibidem etiam tempus vaſtandis tot locis conſumſerunt, vt aliis conſulibus inuaſiſſe Hiſpaniam, aliis reliquiſſe eandem ſtatuendum ſit. Secundus itaque & tertius conſulatus Marii apparatu fuit extractus, nec prius, quam quarto conſulatu eiusdem Marii, quo Q. Catulum collegam habebat, prœlio pugnatum fuit cum hoſtibus.

XXII. Non metu, vt hoſtes interpretabantur, ſed ſumma prudentia, & vere imperatoria, dilata pugna fuit a Mario, vt metus Romano militi eximeretur. Quum enim aliquoties male pugnatum fuit, & hoſtibus audacia creuit ex fortuna; non conſultum eſt denuo periculis tremefactos milites exponere: vt Q. Fabius cunctator fecit, cuius hæc calliſsiſſima ars vincendi fuit, *differre pugnam* ſeu *nolle pugne*. Idem hoc bello prudentiſſime fecit Marius. Erat enim contra atrociorem hoſtem, quam in Africa fuerat, miles exercendo præparandus. Itaque Marius aut in caſtris continuit milites, aut in opere exercitauit, vt & labore fortiores fierent, & mora quotidiani conſpectus hoſtium (nam propinqua caſtra erant) adſueſcerent illorum toruitatem ferre, nec ſibi ab illa amplius timere. Prouocarunt ſæpius Romanos ad certamen; ſemper recuſauit conſul Marius, meliorem exſpectans rei gerendæ occaſionem. Pertæſi moram Cimbri circumeundo Alpes alio loco in Italiam per Noricos irrumpere quæſiuerunt, quibus alter conſul Q. Catulus cum exercitu oppoſitus fuit; Teutoni vero & Ambrones, qui iuxta Marium relicti erant,

tan-

Digitized by Google

tandem præter Romana caſtra tranſibant Alpes verſus, quaſi tranſituri in Italiam, & per ludibrium rogabant, an aliquid ad parentes vellent Romani aut vxores, ſe proxime cum illis fore. Illo vero tranſitu, qui per aliquot dies extractus eſt propter multitudinem, Romanus miles magis magiſque didicit barbarorum faciem, horribilem antea, contemnere. Tranſmiſſis omnibus Marius quoque caſtra mouit ab Iſaræ & Rhodani confluente, ſi Oroſius recte deſignauit, & hoſtes ad Aquas Sextias adſecutus eſt, caſtraque illorum caſtris oppoſuit: & quia milites labore exercitatos habebat (nam *foſſam Marianam*, nauigationibus, præſertim Maſſilienſium, perutilem, interea effecerant, quam Mela lib. II cap. V, & Plinius lib. III cap. IV deſcripſerunt) quum, inquam, ſic milites exercitatos paratoſque haberet, non dubitauit ille, vbi prima occaſio tulerit, ſigna in hoſtes conferre & acie dimicare.

XXIII. Ad victorias nunc Romanorum, poſt tantas clades acceptas, accedimus perluſtrandas. Scilicet ita ordo rerum cæleſti prouidentia conſtitutus eſt, vt damna, quæ admonent nos humanæ fragilitatis, meliorum ſubinde interuentu repenſentur. Et vt fortuna numquam ſimpliciter indulget, ſed aduerſos euentus interponit: ſic nec mala noſtra ita ſunt perpetua, vt non tandem lætioribus rebus ac ſucceſſibus permutentur. Tempus erat Romanam rempublicam, quæ Deo ſemper curæ fuit, poſt diuturna mala recreari, id eſt poſt annum decimum aut ferme vndecimum a clade prima Papirio Carboni ad fines Illyricos inlata. Quarto enim demum conſulatu

latu Marii, id eſt anno ſæculi quinquageſimo primo poſt ſexcenteſimum vrbis, ſpes melior ſalutis & victoriæ adfulſit. Adſecutus erat hoſtes Marius ad Aquas Sextias, nonam tum coloniam Romanam, nunc quoque ciuitatem non incelebrem. Digreſſis Cimbris & Tiguriilis, cum Teutonis res erat & Ambronibus. Cimbri autem, vt Plutarchus in Mario refert pag. 414, ἔταχον διὰ Νωρικῶν ἄνωθεν ἐπὶ Κάτλον χωρεῖν, καὶ τὴν πάροδον ἐκείνην βιάζεσθαι, *ſortiti erant per Noricos ſuperne aduerſus Catulum proficiſci, atque aditum illum* (in Italiam) *perrumpere.* De quo mox in Catuli rebus plura referentur. Prima pugna fuit cum Ambronibus, qui & ipſi pagus Heluetiorum erant, ſupra xxx millia armatorum ſub ſignis habentes, vt Plutarchus in Mario pag. 416 prodidit. Hi ſeparata caſtra a Teutonis habebant, iisque profligatis nox incubuit, qua nullam victor victis quietem permiſit, ſed ſemper a paucis clamore excitato, quaſi inuaſuri eſſent territos, macerauit eos vigilia, vt poſtero die ad pugnandum eſſent debiliores. Sic enim Iulius Frontinus lib. II ſtratagematum cap. IX obſeruauit: victor *Marius, victis prœlio Ambronibus, reliquias eorum & Teutonos, quia nox circumuenerat, circumſedens, ſublatis ſubinde clamoribus per paucos ſuorum territauit, inſomnemque hoſtem detinuit; ex eo conſecutus, vt poſtero die irrequietum facilius debellaret.* Nec minus enim die altero fuſi & proſtrati ſunt Teutoni, eorumque duces & rex Teutobochus, vt Florus vocat, capti, vt nihil hoſtium Romanis iam in Gallia pupereſſet. O fidem hominum! quanta ſtrages fuit edita. Florus poetica, vt ſolet, vſus hyperbole,

bole *tanto ardore* dicit *pugnatum eſſe, eamque cædem fuiſſe hoſtium, vt victor Romanus de cruento flumine, non plus aquæ biberit, quàm ſanguinis barbarorum.* Plutarchus ait, Maſſilienſes poſtmodum τοῖς ὀστέοις περιθριγκῶσαι τοὺς ἀμπελῶνας, *cæſorum oſſibus vineas circumſepſiſſe.* Liuius Epitoma LXIIX tradit *cæſa hoſtium ducenta millia; capta nonaginta.* Cui incredibilior videtur numerus, minuat paulliſper cum Paterculo dicente: *amplius centum quinquaginta millibus hoſtium priore ac poſtero die a Mario trucidatos, gentemque exciſam Teutonorum.*

XXIV. Non par felicitas initio fuit penes Catulum, neque is valuit Cimbris reſiſtere in Alpibus, quo minus illi perrumperent, penetrarentque in ſubalpinam Italiam. Quod enim iterum Plutarchus pag. 418 notauit, Catulus Cimbrorum impetum ſuſtinere non valens, nec territum militem retinere quin fugeret, coactus eſt retrò recedere eo vſque, vt Ἀτίσωνα, *Atheſin*, (non Toſam) eis, poſt Padum flumen maximum, obiiceret, Φραξάμενος πρὸς τὰς διαβάσεις ἑκατέρωθεν ἰσχυροῖς χαρακώμασι, *poſitis vtrimque aduerſus tranſitum vallis & aggeribus.* Verum neque hanc ſtationem, quin Cimbri tranſirent, tueri Catulus potuit. Is nuncius & vrbem nouo terrore impleuit, & caſtris quoque Marii ex victoria gaudium interuertit. Raptim ergo Marius in auxilium collegæ copiis per Alpes transmiſſis, opportuno aduenit tempore, quùm hoſtes late vaſtata Transpadana, denuo agrum & ſibi ac ſociis ab Romanis poſtulauerunt. Cimbri enim Teutonos exſpectabant, neſcii, ad internecionem cæſos deletosque eſſe, nec

Digitized by Google

crediderunt prius, quam Marius captiuos duces & regem illis oſtentaret. Sic deſperatis rebus iam non pro ſede occupanda, ſed pro vita & ſalute in campo Raudio, qui ad Vercellas eſt, vt ex Plutarcho obſeruamus, acerrime dimicauerunt: victi tamen & cæſi plurimi, pars quoque non exigua capti, & Catulo quoque eiusque copiis poſt fugam virtus in præcordia reuertit, fortiusque ex illa parte & præclarius pugnatum in hoſtes eſt, quam a victore exercitu Marii. Eutropius dicto loco: *Iterum a C. Mario & Q. Catulo contra Cimbros dimicatum eſt, ſed a Catuli parte felicius; nam prælio, quod ſimul ambo geſſerunt,* CXL *millia, aut in pugna, aut in fuga, cæſa ſunt;* LX *millia capta. Romani milites ex vtroque exercitu trecenti perierunt. Tria & triginta Cimbris ſigna ſublata ſunt. Ex his exercitus Marii duo reportauit: Catuli exercitus triginta & vnum.* Florus itidem: *in patentiſſimo, quem Raudium vocant, campo concurrere. millia inde ad ſexaginta ceciderunt; hinc trecentis minus: per omnem diem conciditur barbarus. --- Boiorix rex in acie dimicans, impigre nec inultus occubuit.* Addit ducis aſtum, quam *artem Cannarum* vocat & Hannibalis imitamentum, elegiſſe nebuloſum diem, vt hoſtem falleret; & ventoſum, vt puluis in oculos & ora eius ferretur. Nec minus ille, qui Liuium excerpſit, præclare eamdem rem nobis tradidit. *Cimbri,* inquit, *repulſo ab Alpibus fugatoque Q. Catulo proconſule, qui fauces Alpium obſederat, & ad fluuium Atheſin caſtellum editum inſederat reliqueratque, quum virtute ſua expliciti fugientem proconſulem exercitumque conſecuti, in Italiam traie-*

ciſſent;

Digitized by Google

ciſſent; iunctis eiusdem Catuli & C. Marii exercitibus, prælio victi ſunt ab iis, in quo cæſa traduntur hoſtium CXL. *millia capta ſexaginta.*

XXV. Pugnatum eſt III Calendas Sextiles, feruentiſſima æſtate, vt vel anni tempus præſertim intra Italiam, Cimbris populis, frigoribus adſuetis, per ſe fuerit incommodum. Feminis quoque Cimbrorum non defuit quod virtutis ſpeciem referret, ſaltem indolem aliquam barbarica maiorem generoſioremque oſtenderet. Victis, cæſis maribus, dedere ſe, niſi honeſta conditione, noluerunt, ipſæ ex caſtris plauſtriſque libertatem telis contiſque propugnantes. Et quum libertatis ac ſacerdotii conditionem (hanc a victore poſtulauerant) non impetraſſent, mori, quam ſeruire, maluerunt, eliſiſque infantibus ſuis, laqueo, etiam ex crinibus, ſi alius non ſuppeteret, facto, vitam ſibi eripuerunt. Florus ſæpe dicto loco hoc ſpectaculum deſcripſit, quod ſatis quidem atrocitatis habet, profectæ tamen ex indole Germanorum gentis pæne propria, vt libertatem omnibus rebus antferrent, illamque tuerentur fortiſſime. Et quid miramur hæc in mulieribus, vitæ, fortunæ per omnia ſociis maritorum? ipſæ beſtiæ, ex Germania adductæ, per conſuetudinem didicerant quod Romani milites admirarentur. Plinius enim lib. IIX. cap. XLI *canes* ait, *Cimbris cæſis, domus eorum plauſtris impoſitas defendiſſe*, vt nec viris feminiſque extinctis facilis præda hoſtibus ad occupandum eſſet.

XXVI. Sic Teutoni, Ambrones, Cimbri cæſi omnes erant: ſuperabant ſoli Tigurini, qui cum Cimbris ex Gallia in Noricum profecti, illis in Italiam irrum-

Digitized by Google

pentibus, has partes ſibi ſumſerant, vt ſubſidio Germanis eſſent, illosque tranſitus & ipſum Noricum ad incertos belli euentus pro Cimbris cuſtodirent. Nec dubium cuſtodiuiſſe aliquamdiu: clade autem Cimbrica audita, aut antea etiam, cognito hoſtium apparatu, diffugerunt omnes, vt vndique ab Alpibus nihil haberet Italia, quod poſthac ſibi a barbaris gentibus, quæ conſpirauerant in Romanos, exſtinctis & dilapſis omnibus, timeret. Florus prædicto loco: *tertia Tigurinorum manus, quæ quaſi ſubſidio Noricos inſederat Alpium tumulos, in diuerſa lapſi, fuga ignobili & latrociniis euanuit.*

XXVII. Quinto Marii conſulatu hæc geſta ſunt in Subalpina Italia, tum *Gallia Ciſalpina* vocitata: & nullum genus laudum erat, quod non certatim in Marium congereretur. Quamuis enim Lutatius Catulus ex poſtrema illa victoria plus ſibi, quam Marius, vindicare poterat: tamen Mario, vt Plutarchus ait pag. 421, *προσετίθετο σύμπαν τὸ ἔργον, totum illud præclare factum imputabatur*, quia & ipſe conſul erat; Catulus tantum pro conſule: & niſi a Mario adiutus ſeruatusque fuiſſet Catulus, Cimbrorum impetum, cui in Alpibus conceſſerat, haud credebatur ſuſtentaturus diutius fuiſſe: ad hæc Marius ſuperiore anno in Gallia ſolus Teutonos atque Ambrones, ſine Catuli auxilio, glorioſa victoria deleuerat. Hinc ſextus conſulatus, *veluti præmium meritorum*, vt Velleius ait, C. Mario eſt datus, quamquam, quod Plutarchus adnotauit, ambitione multa illum, inuito optimo quoque Romanorum, parauerat. Hinc gratulationes, & tituli, ac tropæa,

quæ

quæ poſtea Sulla deiecit, Caius Cæſar reſtituit, vt Suetonius in Vita tradit cap. XI: illique ſoli triumphum voluit ſenatus decernere, quem ipſe vero cum Catulo, ne milites offenderet, communicauit. Omnibus hiſce honoribus, vtcumque ampliſſimis, maior illa laus erat, & omnium oribus ſonabat, quam Cicero, ciuis eius, crebro repetebat, & æternis ſcriptis ſuis inſeruit. In Catilinam IV cap. X, *Sit*, inquit, *in æterna gloria Marius, qui bis Italiam obſidione & metu ſeruitutis liberauit.* BIS, hoc eſt quarto & quinto conſulatu, in Gallia Transalpina & Transpadana Italia, hoſtes barbaros, Italiam occupaturos, cædendo. Ideo Orat. III in Catilinam cap. X Marium vocat *cuſtodem huius vrbis*, eamdem ob liberationem ab incurſione Germanicarum gentium. Id quod repetitur ad Quirites poſt reditum cap. IV, vbi itidem C. Marium vocat *cuſtodem libertatis atque imperii Romani*. Bene tum actum cum Mario fuiſſet, ſi ſexto illo conſulatu, aut breui poſt, vita exceſſiſſet, antequam ciuile bellum concitaret, quod omnem gloriam eius ſpurciſſime fœdauit. Sed in ipſo quoque contigit, quod T. Liuius lib. IX cap. XVII obſeruauit, nihil magis felicitati heroum atque gloriæ obſtare quam longæuitatem, quia vel fortunæ inconſtantia fiat, vel morum ex ſucceſſu rerum in deterius immutatione, vt ſi diutius viuant ſummam adepti gloriam, inſigni quadam calamitate adficiantur, quam Marius quidem ſuperauit, crudelitatis autem ignominiam, ex ambitione contractam, euadere & ſuperare non potuit.

XXVIII. Auxit honorem C. Marii dignitas operum, quæ ex manubiis dedicauit, ædem ſcilicet Honori &

Digitized by Google

Virtuti, vt ante Marcellus fecerat Punico ſecundo bello Syracuſis expugnatis. Teſtatur vetus inſcriptio, quæ omnes conſulatus Marii, & quid in vnoquoque geſſerit, enarrat, etiam dedicationem ſacræ ædis adiungit, quæ exſcripta a Sigonio & Grutero eſt; a nobis, in quantum noſtrum inſtitutum poſtulat, excerpta:

C. MARIVS C. F. - - - - - III CONSVL ABSENS CREATVS EST. IIII CONSVL TEVTONORVM EXERCITVM DELEVIT. V CONSVL CIMBROS FVGAVIT. EX IEIS ET TEVTONEIS ITERVM TRIVMPHAVIT - - - - - DE MANVBIEIS CIMBRICEIS ET TEVTONICEIS AEDEM HONORI ET VIRTVTI VICTOR FECIT.

Coniuncta hæc numina ſua Romani voluerunt vel vno templo, vel coniunctis proxime, vt vnum videatur, quia honor virtutis comes eſt, neque ſeparari ab illa poteſt. Videtur autem renouaſſe ædem Marcelli Marius, non nouum condidiſſe. Pompeius Feſtus lib. XVII in voce SVMMISSIOR: *Summiſſiorem aliis ædem Honoris & Virtutis C. Marius fecit, ne, ſi forte officeret auſpiciis publicis, augures eam demoliri cogerent.*

XXIX. Tandem de reliquiis Cimbrorum aliquid etiam dicendum eſt. Neque enim exiſtimandum, periiſſe omnem gentem tanta clade, quamuis forſan nulli aut pauci admodum ex acie in patriam refugerunt. Sex millia illa Cimbrorum, quæ vt Cæſar refert lib. II B. Gall. cap. XXIX, in Atuaticis, primo in Galliam ingreſſu, relicta fuerant, in immenſum poſtea

ea excreuerunt. Sed eſto illos Teutonos potius, quam Cimbros, fuiſſe, qui alia videntur via profecti, in Belgica ſedem vix figere potuerunt: tamen nec Cimbrorum nomen & populus interiit. Non enim credibile eſt, ad vnum omnes domo profectos fuiſſe, vt nouas ſedes occuparent: ſed qui numero abundabant, aut ſpem fortunæ melioris, cum periculis & difficultate coniunctam, præſentibus rebus anteponi maluerunt; hi videntur egreſſi eſſe ex patria, relictis, ſi non pluribus, tamen vtique multis, quibus, vt poeta ait, ſalinum paternum ſatis menſa tenui ſplendebat. Nam poſt has clades & Cæſarum temporibus Cimbros in antiquis ſedibus, ſeu magna illa ab Albis oſtio peninſula fuiſſe, & nomen priſcum conſeruaſſe, graues & probatæ fidei teſtes litterarum monumentis tradiderunt. Strabo lib. VII pag. 202, *De Cimbris*, inquit, *quædam inepte dicuntur, quædam probabilitatem habent non mediocrem. Non enim hac de cauſſa eos, vt incertis vagarentur ſedibus, & latrociniis victum quærerent, compulſos eſſe crediderim, quia e peninſula, quam inhabitauerant, diluuio fuerint eiecti:* καὶ γὰρ νῦν ἔχουσι τὴν χώραν, ἣν εἶχον πρότερον, *nam hodieque illam regionem inhabitant, quam tenuerant olim: nuperque Auguſto lebetem, qui apud ipſos ſanctiſſimus erat, dono miſerunt, amicitiam expetentes, & veniam inlatarum iniuriarum; eamque conſecuti, domum reuerterunt.* Non equidem negamus damnum ingens Romano bello accepiſſe, nec poſtea per aliquot ſæcula facile ſuperandum. Quæ omnino cauſſa eſt, cur Tacitus Traiani æuo de Cimbris cap. XXXVII Germ.

Digitized by Google

ſcripſerit: *eumdem Germaniæ ſinum proxime Oceano Cimbri tenent, parua nunc ciuitas ſed gloria ingens.* Ptolemæus etiam, qui poſt Tacitum ſub Marco Antonino, vt Suidas refert, floruit, in intima Cherſoneſo, quam *Cimbricam* vocat, Cimbros populos locauit, tamquam præcipuos, (nam & alios adiungit) vt ab illis ſolis peninſula denominetur. Claudianus, ſub Honorio auguſto non ignobilis poeta, Cimbrorum aliquoties, tamquam ſua ætate exiſtentium, mentionem fecit. De IV conſulatu Honorii verſu 450

—— latiſque paludibus exit
Cimber, & ingentes Albin liquere Cheruſci.

Idem mare, quod inter Rhenum eſt & Albim, eodem libro, verſu 335 *Cimbricum* vocat Oceanum,

—— te Cimbrica Thetys, inquit,
Diuiſum biuia conſumit, Rhene, meatu,

Poſtea, quum Germani in tres magnas gentes diuiderentur, Francos, Saxones & Alamannos, Cimbrorum clarum nomen a nouo *Saxonum* (nam & hos Ptolemæus ad iſthmum Cherſoneſi Cimbricæ poſuerat) tunc latius ſe proferente, ex vulgari vſu videtur ſublatum eſſe, non autem ex memoria annalium; qua perpetuo viget, quod primi fuerunt, qui Germanicis gentibus ad famam & gloriam aditum aperirent.

XXX. Forma reipublicæ Cimbrorum haud dubie fuit eadem quæ ceterorum in Germania, de quibus Tacitus cap. XI tradit, habuiſſe quidem reges atque principes, ſed magna populi reſtrictos libertate, vtpote qui *auctoritate ſuadendi magis,*

quam

quam iubendi poteſtate valuerint. Tales fuere *Beiorix* Cimbrorum, quod nomen etiam Epitomæ LXVII pro *Bolo* reddidit Gronouius; & *Teutobochus*, vt Florus, ſiue, vt Eutropius & Oroſius legunt, *Teutobodus* Teutonorum.]

DISSERTATIO VI.
DE
C. IVLII CAESARIS
Aduerſus
ARIOVISTVM REGEM ALIOSQVE GERMANOS GESTIS BELLIS,
habita An. 1702.

QVi primi Germanorum Romanis in notitiam fortitudinis aut militaris roboris venerunt, Cimbri atque Teutoni, & his coniuncti ex Germania, fuere; eorum, qui poſt illorum clades ſibi iterum ſpem occupandæ Galliæ, & ex ea inuadendæ Italiæ conceperunt, præcipuus erat *Ariouiſtus*, rex Germanorum, quum in Galliam auxilio Sequanis aduerſus Aeduos profectus, cum Galliæ proconſule C. Iulio

 Cæſare

Digitized by Google

Cæſare bellum geſſit, quod magis magisque Germanos irritauit, vt ſæpius deinde in Galliam tranſire, eamque ſuam facere tentarent, licet, quæ Romanorum poteſtas erat, non modo nihil de Gallia tum temporis obtinerent, ſed poſt paullo etiam ſuarum rerum non exiguam partem amitterent. Digna res eſt, quæ ob maiorum memoriam maiori cura & induſtria excutiatur, quam in nos ſuſcipimus quidem, non autem plura per hiſtoriarum paucitatem præſtare poſſumus, quam ex illis, qui ſuperſunt, Græcis Latinisque auctoribus habemus.

II. De nomine *Ariouiſti* non pretii eſt multis verbis diſputare, quod ex Teutonico Ehrenveſt vel Ernſt Latino ore pronatum eſſe quidam coniiciunt. Teutonicum eſſe origine, & a vero ſono, vt plurima propriorum, detortum ab Romanis eſſe, nihil dubitamus: an autem ſuperſit nobis quod illud expreſſerit, incertius poſt tam longinqua tempora eſt, quam, vt credi facile poſſit, aut firmiter perſuaderi. Datur id nomen etiam Inſubrum duci apud Florum lib. II. cap. IV. ſed mire variant Flori codices, vt certum nomen dici non poſſit: & ſi poſſet, Celticum id commune cum Germanis, non Italicum cenſendum eſſet.

III. Nec multo certior eſt & diſtinctior *patria* Ariouiſti Germanici, aut *regia* illius *ſedes* quam habuerit ante, quam in Galliam tranſiret, quia tantum *Germanorum regem* ſcriptores vocant: gentem Germanorum, ex qua ortus fuerit & quam rexerit ſibi ſubiectam, aut quos ſocios adiunctos habuerit, diſtincte ac perſpicue non oſtendunt. Tentabimus tamen, quantum fieri poteſt, vt de patria eius & regia ſede,

ſi

Digitized by Google

ſi non certo, probabiliter tamen aliquid ex Cæſaris hiſtoria, quæ ſola de hoc principe copioſior reſtat; (nec forſan olim plura fuerunt tradita) colligamus, & aliorum comparatione explicemus.

IV. Cæſar lib. I. de bello Gallico cap. LI, Germaniæ populos enumerat, quos Arioviſtus e caſtris ſuis, contra Romanos pugnaturus, eduxerit, *Harudes* videlicet, *Marcomannos*, *Triboccos*, *Vangiones*, *Nemetes*, *Seduſios*, *Suevos*. Non quidem perſpicuum eſt, fuerintne omnes hi ex regno illius exciti ſubiectique poteſtati eius; an quidam ex iis tantummodo auxiliares. Quod vero diutius adhuc in Gallia perſtiterat cum exercitu, hoc eſt, annos quatuordecim, vt cap. XXXVI. & XLVII. libri I. eſſe proditum videtur; vtique plurimi, ſi non omnes, ditioni eius ſubiecti fuerunt. Ex quibus apparet; ipſius regnum in ea parte Germaniæ fuiſſe, quæ Rhenum ſuperiorem ſpectat. Vnde etiam a Sequanis in auxilium vocatus, vt quorum ager ad Rhenum vsque protractus illa tempeſtate fuerat. Marcomani & Seduſii & Harudes erant proprie Germani, partem illam, quæ inter Rhenum & Danubium; ex fontibus ſuis nouum & Nicri confluentem eſt, poſſidentes, antequam a Marobuduo in Boiorum vacuam ſedem, hoc eſt, in Boiohemum traducerentur. Velleius quidem lib. II cap. CVIII ſolos *Marcomanos* a Marobuduo transportatos dicit: quod vero Cæſar dicto loco *Marcomanos*, *Seduſios*, atque *Harudes* coniungit; videntur omnino cum Marcomanis in Boiohemum & ipſi transmigraſſe, quod etiam Philippo Cluuerio placet; quamuis perinde nobis ſit, manſerintne ſuo loco Harudes & Seduſii, an

comi-

comitati fuerint Marcomanos, quia nihilominus antiqua ita ſedes harum gentium illuſtratur, de qua maxime iam diſquirimus: quippe Ariouiſtus noſter ante Marobuduum rex illarum gentium fuit.

V. Non itaque dubitamus, Ariouiſtum Germaniæ partis, quæ Rhenum ſuperiorem verſus eſt, regem vel principem exſtitiſſe: Indeque profectum in Galliam, vt auxilium Aruernis ferret & Sequanis. Quid vero de Triboccis, Nemetibus & Vangionibus dicendum, quos Plinius lib. IV cap. XVII. *Germaniæ gentes* vocat, & Strabo lib. IV pag. 134 Triboccos Γερμανικὸν ἔθνος περαιωθὲν ἐκ τῆς οἰκείας *Germanicam gentem translatam ex ſede ſua?* quod Plinius etiam de Nemetibus, Vangionibusque intellexit. Traductionis tempus in vtramque partem varie diſputatur, & plures putant, inter quos etiam Cluuerius eſt, omnes tres populos ante Cæſaris tempora ex Germania in Gallicum ſolum profectos eſſe: alii de Triboccis concedunt, negant de ceteris, quia ſolos Triboccos Strabo translatos memorauit. Hoc eo pertinet, vt de Ariouiſti poteſtate iudicari poſſit. Si enim nondum traiecerant Rhenum, quum Ariouiſto militatum irent probabile eſt in regno illius fuiſſe, eiusque ſubditos ditioni ac poteſtati: ſin, quum ille in Galliam deuocaretur, trans Rhenum iam ſedes habuere; videntur magis ſocii, quam ſubditi imperio fuiſſe, quia nemo perſuaſerit facile, Ariouiſtum Germanorum regem, trans Rhenum etiam imperaſſe. Vix certi aliquid in re obſcura & parum prodita definietur, vt vir ſummo iudicio Hadrianus Valeſius in Notitia Galliæ ob rei difficultatem ſibi non conſtare videatur,

deatur, dum in *Nouiomago Nemetum*, hanc trigam gentium paullo ante Cæſaris in Galliam aduentum, in parte Belgicæ, Rheno flumini proxima, conſediſſe dicit: in voce autem *Mediomatrici*, conuenire ait, vt credamus, priusquam Plinius hiſtoriam ſuam componeret, Nemetes Vangionesque traieciſſe Rhenum; atque ita longe poſt Tribocos tempore. Quod ſi vero hi tres populi ſub imperio Arioviſti non fuerunt, vicinos tamen & fœderatos belliqne ſocios fuiſſe, ex ipſa Cæſaris narratione certum eſt: vt nihilominus patria ſedes Arioviſti in illis partibus Germaniæ cis Rhenum fuerit, quæ Tribóccis, Nemetibus ac Vangionibus eſt oppoſita.

VI. Denique etiam SVEVORVM in caſtris Arioviſti facta a Cæſare eſt mentio. *Sueuos* autem neſcimus qua ratione aut argumento, Cæſar ſemper vocat, quos poſteriores poſt illum omnes aut plerique vocauerunt *Cattos*, qui a medio Rheno interius late ad Herciniam vsque ſiluam habitarunt, vt in ſede ac locorum poſitione nulla ſit differentia inter Cæſaris Sueuos & reliquorum Cattos. Iam vero, ſi Sueui Cæſaris ſunt aliorum Catti, qui circa Mœni & Loni ripas vsque ad Rhenum, ac Moſellæ confluentem, indeque longisſime interiora tenuerunt; non videtur nobis probabile fieri poſſe, Sueuos Arioviſti milites ex regno eius conſcriptos fuiſſe, ſed potius vel ſocios fuiſſe vel mercenarios cenſemus. Nimia enim fuiſſet illius potentia, ſi populos ab Rheno ſuperiore omnes vsque ad Cattos, & ipſos Cattos, latisſime per mediam Germaniam habitantes, ditioni ſuæ ſubiectos habuiſſet. De Cattorum enim multitudine at-

que

Digitized by Google

que potentia ex eodem libro Cæſaris cap. XXXVII conſtat. Præter enim eos Sueuos, quos in caſtris habuerat Ariouiſtus, *pagos centum Sueuorum* ad ripam Rheni narratur conſediſſe, vt Rhenum tranſire conarentur: quibus quod ſui duces Naſua & Cimberius fratres præfuere, ſui iuris videntur fuiſſe, non ſubiecti imperio Ariouiſti. Quam immenſa autem multitudo ſit centum pagorum, ſi integri *pagi* ſint ex eodem Cæſaris libro, cap. XII probari poteſt, vbi omnis ciuitas Heluetia *in quatuor pagos* diuiſa fuiſſe dicitur. Nec exemplum deeſt, vbi in Cimbrico bello, quod etiam ipſe Cæſar cap. XII memorauit, vel vnus pagus non dubitauerit cum conſulari exercitu prælio contendere. Sed ipſe Cæſar libro IV cap. I explicat, quæ ſtatus bellici ratio penes *pagos Cattorum* fuerit. Centum pagos habuiſſe Sueuos ſiue Cattos, ex quibus quotannis ſingula millia armatorum bellandi cauſſa ſuis ex finibus eduxerint. Dubium nihilominus relinquitur, an centum illi pagi Sueuorum, qui ad Rheni ripam conſederant, coniuncturi ſe, ſi traieciſſent, cum Ariouiſto fuiſſent, quod quidem Cæſar metuebat; nec potius ſuis auſpiciis rem geſturi, vt ſicut partem Galliæ Ariouiſtum adquiſiuiſſe audiuerant, ſibi quoque aliam illius exemplo armis compararent.

VII. Nec libertas Germanorum tam vaſtum imperium videtur Ariouiſto conceſſiſſe. Multum Tacitus de illa libertate prodidit, cui vtique obſtitiſſet vnius tam late patens dominatio. Habuerunt reges, duces, principes, ſed quorum temperata poteſtas erat, & miſta populorum libertate. Cap. VII enim de moribus Germanorum tradit: *reges ex nobilitate, duces*

ces

Digitized by Google

ces ex virtute ſumunt. nec regibus infinita aut libera poteſtas: & duces exemplo potius, quam imperio ſi promti, ſi conſpicui: ſi ante aciem agant, admiratione præſunt. Et cap. XI idem Tacitus: *rex vel princeps, prout ætas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia eſt, audiuntur, auctoritate ſuadendi magis, quam iubendi poteſtate.* Quapropter induci non poſſumus, vt credamus facile, ſtante hac Germanorum libertate, Ariouiſti imperium per maximam Germaniæ partem, atque ſic per Cattorum ſiue Sueuorum regiones fuiſſe longe lateque ita prolatum.

IIX. Nunc de *cauſſa*, qua motus Ariouiſtus fuit, vt traiecto Rheno in Galliam veniret, eiusque partem occuparet diſpiciendum eſt. Eam Diuitiacus Aeduus, legatione ad Cæſarem pro ſua & ceteris ciuitatibus functus, hunc in modum expoſuit: Galliæ totius factiones eſſe duas: harum alterius principatum tenuiſſe Aeduos, alterius Aruernos. Hi quum tantopere de principatu tam multos annos contendiſſent factum eſſe, vti ab Aruernis Sequanisque Germani mercede arceſſerentur. Horum primo circiter millia quindecim Rhenum tranſiiſſe; poſtea, quam agros & cultum & copias Gallorum homines feri ac barbari adamaſſent, transductos plures, eſſent tunc in Gallia ad cxx millium numerum. Cum his Aeduos eorumque clientes ſemel atque iterum armis contendiſſe; magnam calamitatem pulſos accepiſſe, omnem nobilitatem, omnem ſenatum, omnem equitatum amiſiſſe. His calamitatibus fractos ita Aeduos fuiſſe, ſuo ante non minus robore, quam Romanorum ami-

amicitia potentes; vt cogerentur Sequanis, qui conduxerant hos mercenarios, ex ſuis cariſſimis obſides dare, & iure iurando ciuitatem obſtringere, ſe neque obſides repetituros, neque auxilium a populo Romano imploraturos, neque recuſaturos, quo minus perpetuo ſub illorum ditione atque imperio eſſent. Sed peius id victoribus Sequanis, quam ipſis victis Aeduis accidiſſe, quod Ariouiſtus in Sequanorum finibus conſediſſet, tertiamque partem agri illorum, qui optimus eſſet totius Galliæ, occupauiſſet & tunc de altera parte tertia Sequanos decedere iuberet propterea, quod Harudum millia hominum XXIV ad eum veniſſent, quibus locus & ſedes pararentur.

IX. Multa in hac narratione ſunt excutienda. Si enim rogati Germani & in auxilium vocati traiecto Rheno in Galliam venerunt, quos *mercenarios* Diuitiacus dixit, & initio tantum quindecim millia venerunt; quæritur, num in illis etiam primo tranſitus tempore Ariouiſtus fuerit, an poſtea rebus ſuorum bene ſuccedentibus ſuperuenerit? Cum primis illis in Galliam veniſſe non negauerim, ſi quatuordecim annos, quum hæc diceret Diuitiacus, iam fuerit Ariouiſtus in Gallia, quod cap. XXXVI. & XLVII. videtur adfirmari. Non autem veroſimile, bellum Sequanorum cum Aeduis fuiſſe longius protractum, vt vel medio illo aduenerit in Galliam rex Ariouiſtus. Singulis annis autem pluris ex Germania milites exciuit, non tam Sequanis in obſequio tenendis, aut coercendæ ciuitati Aeduorum, quæ iam fracta erat & debilitata; ſed vtique maiori aliquo inſtituto, vt & alias Gal-

lia

liæ partes ſibi ſubiiceret, & contra Romanos, quos vicinos habiturus eſſet, vi & armis tueretur.

X. Quum vero tertiam Sequanorum agri partem Arioviſtus poſſederit, & tum alteram partem tertiam pro Harudibus poſtularet, diſquirendum præterea eſt, *quantus* fuerit *ager Sequanorum*, & *quo iure* Germanorum rex vindicare ſibi duas tertias potuerit? Primum omnino difficilius ad explicandum eſt, quia Sequanorum tractus a nemine, quod ſciamus, per limites ſuos circumquaque, & per oppida ac partes fuit deſignatus. Id ſcimus ex Cæſaris primi libri cap. VIII *Iuram* montem Sequanos ab Helvetiis diſtinxiſſe: & ex Strabonis lib. IV p. 133 *συνάπτειν τῷ Ῥήνῳ*, *κατοικεῖν τὸν Ῥῆνον*, *pertinuiſſe vsque ad Rhenum*: rurſus ex Cæſaris cap. XXXVIII conſtat, *Veſontionem*, nobilem nunc Burgundionum vrbem, fuiſſe maximum Sequanorum oppidum: & ex cap. XII eiusdem lib. I flumen *Ararem* per *fines Aeduorum Sequanorumque* in Rhodanum influere, & quod cap. XXXIII adiicitur, *ipſum Rhodanum diuidere Sequanos a prouincia Romana.* Rhodanum intelligas velim ſupra Araris confluentem, vbi transuerſum curſum agitat ab ortu in occaſum: non vbi, flexu facto, in auſtrum ruit, & mare petit mediterraneum.

XI. Sic longitudo quidem agri Sequanorum quodammodo intelligitur; non autem æque latitudo eius, præſertim vbi ad Rhenum inclinauerat, iuxta quem facies rerum, quum Tribocci traiecerunt, (ſi vel maxime poſterior fuerit traiectus Nemetum & Vangionum) mire ita fuit immutata, vt certo ne ab locorum quidem peritiſſimis putemus explicari poſſe.

 Nec

Digitized by Google

Nec certior ratio eſt oppidorum, quæ rara illis temporibus in Gallia erant, nec aliud nobis certum ex Sequanorum ciuitate eſt, quam quod ipſe Cæſar *Veſontionem* nominauit. Nec vero facile dubitamus, fuiſſe alia quoque vtcumque rara in hoc tractu, ab Rhodano ad Rhenum vsque: ſed ſilente hiſtoria nihil licet definire, minus nominatim illa explicare. Ptolemæus quidem lib. II cap. IX tres alias vrbes adnumerauit, ſed duas alienas, ademtas Heluetiis, quorum propriæ erant; vnam ignotiſſimam *Didattium* nomine, quod niſi prauatum vocabulum eſt, nemo facile prodiderit, quorſum illud pertineat. Notitiæ prouinciarum Galliæ, quæ cum aliis imperii Romani ſunt medio æuo conſignatæ, plura quidem oppida enumerant & caſtra in *Maxima Sequanorum*, vti appellant; ſed quod Heluetias vrbes, nec tantum illas Ptolemæi, ſed alias quoque nonnullas admiſcent, nec Sequanos a Rauracis diſtinguunt, ſed quæ horum fuerunt, illis quoque attribuunt; non poſſunt nobis pro antiquis illis temporibus, de quibus iam agendum eſt, vllo modo ſatisfacere.

XII. Alterum, quod de *iure* quærebatur, Germanorum partem Galliæ ſibi vindicantium, videtur ius eiuſcemodi fuiſſe, quod ab iniuria non penitus fuerit ſeiunctum. Ad ius belli quidem prouocat Arioviſtus, tam legationi Cæſaris reſpondens, quam in ipſo colloquio cum Cæſare; eamque partem Galliæ, *ſuam Galliam, quam viciſſet*, cap. XXXIV vocitat, eademque belli fortuna ſtipendiarios ſibi Aeduos factos iudicat. Neque bello, quod Sequanorum rogatu aduerſus Aeduos ſuſcepiſſet, iuſtitiæ rationem deeſſe putat, quum

omnino

Digitized by Google

omnino liberum cuique ſit, auxilium vicinis aut amicis ferre, ſi opem ipſius aduerſus hoſtes implorauerint. Sed eſto, iure Rhenum traiecißet: eſto etiam iure tuliſſe auxilium: cur vero non finito bello, & fractis amicorum hoſtibus, in patriam ſuam reuertit? cur victores pariter amicos atque victos hoſtes, oppreſſos tenuit, hos tributis exhauriendo, illis adimendo partem optimam agrorum? At forſan nondum ſatisfecerant mercenario, vt ipſe ſibi proſpicere & mercedem extorquere neceſſe habuerit. Incerta rei eſt ratio, quacumque parte inſpicias: nec facile ab iniuriis Ariouiſtus, ex amico hoſtis factus, abſolui poteſt, vt ne quidem ad ſpeciem excuſari poſſe cenſeamus.

XIII. Difficilius eſt, de ſenatusconſulto iudicare, conſule Cæſare facto, quo Ariouiſtus *rex & amicus populi Romani* fuit appellatus; vt ipſe Cæſar teſtatur cap. XXXV & XLIII, &, vt planius rem Dio Caſſius exponit lib. XXXVIII pag. 81. *κύρωσιν τῆς βασιλείας*, *confirmationem regni*, ab Romanis impetrauit. Sed cuius regni? Germanici, an quod nouum ſibi in Gallia parabat? Κελτοὺς appellat Dio, id eſt *Celtas*, ambiguo vocabulo, quod Germanis æque ac Gallis legitur tributum; vti breui poſt idem Dio dicit, *Ariouiſto magno conatu ad bellum ſe paraſſe*, ὅτι καὶ ἕτεροι τῶν Κελτῶν πολλοὶ οἱ μὲν διαβεβήκεσαν ἤδη τὸν Ῥῆνον, ὡς ἐπὶ βοήθειαν αὐτοῦ, οἱ δὲ καὶ ἐπ᾽ αὐτῷ τῷ ποταμῷ συνειλόχαται; *partim traiecerant Rhenum, vt auxilium ei ferrent, partim ad ripam fluminis conſederent, tamquam mox traiecturi.* Videtur *Harudes* intelligere, qui iam traiecerant Rhenum; & altera

maiore parte *Sueuos*, quorum centum pagos ad Rhenum veniſſe, paratos ad traiiciendum, ſupra, eodem Cæſare auctore, oſtenſum fuit. Nondum biennium erat a conſulatu Cæſaris, vt ſic Ariouiſtum non nouum Romanis, aut ignotum fuiſſe pateat, ſed qui iam per multos annos in Gallia bellum geſſerit, & vetuſtiſſimos Romanorum ſocios atque amicos Aeduos. puta, adflixerit grauiſſime, magniſque adfecerit detrimentis. Hic ergo *rex & amicus* appellatus erat, & maximis ornatus donis ac muneribus? Quum id honoris Sypacis filius ab Romanis apud Liuium lib. XXXI cap. XI petiiſſet, vt rex ſociusque & amicus appellaretur; reſponſum ab ſenatu fuit, *nomini eius honorem pro magnis erga ſe regum meritis dare populum Romanum conſueſſe*. Egregia vero merita Ariouiſti erga Romanos quænam fuere? oppreſſio ſane amicorum atque fratrum, vt appellati fuerant, Aeduorum, malefacta potius quam merita oſtendunt. Ex quo apparet, quo tempore conſul Cæſar fuit, multa inique fuiſſe in ſenatu acta, quod vel largitionibus tribuendum eſt, vel inſanæ ſpei ipſius conſulis, qui haud dubia prouinciam Galliam & ex eo principatum ſibi animo deſtinauerat: ad quod perficiendum Ariouiſti amicitiam non inutilem ſibi fore, omnino videtur crediſſe: vt adeo præter meritum, quod multis negatum fuerat, huic Ariouiſto a ſenatu, auctore conſule, conceſſum atque datum fuerit.

XIV. Falſus autem ſpe ſua Cæſar fuit, de Ariouiſto quam conceperat. vnde ipſe conqueſtus de eo cap. XXXV fuit, illum tanto ſui populoque Romani beneficio adfectum, hanc ſibi populoque Romano

gra-

gratiam referre, vt in colloquium venire inuitatus grauaretur. Florus lib III cap. x breui hac ſumma complectitur Arioviſti reſponſionem, *Quum legati dicerent*, VENI AD CAESAREM: QVIS EST AVTEM CAESAR, ET SI VVLT, VENIAT, *inquit*: ET QVID AD ILLVM, QVID AGAT NOSTRA GERMANIA? NVM EGO ME INTERPONO ROMANIS? Hinc cauſſa belli nata, quod Cæſar plura ſperaret ab Arioviſto, quam ille conferret: Arioviſtus diffideret cæſaris voluntati, metuens, ne præſens in Gallia Cæſar plura de iniuriis ſuis, quam Romæ antea, cognouiſſet; atque inde putabat, ſe minus tutum fore in prouincia Cæſaris, quantocumque etiam comitatu ſe in eam conferret. Miſit iterum legatos Cæſar, vt aliud regi & ſaniora forſan perſuaderent; verum vt fieri ſolet, quum mutuo alienati ſunt animi, quæ Cæſar poſtulabat, iniqua regi videbantur; contra, quæ rex reſpondebat, intoleranda Cæſari. Aduerſus illum ergo exercitum adduxit Cæſar, vt vel armis terreret, quem verbis ad Romanam amicitiam reducere non poterat. Sed ne ſic quidem eſt, quod ſperauerat Cæſar, effectum, quia armis arma irritabantur, & æque Arioviſtus ad repugnandum Romanis ſe ſe apparabat. Venerunt tandem, quum in propinquo eſſent exercitus, in colloquium Cæſar & Arioviſtus: verum nec tum ad ea, quæ Cæſar poſtulabat, præſtanda rex poterat adduci, vt etiam propiore Germanorum acceſſu colloquium dirimeretur.

XV. Dubitant hic aliqui, an ſatis cauſſæ habuerit Cæſar, vt amico regi atque ſocio populi Romani bellum inferret. Neque enim id bellum rogatione po-

Digitized by Google

puli ſancitum, aut decretum ab ſenatu fuerat, quod vtique in colloquio non occultaturus Cæſar fuiſſet. Vnde putant, nimium fuiſſe proconſulem, inconſulto ſenatu atque populo, rem tantum in ſe ſuſcepiſſe. Verum etſi non negamus, priuatas forſan rationes etiam Cæſari fuiſſe, vt id faceret; vtique ex republica & ſalute Romanorum videbatur eſſe, vt Ariouiſtus ab iniuriis inſerendis cohiberetur. Multa ſane pro Aeduis eorumque amicitia facta ſenatus conſulta fuerant: neque id negari poteſt, in vniuerſum proconſuli mandatum eſſe, vt ſocios atque amicos tueretur; nec non mora Ariouiſti in Gallia per tot annos Romanis poterat ſuſpecta eſſe. Exemplum enim Cimbrorum Teutonumque animo obuerſabatur, vt ſimiles incurſiones non fruſtra metuerent Romani. Ipſius id Cæſaris verbis enarrare ex lib. I cap. XXXIII non alienum ab inſtituto erit. *Multa res*, inquit, *eum* (Cæſarem) *hortabantur, quare ſibi eam rem cogitandam & ſuſcipiendam putaret: inprimis quod Aeduos, fratres conſanguineosque ſæpe numero ab ſenatu appellatos, in ſeruitute atque ditione videbat Germanorum teneri, eorumque obſides eſſe apud Ariouiſtum & Sequanos intelligebat, quod in tanto imperio populi Romani turpiſſimum ſibi & reipublicæ eſſe arbitrabatur. Paullatim autem Germanos conſueſcere Rhenum tranſire & in Gallia magnam eorum multitudinem venire, populo Romano periculoſum videbat: neque ſibi homines feros ac barbaros temperaturos exiſtimabat, quin, quum omnem Galliam occupaſſent, vt ante Cimbri Teutoneſque feciſſent, in prouinciam exirent, atque inde in Itali-*

am

Digitized by Google

am contenderent; præſertim quum Sequanos a prouincia noſtra Rhodanus diuideret.

XVI. Hic non vanus metus Romanorum, aut periculum leue erat, ſed omnino res tanti momenti, vt & armis vindicare ſocios, & periculum bello propulſare neceſſe videretur; præſertim quod ipſe Ariouiſtus tantos ſibi ſpiritus tantamque ſumſerat arrogantiam, vt populi Romani auctoritatem parui faceret, nihilque de iis, quæ pro ſociis poſtulauerat Cæſar, putaret eſſe concedendum. Acceſſit, quod contra ius gentium legatos Cæſaris in vincula ille coniecerat, e quibus nec ante victoriam liberari potuerunt. Propius ergo ad hoſtem C. Cæſar acceſſit cum exercitu, eumque multis diebus e caſtris eduxit, & aciem ordinauit, recuſante Arioniſto pugnam, vel ſuperſtitione fatidicarum mulierum perſuaſo, vel exſpectante noua Germanorum auxilia, quorum ingens numerus dicebatur in ripa iam Rheni eſſe. Quos vt anteuerteret Cæſar, triplici acie vsque ad caſtra hoſtium proceſſit. Tum demum neceſſario Germani ſuas copias e caſtris eduxerunt; fit acris pugna: pellebantur hoſtes a ſiniſtro cornu, vt fugam etiam peterent: a dextro cornu vehementer multitudine ſuorum Romanam aciem premebant. Laborantibus ſubuenit cum equitatu P. Craſſus adoleſcens, reſtitutoque prœlio, hoſtes omnes terga verterunt, neque prius fugere deſtiterunt, quam ad flumen Rhenum peruenirent. Ipſe rex Ariouiſtus nauiculam ad ripam deligatam nactus, ea profugit. Cæſi in fuga quamplurimi: pars lintribus euadere, alii tranare contenderunt. Captæ Ariouiſti vxores duæ, cum vna filia: altera filiarum

Digitized by Google

occiſa cum aliis fugientibus fuit. Etſi enim Germanis ſingulis vxores erant ſingulæ, tamen *pauci admodum*, vt Tacitus de iis cap. XVIII refert, *non libidine, ſed ob nobilitatem pluribus nuptiis ambiebantur.*

XVII. In his, quæ de prælio narrantur, dubitari forſan quædam poſſunt: idcirco curatius nunc nobis excutienda. Primum eſt, quo loco id prœlium commiſſum fuerit. Paullus Oroſius lib. VI cap. VII *Cæſar*, inquit, *Ariouiſtum regem, excitantem inuehentemque ſecum incredibiles Germanorum copias, apud Sequanos vicit.* Id quoque ex ipſo Cæſare non obſcurum eſt, factum prœlium eſſe in Sequanis, quia Cæſar ad Ariouiſtum acceſſit, ſedem tum & caſtra in Sequanis habentem. Quod vero late habitabant Sequani, ab Rhodano fluuio vsque ad Rhenum, vt ſupra demonſtrauimus; noua quæſtio exoritur, qua in parte Sequanorum fuerit pugnatum. Rem incertam atque dubiam illud ſpatium reddit, quo Cæſar fugientes ad Rhenum vsque dicitur perſecutus, quod non omnes eodem modo ac pede metiuntur. In Cæſaris antiquis libris ſcriptum legitur, *non prius* hoſtes *fugere deſtitiſſe, quam ad flumen Rhenum millia paſſuum circiter quinque peruenirent.* Ita in manu exaratis eſt, & in auorum memoria editis. Vnde Beatus Rhenanus lib. I Rerum Germanicarum, capite de *Maxima Sequanorum*, proxime Baſileam locum prœlii ſe putat inueniſſe. *Cæſar*, inquit, *in Sequanis cum Ariouiſto conflixit, quæ pugna ad D. Apollinaris facta putatur. Is locus milliario Germanico a Rheno & Baſilea diſtat.* Beatum ſequitur Ioannes Glandorpius in hunc locum, rationem addens, quia Cæſar ſcripſerit

Digitized by Google

rit, *Rhenum quinque millia paſſuum a pugna loco abfuiſſe.* Falſus vero in eo, quod Plutarchi τριακοσίους σταδίους vertit *triginta ſtadia*; atque inde putat non multum a Cæſare Plutarchum diſſentire: quum potius vertendum ipſi fuerit, *ſtadia trecenta.* Quamnis vero & metaphraſtes Cæſaris hoc loco *quinque millia paſſuum* legiſſe non dubitari poſſit; propterea quod Græce conuertit τετταράκοντα ἐντεῦθεν στάδια *quadraginta inde ſtadia*: non tamen deſinunt doctiores dubitare, immo negare, illam genuinam & antiquam Cæſaris ſcripturam fuiſſe. Quam breuis enim atque exigua perſecutio fuiſſet, ſi quinque millibus paſſuum fugientes Germanos inſecuti eſſent Romani? Magnum vtique & inuſitatum aliquid præ ſe ferunt Cæſaris verba: *Omnes hoſtes terga verterunt, nec prius fugere deſtiterunt quam ad flumen Rhenum millia paſſuum ex eo loco circiter ---- peruenerunt.* Quis non videt, longam fugam longamque perſecutionem his verbis ſignificari? ſi vel nulla aliunde documenta haberemus, tamen vis & efficacia verborum Cæſaris ſuſpicionem alicuius mendi in numero præbere poſſet.

XIIX. Verum non deſunt nobis argumenta & auctoritates, quibus permoti, loco *quinque* in Cæſaris verbis hiſce legamus *quinquaginta.* Nam Plutarchus vita Cæſaris pag. 717 de hoc ipſo prœlio ſcripſit, ἐπὶ σταδίους τριακοσίους ἄχρι τοῦ Ῥήνου διώξας, *ad trecenta ſtadia Rhenum vsque perſecutus Cæſar hoſtes eſt.* Tot ſtadia quidem tantum triginta ſeptem & dimidium milliarium conficiunt. Ipſe vero Glandorpius ſuſpicatus eſt, τετρακοσίους in Plutarcho le-

legendum eſſe, quod exacte cum emendato Cæſaris numero *quinquaginta* conuenit. Et quid multa? Oroſius, qui optimum quemque Romanorum ſcriptorum, atque in hac materia haud dubie ipſum Cæſarem excerpſit, non *quinque*, ſed *quinquaginta* ex eo ſublegit. *Exinde*, inquit, *in fugam verſi per quinquaginta millia paſſuum inſatiabiliter cæſi ſunt*, lib vi cap. vii. Quid clarius & cum ipſa re conuenientius, quam *quinquaginta millia* etiam apud Cæſarem legendum eſſe? Sic demum verbis Cæſaris vis & admiratio, quam intendunt, longitudine inſecutionis, & magnitudine cædis quam auctores tradunt, vt videbimus, conſtabant. Id quod de loco hoc clariſſimi viri dudum iudicarunt, e quibus ſatis ſit Franciſcum Hotomannum, virum elegantiori non minus doctrina, quam iuris ciuilis accurata ſcientia illuſtrem, audiſſe, qui ita in hunc librum commentatus eſt: *Ego* QVINQVAGINTA, *libris omnibus repugnantibus corrigendum arbitror. Primum quoniam hunc numerum vetus Oroſii impreſſus liber prodit, deinde quia Plutarchus* τετταρακοσίους σταδίους *poſuit. Nam quum octo ſtadia milliarium vnum conficiant, ſequitur, vt quadringenta efficiant milliaria quinquaginta. Neque me mouet, quod in vulgatis Plutarchi libris legitur* τριακοσίους. *Nam & vetus interpres* QVADRINGENTA *poſuit, & Henricus Stephanus, Græcæ linguæ peritiſſimus & harum rerum obſeruator diligentiſſimus,* τετρακοσίους *in aliis libris legi teſtatus eſt.* Et Aldus Manutius P. F. Plutarchum dicit *ſtadia quadringenta* ſcriptum reliquiſſe.

XIX. Quamuis vero non ad Rhenum hoc prælium com-

Digitized by Google

commiſſum fuerit, ſed dicto ſpatio ab illo fluuio interius recedente loco: tamen credibile omnino eſt, in Sequanorum regione, in qua ſteterat Ariouiſtus, illud fuiſſe factum, licet locus, quo congreſſi fuerunt exercitus, ſilente hiſtoria, definiri non poſſit. Satis ſit, diſtantiam ab Rheno illius loci inueniſſe. Sed maior illa, quam pro more aut conditione perſequentium, longinquitas videtur: quum nec eques nec pedes tam longæ viæ videantur ſuffeciſſe. Nos vero nondum hoc argumento monemur, vt mutemus ſententiam. Quouſque enim metus rapuit fugientes, eodem victoriæ alacritas adduxit perſequentes: neque putandum vnius diei, aut aliquot horarum fuiſſe perſecutionem, ſed quoquo verſum dilapſos hoſtes inquiſiuerunt Romani, donec ad Rhenum peruenirent, qui vetabat iure ſuo illos vti longius.

XX. Hæc de loco. Alterum quod in diſceptationem venit, eſt numerus hoc prœlio cæſorum. Cæſar ita libro I extremo: *omnes hoſtes terga verterunt, neque prius fugere deſtiterunt, quam ad flumen Rhenum, millia paſſuum ex eo loco circiter quinquaginta, peruenerunt. Ibi perpauci aut viribus confiſi tranare contenderunt aut lintribus inuentis ſalutem ſibi petierunt. In his fuit Ariouiſtus, qui nauiculam deligatam ad ripam nactus, ea profugit: reliquos omnes equites conſecuti noſtri interfecerunt.* Dio Caſſius nec Rhenum ingreſſos in ſaluo fuiſſe lib. XXXVIII extremo tradit, quippe τοὺς μὲν οἱ Ῥωμαῖοι εἰς τὸν ποταμὸν ἐσβαίνοντας ἀπέκτειναν, τοὺς τε καὶ αὐτοὺς ἐκεῖνος ὑπολαβὼν ἀπήνεγκεν. *Alios Romani iam flumen ingreſſos interfecerunt, alios ipſe amnis ſuſcepit & abduxit.* Neque vero, qui ſic euaſerant natando

do

Digitized by Google

do vel nauigando, tuti ab omni erant periculo, quia quod Cæſar addit, alii Germanorum, Vbii præſertim, qui proxime Rhenum incolebant, perterritos inſecuti, magnum ex his numerum occiderunt. Ingens ſic ſtrages omnino fuit, quamuis numerus non poſſit certo reſciri. Oroſius dicto loco: *Inſaturabiliter caſi ſunt, neque coniici potuit numerus Germanorum vel quantus pugnæ adfuerit, vel quantus fuerit occiſorum.* Plutarchus tamen, neſcimus vnde, dicit, ἀριθμὸν νεκρῶν μυριάδας ὀκτὼ γενέσθαι λέγουσιν, *aiunt cæſorum numerum octoginta millia fuiſſe.* Videri nimius hic poteſt numerus: at ſi verum, quod ſupra Diuitiacus dixerat, *centum & viginti millia* Germanorum in Gallia fuiſſe; probabilitatis non nihil ad eam Plutarchi fidem accedit. Quoquo autem illa clades ſtetit numero, certum tamen eſt, vtique ingentem fuiſſe & maximum, ac graue vulnus illo prœlio inflictum eſſe Germaniæ.

XXI. Nunc res ipſa poſcit, vt etiam quæ conſecuta ſint, illuſtrem hanc victoriam Romanorum, Germanorumque cladem, breui expoſitione perſequamur. Fama cladis Ariouiſti ad vltimas etiam Germaniæ nationes peruenerat, & quo quæque propior erat, eo maiori perculerat eam terrore. Sic enim Vbiorum legati Cæſari loquuntur lib. IV cap. XVI *Tantum eſſe nomen apud Germanos atque opinionem exercitus Romani, Ariouiſto pulſo, & hoc nouiſſimo prœlio facto,* (de quo poſtea dicturi ſumus) *etiam ad vltimas Germanorum nationes, vti opinione & amicitia populi Romani tuti eſſe poſſint.* Fructus victoriæ ad Aeduos maxime, antea adflictiſſimos, virtute & fœdere Romano-

manorum perferebatur, de quibus ipſe Cæſar lib. vi cap. xii tradit, *ſuo aduentu* (& victoria) *commutatione rerum facta, obſides Aeduis redditos, & veteres clientelas reſtitutas, nouas per Cæſarem comparatas.* Contra Sequanis, qui Ariouiſtum & Germanos in Galliam perduxerant, omnia contraria euenerunt. Vt enim taceamus, iam tum, antequam Cæſar veniret in Galliam, victoribus peius Sequanis, quam Aeduis, quos vicerant, accidiſſe, dum tertiam agri partem, eamque optimam, Ariouiſtus ademerat, alteram tertiam partem iam etiam occupaturus; vel ſola commoratio iniqui hoſpitis nimium illos preſſit, quod ita fieri ſolet, quando a barbaris auxilium petitum fuit, vt ferant illud quidem, ſed ſemper iis, quos adiuuerant, quam victis, reddantur grauiores. Acceſſit, quod a victoria Cæſaris in poteſtatem Romanorum, contradicente nemine, peruenerunt, nec impedire potuere, quo minus exercitui ſuo hiberna Cæſar in ipſis Sequanis adſignaret.

XXII. De Ariouiſto, fuga per Rhenum elapſo, pauca reliqua habemus, quæ adferre aliquid poſſint hiſtoriæ complendæ. Cæſar lib. v cap. xxix ex Titurii Sabini oratione refert, *magno eſſe Germanis dolori Ariouiſti mortem, & ſuperiores Romanorum victorias.* Ex quo certum eſt, breue tempus ſuæ cladi ſuperfuiſſe, vel mœrore confectum, & caſu inſperato; vel alio fato mortalitatis exſtinctum. Non enim crediderim facile, ex vulnere in prœlio accepto periiſſe, quia hoc ſi fuiſſet, Cæſar aliique ſcriptores eius pugnæ, haud ſilentio præteriiſſent. Quarto poſt fugam anno hæc dixerat Sabinus, ſed ita vt haud conicias vtrum recens illa mors Ariouiſti fuerit, an tem-

pore

Digitized by Google

pore longe ſuperiori ſuſcepta. Dubitat de morte Philippus Cluuerius lib. III Germaniæ Antiquæ cap. III, & mauult legere *ſortem* Arioniſti fuiſſe Germanis dolori, quam mortem. Non ſpernenda coniectura, quia Romanæ victoriæ *mors* illa vel *ſors* opponitur: quod vero conſtanter *mortem* codices referunt, & Græcus metaphraſtes *θάνατον* transtulit; vtique a recepta ſcriptura non temere nobis recedendum eſt: præſertim quod nulla poſt hac in hiſtoriis eſt mentio regis Arioniſti facta.

XXIII. Hæc de Arioniſti rebus ex tam ſterili antiquitatis Germanicæ hiſtoria in præſenti cognoſcere licuit. Alii, quibus plus otii eſt, & felicior etiam indagatio, inueſtigent plura, vt ſuppleantur, quæ a nobis conciſe & breuiter ſunt propoſita, ſi modo plus aliquid in tanta paucitate ſcriptorum, qui de his reliqui ſunt, potuerint inuenire. Vnum ex antea propoſitis eſt, quod dubios nos habet, præſertim quum ei quædam alia, tamquam fundamento, fuerint ſuperſtructa. Supra enim vulgarem explicationem ſecuti ſumus, quæ ex Cæſaris lib. I cap. XXXVI deſumta eſt. Ibi ipſe Arioniſtus legatis Cæſaris reſpondet, *quod ſibi Cæſar denuntiaret, ſe Aeduorum iniurias non neglecturum: neminem ſecum ſine ſua pernicie contendiſſe, quum vellet, congrederetur: intellecturum, quid inuicti Germani, exercitatiſſimi in armis, qui intra annos XIV tectum non ſubiſſent, virtute poſſent.* Nimius videri forte hic numerus poteſt, ſi ad commorationem in Gallico ſolo reſtringatur: nec bellandi materies, & tantos exercitus in vſu armorum ſuſtentandi, ibi fuerit facile, poſtquam vna gens Aeduo-

rum,

rum, quod non fuit difficillimum, iuuantibus Sequanis & ſociis ſuperata & deuicta erat. Eſto autem, alias Gallorum nationes vel auxilio veniſſe Aeduis, vel nouitate rei, & peregrino milite in patria vagante, exercitatas, aduerſus Germanos veniſſe: tamen id tantæ moræ haud ſufficiet probandæ, quia ipſe Arioviſtus lib. I cap. XLIV in colloquio gloriabundus Cæſari loquitur *omnes Galliæ ciuitates ad ſe oppugnandum veniſſe; at contra ſe caſtra habuiſſe: eas omnes copias vno abs ſe prælio fuſas & ſuperatas eſſe.*

XXIV. Si quis *numerum* velit in dubium vocare, is præter conſenſionem codicum, metaphraſin Græcam contra ſe pugnantem videbit, qua verſum eſt *ἐν δεκατέσσαρσιν ὅλοις ἔτεσιν inter quatuordecim integros annos.* Adiuuabit Cæſar, qui quum vltimos ad Arioviſtum legatos mitteret lib. I cap. XLVII, & in iis præcipue C. Valerium Procillum *propter Gallicæ linguæ ſcientiam*; addit, *qua multa iam Arioviſtus, longinqua conſuetudine, vtebatur.* MVLTVS vſus autem linguæ, & ex tam LONGINQVA CONSVETVDINE omnino moram temporis non exiguam poſtulauit, cui non ſuffeciſſet ſpatium, quod inter Cæſaris conſulatum (quo *rex* ille & *amicus populi Romani* appellatus fuit) & hoc cum Romanis bellum interceſſerat. Obiter hic notatum volo, fruſtra doctos viros, & in iis principem ingenio atque doctrina Petrum Ciacconium, in Cæſaris modo exhibitis verbis *longinqua* mutare in *longa*, quaſi illud locorum interualli ſit, non etiam temporum durationis. Sed nihil eſt ita diſtinguere. Paſſim enim a loco ad tempus, & a tempore ad locum in eiuſmodi vocabulis translationes fiunt:

cuius

Digitized by Google

cuius rei ſatis locuples nobis teſtis ipſe Iulius Cæſar eſt, qui lib. I de Ciuili bello cap. XXIX *longinquitatis* verbum vtroque modo vſurpauit. *Cæſar*, inquit, *rei eius moram, temporisque longinquitatem timebat.* Et mox: *relinquebatur, vt ex longinquioribus regionibus Galliæ, Picenique, & a freto naues eſſent exſpectandæ.* Nec moratur nos vetus codex Ciacconii, ad quem prouocat, quum plures libros, æque veteres, vulgatæ lectioni conſentientes videamus. Sed ad id, a quo digreſſi ſumus, redeundum eſt.

XXV. Moram Arioviſti in Gallia longius extractam fuiſſe, videtur etiam ex eo probari non difficulter poſſe, quod, quum initio tantum XV millia Germanorum in Galliam aduenissent, ſenſim plures atque plures arceſſiti eodem fuerint, dum in tantum numerum excreſcerent, quem Diuitiaci oratione ad Cæſarem ſupra expreſſum cognouimus, videlicet CXX millium. Id quia ſenſim, & quaſi non aduertentibus Gallis factum erat, non poterat vno anno, nec forſan etiam biennio, ad tam grandem perduci numerum. Quod ſi etiam diuidas tempora, & bonam annorum partem bellis aliis, in Germania ante Gallicum bellum geſtis, tribuas; non tamen expeditiores rationes erunt, quia nihil, præter coniecturam, de Germanicis illis bellis nobis ſuppetit.

XXVI. Nihilo vero minus ad diuiſionem illam refugere, quum alio elabi vix liceat, videtur eſſe tutiſſimum: niſi *numerum* velimus ſollicitare, quod etiam difficile in tanto conſenſu librorum eſt. Anonymus quidem, qui perperam Iulius Celſus putatur eſſe, videtur commentariis de Vita Iulii Cæſaris, qui

verius

verius paraphraſis commentariorum ipſius ſunt Cæſaris, id ſuadere pag. 20. Verba enim Cæſaris, QVI INTRA XIIII ANNOS TECTVM NON SVBISSENT, ita leuiter mutata propoſuit: *qui iam multis annis ſubtecti non fuerint*. Vides abſtinere *numero* hunc interpretem, quod vel illum in ſuo codice non legerit, vel ſi omnino legit, ſuſpectum habuerit, tamquam multum nimis pro tam breui & non maxima expeditione. Sed neſcio, an hic tuto pedem quis poſſit figere. Lubrica enim anonymi eſt auctoritas, præſertim non antiquiſſimi, vt vix conſenſioni librorum omnium opponi poſſit.

XXVII. Nec quidquam contra efficitur, quod Ariouiſtus eodem cum Cæſare colloquio, dixit, *ſe prius in Galliam veniſſe, quam populum Romanum*. Non enim in vniuerſum hæc verba ſunt, & ipſe verba ſua in ſequentibus reſtrinxit; *numquam ante hoc tempus exercitum populi Romani provinciæ fines egreſſum eſſe*: id quod vero etiam, ſi cum hiſtoriis conferatur, a veritate diſſonat. Liuius enim epitoma LXI, Velleius Paterculus lib. II cap. X, & Suetonius Nerone cap. II, & ipſe noſter Cæſar cap. XLV Domitii Aenobarbi & Q. Fabii Aemiliani cum Aruernis, qui extra prouinciam erant, feliciter geſta bella memorarunt, quæ non omnia intra fines prouinciæ, ſed extra limitem etiam acta fuiſſe oportet. Sed nolumus plura de verborum Ariouiſti veritate diſceptare, quum ipſe antiqua Romanorum bella vel ignorarit, vel ſe neſcire ſimulauerit: mentem autem illius non difficile eſt cognoſcere: prius, ait, ſe in Sequanos Aeduosque exercitum duxiſſe, quam Iulius Cæſar ex prouincia ſua cum co-

piis egreſſus, in eosdem Sequanos aduenerit. An vero inde plus iuris Arioviſto acceſſerit, ex ſupra diſputatis non obſcurum eſt intelligere. Quapropter ea noſtra eſt, nec vero certa omnino, ſed probabilis tantummodo ſententia, ſi forſan illud de *quatuordecim* annis, in Gallia peractis, defendi minus poſſit; diuidendum quodammodo tempus eſſe, vt tamen nolimus concedere facili, eo anno, quum ille *rex & amicus* a ſenatu appellaretur, Rhenum Arioviſtum cum exercitu nondum transgreſſum fuiſſe: ſed vtique per plures annos videtur fuiſſe in Gallia, non autem per *quatuordecim*, ſed bonam horum partem in Germania bellando conſumtam: reliquos peractos eſſe in Gallia.

XXVIII. Hactenus de Arioviſti bello: ſequitur alterum ab eodem Cæſare geſtum aduerſus *Vſipetes & Tenchteros*, ſiue *Tenctoros*, iisdem Germaniæ populos, qui a Sueuis, id eſt, Cattis pulſi, traiecto Rheno in Galliam Belgicam, maxime in *Eburones*, populum illius Galliæ, magno impetu & numero ſeſe effuderant. Non ſatis conſtat, quam ſedem olim habuerint in Germania: eſt vero probabile admodum vicinos fuiſſe Cattorum, remotiores autem ab Rheno. Cæſar enim lib. IV ineunte ita refert: Et, quæ ſecuta eſt hieme, qui fuit annus Cn. Pompeio, M. Craſſo coss. Vſipetes Germani, & item Tenchtheri, magna cum multitudine hominum flumen Rhenum tranſierunt, non longe a mari, quo Rhenus influit. Cauſſa tranſeundi fuit, quod ab Sueuis complures annos exagitati, bello premebantur, & agris expulſi, & multis locis Germaniæ triennium vagati, ad eam partem

Rheni tandem venerat, vbi Menapii vtramque ripam habitabant. Pauci præterea illi, qui Germanicam ripam incolebant, quod imparati erant tantæ multitudini ſuſtinendæ, ad ſuos in alteram ripam refugerunt, vt cum iis tranſitu Germanos prohiberent, hi vero, ſæpius fruſtra tranſmiſſione tentata, ſimulabant regreſſionem in priſtinas ſedes; quod videntes, qui trans Rhenum confugerant Menapii, ſuas domos rurſus, traiecto amne, repetierunt. Quum ita ſecuri eſſent hoſtilitatis, oppreſſi ſunt a Tenchteris ſociisque, & omnes interfecti: atque hi eadem nocte, antequam, qui trans flumen erant, intelligerent, nauigiis in ripa repertis, traiecerunt. Galliæ quidam populi male pacati inuitarunt eos, vt ab Rheno ad interiora diſcederent; omnia quæ poſtulaſſent, ab ſe fore parata. Qua ſpe adducti Germani latius iam vagabantur, in fines Eburonum, qui Treuirorum clientes erant, excurrentes, vt ſua tamen ſubinde caſtra repeterent.

XXIX. Cæſar contra hos, ne longius procederent, cum exercitu progreſſus, quum paucorum dierum itinere abeſſet, legatos illorum obuios habuit, poſtulantes, vt Romani ſibi agros attribuant, vel patiantur eos tenere, quos armis iam poſſederint: vtiles ſe & amicos Romanis fore. Cæſar reſpondit, ſibi nullam cum his amicitiam eſſe poſſe, ſi in Gallia remanerent: nec æquum eſſe, qui ſuos fines tueri non potuerint, alienos occupare: nec vllos in Gallia vacare agros, qui dari, præſertim tantæ multitudini, ſine iniuria poſſint. Hoc vero ſe illis dare poſſe, ſi cum Vbiis, tum transrhenanis, iisdem de iniuria Sueuorum conquerentibus, ſe coniungere vellent, cum le-

gatis illorum, qui præſentes eſſent, de ea re acturum eſſe. Hi delaturos ad ſuos eſſe dixerunt; interea ne propius ſe caſtra moueret, a Cæſare petentes. Quod vero ille haud impetrari ab ſe poſſe dixit. Intellexit enim illos moram quærere, dum equitatus ipſorum, prædandi frumentandique cauſſa trans Moſam miſſus, reuerteretur. Progreſſo Cæſari legati iterum obueniunt, propiorem acceſſum deprecantes, dum deliberare de oblata conditione poſſent. Cæſar antegreſſis equitibus ſuis imperauit, vt ne hoſtes prœlio laceſſerent. Quum ſic putaret inducias eſſe, illi equites Romanos inopinato adgreſſi, ſuffoſſis equis, complures deiecerunt, & ex equitibus Romanis interfecerunt quatuor & ſeptuaginta.

XXX. Hunc dolum vlturus Cæſar, celeriter itinere confecto, celerius caſtra hoſtium oppugnat, quam Germani, quid ageretur, ſentire poſſent, qui dubii, fuga ſalutem peterent, an reſiſterent irruentibus, viderunt Romanos iam in caſtra irrupiſſe. Milites inter carros & impedimenta pugnam inierunt: exceſſit multitudo reliqua & fugam petere cœpit, quos quum conſectantes Romani equites trucidarent, clamore in caſtris audito, ipſi repugnantes, armis abiectis, ex caſtris ſe eiecerunt, & quum ad confluentem Moſæ & Rheni perueniſſent, reliqua fuga deſperata, magno numero interfecto, reliqui ſe in flumen præcipitauere, atque timore, laſſitudine, & vi fluminis oppreſſi interierunt.

XXXI. De *iuſtitia* ſecundi huius belli ſi vera eſt Cæſaris relatio, nihil attinet multum diſputare, quum ex ipſa hiſtoria abunde appareat, quo iure, vel iniu-

riam,

ria Germani in Galliam inuaſerint, & quid Cæſari, pro conſule ibidem agenti, fuerit faciendum. Maiorem controuerſiam geographia mouet, vbinam illud prœlium, aduerſus Germanos alterum, fuerit commiſſum. Tranſierant Germani inferiorem Rhenum *non longe a mari, quo amnis influit*, indeque latius vagati in fines *Eburonum* & *Condruſorum* peruenerant, quæ ſic Cæſar lib. IV cap. I & VI adnotauit. Eburones vt clariores Condruſis erant, ita etiam haud dubie, maiores potentia latiusque colentes, quorum partem maximam inter Moſam & Rhenum habitaſſe Cæſar tradit, lib. V cap. XXIV. & quia vnum illis caſtellum tribuit, *Atuatucam*, quod Ptolemæus & Antoninus in Tungris cenſent, ſedes Eburonum quodammodo reperta eſt. Hic etiam Germanos illos Cæſar offenderat, hic expugnauit illorum caſtra, qui breuiter reſiſtentes, quum ſuos, qui ante exceſſerant, trucidari audiuere, abiectis armis, fugerunt, vt Cæſar refert lib. IV cap. XV, ad *Moſæ & Rheni confluentem*, vbi reliqua fuga propter concurſum fluminum deſperata, magno numero interfecto, reliqui in flumen ſe præcipitauerunt. Sic omnes codices *Moſa* nomen referunt, etiam Græca tranſlatio ἔνθα συμμίγνυται ὁ Μόσης τοῦ Ῥήνῳ, *vbi Moſa Rheno miſcetur*. Primus, quantum nobis conſtat, Philippus Cluuerius hic ſingularis eſt, & *Moſellam* contendit ſubſtituendam eſſe, vbi libri omnes *Moſam* habent. Quæ de cauſſa ei dicam Io. Iſaacus Pontanus ſcripſit Diſceptationum chorographicarum parte I cap. v. Sane nihil Cluuerius habet pro menda ſua ſententia, quam quod Moſæ & Rheni confluentem putat recentiorem & manu factum eſſe,

pecuniero probat. Quamquam vero Hadr. etiam Valeſius Cluuerium ſic optime animadvertiſſe, Notit. Gall. p. 563. indicat; tamen ibidem nos auctoritate ſtemus, nihil tamen in hoc Cæſaris loco mutandum eſſe contendimus. Quod hiſce Pontanus argumentis ac rationibus confirmavit:

XXXII. Si hoc detur, inquit, quod vult Cluuerius, fugiſſe Germanos *ad confluentem Moſellæ & Rheni*, ſequuturum eſſe, ut Vſipetes Tencteri que Moſellæ, quam Moſæ, fuerint propiores. Verum pugnare id cum verbis Cæſaris, qui ait, pulſis Menapiis tranſiiſſe Vſipetes Rhenum *non longe a mari, quo Rhenus influit*, id eſt, ut ex Cæſaris Rheni & Moſæ eodem loco deſcriptione conſtet, ubi ſe Rhenus dividit, atque cum Moſa miſcetur. Unde, ait, haud obſcure colligi, ibidem quoque, aut certe in proximo, ſedes ab iiſdem poſtea quæſitas fuiſſe [illegible]. Nam ita ſtatim Cæſarem ſubiicere, *his* (Menapiis transrhenanis) *interfectis, navibusque eorum occupatis, priusquam ea pars Menapiorum, quæ citra flumen erat, certior fieret, flumen tranſierunt*, (Tenchteri & Vſipetes) *atque omnibus Menapiorum ædificiis occupatis, reliquam partem hiemis ſe eorum copiis aluerunt. His de rebus Cæſar certior factus*, [illegible]. Deinde cenſet Pontanus, repugnare Cluuerii ſententiæ etiam illud, quod Cæſar poſtquam exercitum ex hibernis Lexoviorum & Aulercorum eduxiſſet, [illegible] Germanos monitos [illegible] Rheno diſcederent; ſed eosdem tamen ad Eburonum [illegible] fines latius evagatos. Unde ſtatim [illegible] in quibus audiebat Germanos eſſe [illegible] quibus [illegible]

die-

dierum iter abeſſet, legatos ad eum Germanorum ve-
niſſe. Hinc conſtare ait, quod poſt, ex Cæſaris a Gal-
lis ſiniſtris ad Eburones deſcenſu, Germanos, licet
excurſiones ſæpe fecerant, circa prima ſua loca & ca-
ſtra præcipue conſtitiſſe. Ad hæc pondus argumen-
tis ſuis exinde apponit, ut conſtet Moſæ & Rheno,
non autem Moſellæ propinquos fuiſſe Vſipetes;
quod equitatum ſuum trans Moſam frumentandi
cauſſa miſiſſent. Longe ſic a Moſella, propius Mo-
ſam habuiſſe caſtra colligit. Denique ex eo probat,
Moſæ potius, quam *Moſellæ* confluentem Cæſari in
animo fuiſſe, quod ipſe hanc totam Germanis prœlii
narrationem ingreſſus, continuo Moſæ atque Rheni de-
curſum, ſimulque utriuſque concurſum, nulla autem
Moſellæ, interſerat.

XXXIIII. Equites, qui abfuerant prœlio, trans Mo-
ſam miſſi, audita ſuorum clade, ad Rhenum regreſſi,
[illegible] Sigambrorum ſe receperunt; ad
quos quum Cæſar nuntios miſiſſet qui hoſtes ſuos tra-
di poſtularent, reſponderunt Sigambri nihil iuris Cæ-
ſari in Romanis trans Rhenum eſſe. Equitum hor-
rum fuere quinque millia; numerum autem turbæ
Vſipetum Tencterorumque, qui in Gallias vene-
rant, capitum CCCCXXX millium fuiſſe traditur:
unde magnitudo periculi, quod Galliæ & Romanis
imminebat, intelligitur.

XXXV. Cæſar autem partim indignè ferens re-
ſponſionem Sigambrorum, partim ab Vbiis inuita-
tus conſtituit in Germaniam proficiſci, & quum
Vbii nauis pollicerentur, id neque ſatis tutum, neque
ſuæ aut populi Romani dignitatis eſſe arbitratus,

Digitized by Google

ponte ſublicio, intra decem dies facto, latiſſimum altiſſimumque flumen copias tranſmiſit; & in Sigambrorum fines contendit, qui vero, ubi primum Caeſarem tranſire audiuiſſent, relictis ſedibus ſuis, in ſiluas ſe receperant. Caeſar multis Germanorum gentibus, quae legatos miſerant amicitiam petentes, obſidibus acceptis, liberaliter reſpondit, & poſt decem octo dies, a quo Rhenum tranſierat, regreſſus in Galliam diſcidit pontem, cuius tranſitionis hic fructus fuerat, ut terrerentur Germani, ne temere in Gallias tranſire auderent, quum vidiſſent, Romanis nec animum deeſſe, neque facultatem tranſmittendi in Germaniam. Sic quoque Vbii, in quibus pons factus fuerat *infra Moſulam*, ut locum Cluuerius lib. II. cap. XIV correxit, approbante Hadr. Valeſio Notit. Gall. p. 363; Vbii, inquam, obſidione fuerunt liberati, quam propter Romanorum amicitiam ſuſtinuerant, quos poſtmodum Auguſtus omnes in ripam Gallicam transduxit.

XXXV. Biennium fere intercesſit, quo nihil contra Romanos a Germanis fuit tentatum. Quum vero Caeſar cum Treuiris bellum gereret, eosque ſuperaſſet, compertum fuit, Germanos quosdam, qui Sueui ſiue Catti fuerant, auxilio fuiſſe Treuiris. Iterum ergo pontem paullo ſupra eum locum, quo ante exercitum transduxerat, in Rheno Caeſar fecit, & aditus viasque in Sueuos perquiſiuit. Hi vero de Romanorum aduentu certiores facti, cum omnibus ſuis ſociorumque copiis ad extremos fines intra ſiluas ſe receperunt. Caeſar, inopiam frumenti veritus, re[illegible] ſuos: ne vero metum omnem barbaris eximeret,

ret, partem quidem pontis, quæ ripam Germanicam tangebat, diſſolvit, reliquam autem turri munivit & præſidio, ut viderent barbari, quam facile Romano exercitui ſit, redintegrato ponte, in fines Germaniæ reverti, & ulciſci injurias, ſi quas Romanis, vel illorum ſociis atque amicis, intuliſſent.

DISSERTATIO VII.
DE
CLAUDII DRUSI EXPEDITIONIBUS,
maxime
GERMANICIS
habita An. 1702.

OMnibus obſcura eſt antiquitas, niſi lumine hiſtoriarum illuſtretur: quod eo fit luculentius, quo plura de re, quam inquirimus, monumenta adſunt: minus clare ac difficilius, ſi memoriæ pauca fuerunt tradita, aut quæ tradita, injuria temporum interierunt. Alterutrum, niſi utrumque, eſt quod in patriæ antiquitatibus inveſtigandis de *Claudii Druſi Germanica expeditione* conqueramur. Ex qua, quantum fieri poteſt, congeremus a variis annalium conditoribus ſparſim & parce propoſita.

II. Fuit is *Nero Claudius Druſus*, vti in nummis vocatur, filius Tib. Claudii Neronis, vici prætorii atque pontificis, qui Lucium Antonium ſecutus ad Peruſiam, deditione a ceteris facta, permanſit in partibus; ac primo Præneſte, inde Neapolin euaſit, ſeruisque fruſtra ad pileum vocatis, in Siciliam profugit. Hæc ex Suetonii Tiberio cap. IV nobis conſtant: qui etiam adiecit, ex Sicilia, offenſum a Sex. Pompeio in Achaiam ad M. Antonium traieciſſe, cum quo breui reconciliatum rediiſſe Romam, vbi vxorem ſuam Octauiano Cæſari petenti, tum grauidam, dicitur conceſſiſſe. Hæc *Liuia Druſilla* erat, Druſi Claudiani filia, in qua fortunæ mutationes, & dubios rerum humanarum caſus, Velleius Paterculus miratur lib. II. cap. LXXV. Liuia enim hoſtem mariti Octauianum fugiens, vixdum bimum Tiberium filium ſinu geſtans per auia itinerum peruenit ad mare, vt cum viro Nerone in Siciliam perueheretur. Hæc autem eius, quem fugerat, vxor poſtmodum facta, cum marito ſumma concordia, & ſummis honoribus vixit, prima inter mulieres eius æui, quæ auguſtæ dignitatis, quum fuerit, & poſt mortem ficta diuinitate honorata eſt.

III. Hæc dimiſſa a marito Druſo Nerone, in Cæſaris noui mariti domo, tertio poſt menſe, *Neronem hunc Druſum* peperit; qui cum ſuo fratre Tiberio (nam & hunc adduxerat) ab Octauiano Auguſto magnis curis, non ſecus ac ſi ipſius eſſent filii, liberaliter eſt educatus. Celer partus, ait Suetonius in eadem vita Claudii refert, licentius iocandi occaſionem Romanis dedit, et cum alius ſuſpicionis, quam ſilentio præterimus: id ſolum quæſituri, quo, præter eum Octa-

uianus

viuus vxorem alienam, si magis eius potuerit abdu-
cere. Res quidem iniuſta & deteſtanda, quam nullo modo excuſamus: Romanis autem non illicita, nec antiqua ſolum conſuetudine, ſed legibus etiam probata. Plutarchus Comparatione Lycurgi atque Numæ, quæ Vitæ Numæ ſubiecta eſt, legem huius regis recenſet, quo ὁ Ῥωμαῖος ἀνὴρ, ἱκανῶς ἔχων παιδοτροφίας, ὑφ' ἑτέρου δεομένου τέκνων ἐξίστατο τῆς γυναικὸς ἐκδόσθαι καὶ μετεκδέσθαι κύριος ὑπάρχων. *Vir Romanus, quum eſſet ei copia liberorum, exoratus ab alio qui ſobolem quæreret, permittebat ei vxorem, quum dimittendi eam prorſus* [illegible] *liberi, rurſus recipiendi eam arbitrium haberet.* Non quidem Octauiani exemplum inſtitutis Numæ plane conueniebat, quia filios Neroni Liuia a partu abduxit. [illegible] tamen vt fieri ſolet, licentia hominum potentiorum præſertim, præſcripto legum derogat, & latius interpretatur.

IV. Sic Druſus, in domo Auguſti natus, de curatione inſtitutioneque [illegible] eſſe. Velleius lib. II. cap. XCV. *Druſum Claudium intra Cæſaris penates enixa erat Liuia*; quod Suetonius etiam confirmat in Claudio cap. I. Ingenio quo fuerit a natura dotatus, ex ſtudiis adulti & rebus clariſſime geſtis manifeſtum: quem niſi [illegible] morte præuentus non in omnibus, aliquot [illegible] paratus erat, ſuſtentare potuit. Item Velleius cap. XCVII. *Ingenium eius vtrum bellicis magis operibus an ciuilibus ſuffecerit artibus, in incerto eſt. Morum certe dulcedo ac ſuauitas, & aduerſus amicos æqua ac par ſui æſtimatio, inimitabilis fuiſſe dicitur.* Ex quibus promtum eſt intelligere, non mino-

minorem in republica gerenda futurum fuiſſe, ſi per fata licuiſſet; quam fuit bello & victoriis. Bonitatem naturæ recta educatio maiorem in modum adauxit & confirmauit. Permultum enim poteſt indoles rite nutrita ſub fauſtis penetralibus, ac omnino inſitam naturæ & pectoris bene nati vim iuuat erigitque recta inſtitutio, & in maius meliuſque prouehit; id quod ita in Druſo Horatius laudat lib. IV. od. IV. *Rhæti*

Senſere, quid mens rite, quid indoles
Nutrita fauſtis ſub penetralibus
Poſſet, quid Auguſti paternus
In pueros animus Nerones.

Par quidem inſtitutio vtriuſque, ſed in Druſo melior natura; Tiberii fratris, in calliditatem & nequitiam propenſa.

V. Præparatos ſic doctrina priuignos Auguſtus bellicis rebus admouit, & primum, quod dux Druſus geſſerit, narratur bellum Rhæticum: quibus tiro interfuerit, procul dubio Auguſti comes & ſectator, non proditum quidem in hiſtoriis eſt; ex more autem Romanorum res ipſa non poteſt dubitari. Suetonius Claud. cap. I, *Is Druſus in quæſturæ præturæque honore dux Rhætici, deinde Germanici belli*: quod ita diuidendum eſt, vt in quæſtura, primo honorum gradu Rhæticum; in prætura, quod etiam Dio lib. LIV refert, Germanicum geſſerit expeditione ſecunda. Sed prius de Rhætico, quod anteceſſit, eſt agendum. Velleius cap. XCV *Remiſſum inde Neronem* (Tiberium) *Cæſar haud mediocrem belli molem experiri ſiuit, adiutore operis dato fratre ipſius Druſo Claudio, quem intra Cæſaris penates enixa erat Liuia: quippe uter-*

que

Digitized by Google

que diuiſis partibus, Rhætos, Vindelicosque adgreſſi, multis vrbium & caſtellorum oppugnationibus, nec non directa quoque acie feliciter functi, gentes locis tutiſſimas, aditu difficillimas, numero frequentes, feritate truces, maiore cum periculo, quam damno Romani exercitus, plurimo cum earum ſanguine perdomuerunt. Id quod Horatius etiam dicta oda cecinit:

Videre Rhæti bella ſub Alpibus
Druſum gerentem & Vindelici.

Monumentum ex illo bello poſteriori etiam, ævo ſuperfuit, *Pons Druſi*, vt in Theodoſiana tabula vocatur, inter Sublabionem & Tridentum ſitus, qui videtur Ptolemæi *Druſomagus* eſſe, quam ipſe in Rhætia quidem, ad fines vero Vindeliciæ collocauit.

VI. Felix ſic in Rhætis, poſtea aduerſus Germanos ab Auguſto miſſus fuit. Lolliana clades occaſionem huius expeditionis dedit. Velleius enim cap. XCVII hoc ordine connectit: *Dum in hac parte omnia geruntur proſperrime, accepta in Germania clades ſub legato M. Lollio, homine in omnia pecuniæ, quam recte faciendi, cupidiore, & inter ſummam vitiorum diſſimulationem vitioſiſſimo; amiſſaque legionis V. aquila, vocauit ab vrbe in Gallias Cæſarem. Cura deinde atque onus Germanici belli delegata Druſo Claudio, fratri Neronis, adoleſcenti tot tantarumque virtutum, quot & quantas natura mortalis recipit, vel induſtria perficit.* Interceſſit tamen tempus non modicum, ſed quadriennii forſan. Dio enim Lollii interitum ſub finem anni vrbis IↃCCXXXVIII. poſuit: primam autem Druſi in Germanos expeditionem ad annum retulit IↃCCXLII. Tres autem expeditiones eo-

Digitized by Google

dem Dione auctore lib. LIV. p. 544 aduerſus Germanos ſuſcepit; primam ante præturam: ſecundam in prætura; tertiam, cui immortuus eſt, in conſulatu.

VIII. Dio ergo Caſſius expeditionem primam ita deſcripſit, quod primum τοὺς Κελτοὺς τηρήσας τὸν Ῥῆνον διαβαίνοντας ἀνέκοψε, Celtas (ſic Germanos hic auctor vocat) *obſeruans, quando Rhenum traiicerent, repulerit.* Sicambros nominat, qui tum motum concitarant, Gallis etiam ad defectionem ſollicitatis. Ad inferiorem ergo Rhenum, & prope Batauorum inſulam, aut etiam in ipſa illa ſtatim caſtra habuiſſe, non eſt quod dubitemus. Quo tempore etiam *foſſa Druſiana*, qua Rhenus in Iſalam deriuatur, & per Fleuum lacum deinceps emittitur in Oceanum, videtur facta fuiſſe, quia eadem expeditione Dio tradit, *ſecundo Rheno in Oceanum deuectum, Friſios ſubegiſſe*, & per paludem in Chaucorum fines prouectum eſſe. Haud dubie enim per nouam foſſam illam delapſus Friſiorum regionem petiit. Quæ ſententia etiam Philippi Cluuerii eſt, libro III. Germ. antiq. cap. XVII dicentis: *Cauſſa Druſo agendæ foſſæ nulla alia fuit, quam vti claſſem hac cum exercitu ex ſuperiore Rheni parte in lacum & Oceanum deduceret; Friſios petiturus & Chaucos*, idque ex hoc ipſo Dionis loco, quem memorauimus, probari firmiter exiſtimat. De foſſa illa etiam Tacitus Annal. II. cap. VIII *Iam claſſis aduenerat, quum præmiſſo commeatu, & diſtributis in legiones ac ſocios nauibus, foſſam, cui Druſianæ nomen, ingreſſus, precatusque Druſum patrem, vt ſe eadem auſum libens placatusque exemplo ac memoria conſiliorum atque operum iuuaret. Lacus inde & Oce-*

anum vſque ad Amiſiam flumen ſecunda nauigatione penetrauit. Et Suetonius Claud. cap. 1. *Is Druſus Oceanum ſeptemtrionalem primus Romanorum ducum nauigauit, transque Rhenum foſſas noui & immenſi operis effecit, quæ nunc adhuc Druſinæ vocantur.* Dum plurali numero loquitur, & *immenſum opus* vocat, videtur ſimul Iſalæ ſiue Salæ aluei ampliationem ſignificare, quia ipſa noua foſſa inter Rhenum atque Salam, octo tantum milliarium eſt paſſuum. Caſaubonus quidem dubitat, Iſalam ad foſſam illam pertinere, putatque nec ex Taciti, nec Suetonii verbis id ſatis probari poſſe. Alios vero Philippo Cluuerio videmus, operoſe ſententiam ſuam probanti: quem doctiſſimus quiſque, & in his etiam ὁ πάνυ Græuius ad Suetonium, ſequutus eſt; neque nos quidquam de eo dubitamus.

VIII. Foſſam ergo Druſus, ſaltem ex parte, tum fecit, quum Sicambros obſeruans, Rhenum traiecturos, otioſum haberet militem. Boni enim ducis eſt, ſemper milites in opere tenere, & ſi nullum Martis faciendum eſt, alio, quod vtile ſit, eoſdem exercere. Quum vero Germani non ceſſarent moleſti eſſe, traiecto Rheno κατὰ αὐτὴν τὴν Βαταούων νῆσον, *iuxta ipſam Batauorum inſulam*, in Vſipetes primum, & exinde in Sicambros venit, eorumque regionem vaſtauit. Ex quibus intelligimus, Vſipetes propiores Rheni diuortio, quam Sicambros fuiſſe. Tum demum ſecundo Rheno in Oceanum & Friſios enauigaſſe dicitur, foſſa interea ab relictis ibi militibus perfecta, quum ipſe in Sicambris eſſet. His peractis, hieme iam appetente, Romam Druſus regreſſus eſt. Et quamquam ante iam prætorios honores acceperat, *ἀϛυνόμος* eſt creatus.

IX.

Digitized by Google

IX. Inſolens Romanis vox ἀςυνόμος, quam Dionis interpres Guil. Xylander *prætorem vrbanum* vertit: alii *ædilem*, quemadmodum Papiniani liber ſingularis Ἀςυνομικοῦ lege VII. D. de Via publica, ſic deſcribitur, vt ad ædiles, eorumque officium Romana conſuetudine pertineat. Dio Caſſius autem alibi ſemper prætores ςρατηγοὺς; ædiles ἀγορανόμους appellat, vt dubium relinquatur, quodnam ἀςυνόμους magiſtratus genus notauerit. Et diſcrimen apud ipſos Græcos inter ἀγορανόμους & ἀςυνόμους fuiſſe, docet Vlpianus Demoſthenis ſcholiaſtes, in Timocratem p. 819. Græcorum ἀςυνόμοι ab Harpocratione explicati, minorum rerum curam gerebant, quam vt Druſo, prætoriis honoribus ornato, & tot gentium victori, id munus, abhorrens ab Romanorum moribus, imponi potuiſſet. Relinquitur ergo, vt vel prætura vel ædilitas ſignificetur. Malim *præturam*, quia Druſus prætor fuit & in prætura res geſſit, vt Suetonius Claudii principio refert: & Dio poſt paulo expeditione ſecunda Germanica meruiſſe Druſum dicit, vt proconſulari imperio vteretur, ἐπειδὴ διεςρατήγησε, *quando præturam ad finem perduxiſſet*. Conſules illius ætatis rem dubiam declarant. M. Valerio & P. Sulpicio coss. prima expeditio in Germaniam facta eſt, de qua diximus. Romam autem ex hibernis profectus, ἀςυνόμος Ianuario menſe, coss. Aelio Tuberone & Fabio Maximo eſt factus: ἅμα τῷ ἦρι, *initio veris* eodem anno in Germanos profectus, Vſipetes, Sicambros & Cheruſcos ſubegit, vsque ad Viſurgim proceſſit, non autem amnem tranſiit, quia ὁ χειμὼν ἐνέςη, *hiems inſtabat*, qua ineunte Ro-

Romam reuertit, ouans inuectus equo. Tum demum Auguſtus ei *ἀνθυπάτου ἐξουσίαν, proconſulare imperium* decreuit, ſed *διαστρατηγήσαντι, non prius quidem, quam præturam finiſſet.* Finiit autem nouis conſulibus. Iulio Antonio & Fabio Maximo, quo anno proconſulari dignitate ornatus, cum Auguſto in Galliam proceſſit: ſed nihil eo anno contra Germanos ſuſceptum eſt: inſequenti, ipſo Druſo & Q. Criſpino coss. vltimam expeditionem inter Viſurgim & Albim fecit, cui etiam eſt immortuus. Ex hac Dionis diſtributione temporum elucet, *ἀστυνομίαν* non poſſe eſſe aliam hoc loco, quam *στρατηγίαν*, ſiue *præturam vrbanam*: cui non obſtat, quod iam ante *στρατηγικὰς τιμὰς, pretorios honores* habuerit, quia, præſertim ſub Cæſaribus, etiam aliis inſignia & ornamenta prætoria, antequam prætores fierent, fuere auctoritatis ergo data, ſicut proconſulare imperium ipſi Druſo, antequam conſulatum iniret.

X. Nunc de ipſis expeditionibus, domitisque populis diſpiciendum eſt. De prima ſupra actum: de ſecunda itidem Dionis deſcriptionem ſequemur, quia ceteri ſcriptores neque annos, neque ipſas expeditiones diſtinguunt, & breuiſſime de omnibus agunt. Ait autem, Rhenum transgreſſum; Vſipetas *καταστρέψασθαι, ſubiugaſſe,* quod prioris anni imperfectam victoriam arguit. Deinde *τὸν Λουπίαν ἔζευξε, καὶ ἐς τὴν Χερουσκίδα προεχώρησε μέχρι τοῦ Οὐισούργου, Luppia ponte iuncto in Sicambros erupit, & per eos in Cheruſcorum regionem, vsque ad Viſurgim fluuium proceſſit.* Videtur quidem hæc ſuperioris anni itineri repugnare, quo iuxta Batauorum inſulam dice-

Digitized by Google

cebatur in Vſipetes progreſſus, inde in Sicambros: nunc vero circa Luppiam vterque populus dicitur habitaſſe. Sed ſuperiori loco Druſus prope Batauorum inſulam Rhenum traiecit, vt in Vſipetes moueret, ipſum autem diuortium Rheni illos attigiſſe non dicitur. Ex Sicambris autem mouit in Cheruſcos, quos dicit vsque ad Viſurgim coluiſſe; an vero illo tempore etiam trans Viſurgim, Albim verſus, illa gens habitauerit, nunc eſt inquirendum.

XI. Cis Viſurgim, etiam vsque ad ſiniſtram ripam amnis Cheruſcos olim habitaſſe, Velleius Paterculus lib. II cap. CV, & clarius Dio Caſſius verbis ſupra productis tradiderunt. Ille enim dicit receptos antea Cheruſcos, quam tranſitus fuerit Viſurgis, & vtrumque factum eo ordine coniungit, vt oſtendat, poſt Cheruſcos victos Druſum traiecisse amnem: huius vero verba erant, ἐς τὴν Χερουσκίδα προσεχώρησε μέχρι τοῦ Οὐισούργου, *in Cheruſcorum regionem ingreſſus vsque ad Viſurgim proceſſit*, quem ordinem etiam ſeruat libro LVI, πρός τε Χερουσκίαν μετέστη, καὶ τὸν Οὐίσουργον διαβὰς ἤλασε μέχρι τοῦ Ἄλβιος, *in Cheruſcorum regionem progreſſus eſt, & Viſurgim traiiciens, ad Albim vsque peruenit.* Poſteriores inter Viſurgim & Albim eos videntur collocaſſe, quod recentiores, tamquam certiſſimum, approbant: atque ita ex Tacito & Arminii bello rem dicit Philippus Cluuerius conſtare. Quod quidem pro temporum diuerſitate & populi multiplicatione facile conciliari poteſt, celebrius nomen vltra Viſurgim fuiſſe: aliquod tamen etiam cis amnem. Vsque ad Albim vero eoſdem coluiſſe, ex Taciti Germ. cap. XXXVI probatur, di-

Digitized by Google

dicentis *Foſos*, qui a dextra ripa oſtiorum Albis erant, *conterminam gentem* Cheruſcorum & Claudiani de IV conſulatu Honorii v. 451.

... *ingentes Albim liquere Cheruſci.*

XII. Tertia nunc expeditio Druſi, eaque maxima, eſt explicanda. Dio de illa lib. LV incepte tradit, Druſum conſulem in Cattorum fines ingreſſum, omnia ſubegiſſe: Καὶ προῆλθε μέχρι τῆς Σουηβίας, *progreſſum usque ad Sueviam*, quam etiam ſibi ſubiecerit, victis qui repugnabant. Κἀντεῦθεν πρός τε τὴν Χερουσκίων μετέστη, καὶ τὸν Οὐίσουργον διαβὰς, ἤλασε μέχρι τοῦ Ἀλβίου, πάντα πορθῶν. *Inde in Cheruſcos converſo itinere, Viſurgim transgreſſum, omnia populando usque ad Albim perdidiſſe.* Hoc ſingulare eſt, quod Dionis verbis obſeruamus, Suevos a Cattis diſtingui, iis autem conſtitui proximos, vt a Cattis Druſus per Suevos in Cheruſcos duxerit. Tacitus de Germanis cap. XXXVI etiam Cattorum Cheruſcorumque vicinitatem probauit: *in latere*, inquit, *Chaucorum Cattorumque, Cheruſci nimiam ac marcentem diu pacem illaceſſiti nutrierunt.* Suevos autem, quos memorat, dubium an a Cæſare habuerit, qui, Cattos ſilens, in toto tractu illo *Suevos* nominat. Forte inualuit poſtea Cattorum nomen, Suevorum in his partibus deminutum, & tantum omne exſtinctum, ſuccedente Cattorum appellatione. De ceteris autem Suevis in varias gentes diſtributis, ſed trans Albim fere omnibus, Tacitus cap. XXXVIII. ſeqq. conſulatur. Deinde bellum trans Viſurgim ad Albim vsque prolatum fuit, atque etiam tranſiturus Albim fuiſſet Druſus, niſi ſpectrum a conatu hoc deterruiſſet: ſtatutis

ergo tropæis, inde abſceſſit. Dio iam dicto loco ἐπεχείρησε μὲν περαιωθῆναι, οὐκ ἠδυνήθη δὲ, ἀλλὰ τρόπαια στήσας, ἀνεχώρησε *Conatus quidem tranſire* (Albim;) *non autem potuit: ſed tropæa conſtituens, receſſit.*

XIII. Cur non potuerit, cauſſam de ſpectro adfert, mulierem quamdam μείζονα ἢ κατὰ ἀνθρώπου φύσιν, *maiorem quam pro humana figura*, Druſo occurriſſe, & exprobrato inſatiabili cupiditate (Δροῦσε ἀκόρεστε) dixiſſe, οὐ πάντα σοι ταῦτα ἰδεῖν πέπρωται, *non tibi ſatis conceſſum hæc omnia videre.* Eadem refert Suetonius cap. I Claudii, *non prius Druſum deſtitiſſe hoſtes inſequi, quam ſpecies barbara mulieris, humana amplior, victorem tendere vltra, ſermone Latino probibuiſſet.* Addit Dio, nuntiaſſe etiam: ἄπιθι, καὶ γάρ σοι καὶ τῶν ἔργων καὶ τοῦ βίου τελευτὴ πάρεστιν ἤδη, *faceſſe hinc: iam enim & operum tuorum, & vitæ inſtat tibi terminus.* Phaſma illi apparuiſſe, quod tam cordati ſcriptores memorant, non negamus: quale illud fuerit, dubitabundi admiramur. Credebant deorum cultores, cuilibet regioni ſeu genti deam præſidem eodem nomine adeſſe, quod ſimili *Africæ* exemplo etiam Plinius lib. VII epiſt. XXVII adfirmat. *Ego*, inquit, *vt eſſe phaſmata credam* (numen aliquod paullo ante dixerat) *inprimis eo ducor, quod audio accidiſſe Curtio Rufo. Tenuis adhuc & obſcurus obtinenti Africam comes hæſerat: inclinato die ſpatiabatur in portitu, offertur ei mulieris figura, humana grandior pulchriorque: perterrito, Africam ſe, futurorum prænuntiam, dixit, iturum eum Romam, honoreſque geſturum, atque etiam cum ſummo imperio*

Digitized by Google

rio in eamdem prouinciam reuerſurum, ibique moriturum. Dicit Plinius & approbat, hæc omnia ita facta eſſe. Non autem luſum humanum fuiſſe, quod Druſus vidit, figuræ magnitudo, vt credamus, ſuadet, quum nec Romanus tam grandem formam ſimulare, nec barbarus Latine loqui potuiſſet. Nec facile id ſomnium fuiſſe perſuaſeris, quum neque Suetonius, neque Dio nocturnæ viſionis mentionem faciant. Quod ſi ergo his auctoribus habenda fides eſt, ſpectrum aliquod fuiſſe, vel ideo videtur probabilius, quia malignum ſpiritum variis luſibus cultores deorum nouimus decepiſſe, vt in errore illos obfirmaret.

XIV. Tropæis conſtitutis, dicit Dio, receſſiſſe. Ad Albim fuiſſe poſita, hinc eſt credibile, quia amnis ille fuit terminus expeditionis. Varia autem fuerunt antiquorum tropæa, ex arboribus truncatis facta, aut lapidibus congeſtis educta, aut aræ forma religioni conſecrata, ne deſtruerentur; nam arcum fuiſſe, qui etiam aliquando pro tropæo fuit, vel ideo nolim credere, quia in barbara regione, tantaque feſtinatione, ex terrore orta, vix tempus aut locus magnifico operi videtur ſuperfuiſſe. Ptolemæus lib. II cap. XI in climate, quod ſub ſeptemtrionali Germaniæ poſuit, latitudine LII graduum cum minutis XLV, ad Albis fere ripam longitudine ducente, habet Τρόπαια Δρούσου, *Tropæa Druſi*, tamquam oppidi nomen, quod dubites a Druſo vel aliis poſt Romanis conſtitutum eſſe, aut ſi fuerit, non euerſum & deletum a barbaris. Qui enim, ne religionem quidem veriti, *aram* Druſo erectam ad limitem Romanum, diſiecerunt, vt Tacitus Ann. II cap. VII refert; hos multo minus credas alia

monumenta in interioribus Germaniæ paſſos fuiſſe conſeruari. Quod ſi oppidum omnino fuit eius nominis Ptolemæi æuo, ex caſtris Druſi poſtremis videri poſſet ortum eſſe, quibus ſi tropæa propinqua forte fuerint, locis illi vel oppido id nomen ab Romanis ſeruari potuit, licet probari non poſſit, Ptolemæi ætate Romanos vsque ad Albim Germaniam poſſediſſe. Si numeros Pompeii recte componimus, tropæa illa in Marchiam cadunt Brandenburgicam, infra Tangermundam, circa Stendelium; quousque Druſus, ſi recte poſuit Ptolemæus, victricibus armis progreſſus fuit.

XV. Io. Freinsheimius V. CL. in Flori lib. IV cap. XII in *Boiohemum* hoc tropæum videtur deducere. Flori enim verbis: *Marcomanorum ſpoliis inſignibus quemdam editum tumulum in tropæi modum* (Druſus) *excoluit*; adiecit interpretationem, vt primum Dionis verba, *Druſum fruſtra conatum Albim tranſire, tropæis conſtitutis receſſiſſe*, huc applicet: deinde de ſuo addat: *Igitur Marcomani tum temporis ad Albim coluerint, quod ex Tacito colligas. Germ. cap.* XLII. Sed Dio, qui Druſi bella cum cura ſcripſit, nihil de Marcomanis memorauit; neque Suetonius aut Tacitus: & ipſe Velleius, hiſtoriam illorum perſequutus, poſterius multo, quam Druſi mortem, bellum habet Marcomanicum. Vide cap. CVIII ſeq. Deinde ſi vera ſunt quæ Florus narrat, & ex eo repetit Oroſius lib. VI cap XXI, ad ſecundam potius, quam tertiam expeditionem, qua ad Albim ventum fuit, referenda eſſent. Vide vtriusque ordinem. Eſt in Boiohemo quidem Albis, ſed recens natus, & adhuc ignotus

tus Romanis: nec Tacitus Marcomanos ad Albim locat, ſed in ſede Boiorum. Incertum etiam tempus, quando Maroboduus in Boiohemum Marcomanos traduxerit, quod Velleius cum Tiberii expeditionibus videtur coniunxiſſe.

XVI. Quum ita ab Albi recederet Druſus, ad Romanum contendens limitem; antequam ad Rhenum veniret, in morbum incidit, ex quo in æſtiuis caſtris mortuus eſt. A principio morbi nuntius ad Auguſtum, tum in Galliis agentem, miſſus eſt, a quo Tiberius ad fratrem ablegatus, ſpirantem adhuc dicitur inueniſſe; quæ Dio Caſſius, ex parte etiam Suetonius, dictis locis narrauerunt. Corpus non combuſtum Romano more, ſed odoribus diſſertum, vt maioribus, quam vulgares erant, honoribus ritibusque ſeruaretur. Ex caſtris, vbi exſpirauerat, quæ inde *ſcelerata* dicta ſunt, per tribunos & centuriones portatum in hiberna, quæ haud dubie ad Rhenum erant. Vnde eſt, quod *cenotaphium* milites, id eſt honorarium tumulum, vt Suetonius interpretatur, apud Mogontiacum excitauerunt, vt Eutropius refert lib. VII cap. VIII. Inde per Galliam Italiamque a ſingularum ciuitatum, quas via tangebat, primoribus ſuſceptum, Romam tandem delatum eſt. Suetonius dicto loco: *Corpus eius per municipiorum coloniarumque primores, ſuſcipientibus obuiis ſcribarum decuriis, ad vrbem deuectum, ſepultum eſt in Martio campo.* Id honoris fuit, quod corpus ſepulturæ datum, non cineres, non reliquiæ. Auxit honorem progreſſio Auguſti Ticinum vſque, vt ipſe funus per Italiam præcederet, vt Tacitus annali III cap. V Tibe-

rii verbis memorauit: deinde gemina *parentatio*. Tiberius frater enim in foro, vbi corpus expoſitum oculis erat, laudauit; Auguſtus in circo Flaminio extra pomœria, quod, cum exercitu ab vrbe profecto, non fas erat intrare in eam, antequam cetera peragerentur, quæ redeuntibus maiorum more erant perficienda. Vtrumque Caſſius edocet. Haud dubie ingeniorum etiam certamina acceſſerunt, vt vel ex ſola Ouidii ad matrem Liuiam elegia manifeſtum eſt. Senatus Principis æmulatus pietatem, quod nunquam factum erat, poſt funera cognomen *Germanici* decreuit, etiam in poſteros propagandum: & auctæ ſunt eius ſtatuæ, & arcus marmoreus honoris & memoriæ cauſſa erectus. Iterum Suetonius: *Senatus inter alia complura marmoreum arcum cum tropæis via Appia decreuit, & Germanici cognomen ipſi poſteriſque eius.*

XVII. Hæc in vrbe & prope eam ornamenta: extra illam plura tam in Italia, quam in prouinciis. Rauennæ ſane, quod Claudii Cæſaris inſcriptione probatur, monumentum quoque accepit ceu cenotaphium. Claudius enim Rauennates liberalitate donauit OB MEMORIAM PATRIS, VT QVOTANNIS ROSAS AD MONVMENTVM EIVS DEFERANT, ET IBI EPVLENTVR. De honorario tumulo ad Mogontiacum in Galliæ finibus modo dictum fuit. Sed Lipſius ad Taciti Annal. II cap. VII illud monumentum in Germaniam ad Luppiam fluuium conatur transmouere, ſeu inter illum & Rhenum, vbi Tacitus *Druſi aram* fuiſſe ſitam memorat: hanc vero cum monumento fuiſſe coniunctam ait, quia *publice* ibi *ſupplicatum eſſe* Suetonius teſtetur.

At

Digitized by Google

At fruſtra ſollicitatur Eutropius, quia & Dio Caſſius memorat τιμὰς κενοταφίου πρὸς αὐτῷ τῷ Ῥήνῳ, *honores cenotaphii ad ipſum Rhenum*, qui ſane alius locus eſt ab illa ara, quam Tacitus deſcripſit. Meruerat Druſus, vt memoria eius locis pluribus celeretur; non tantum tumulorum ſpecie, ſed etiam pro more illorum temporum & hominum opinione ipſis etiam *aris*. Addo *rogos per omnem Italiam ardentes*, quum Druſi funus tranſibat: quos Seneca ad Marciam capiti memorauit, & bene Lipſius de honorariis & inanibus rogis interpretatus eſt:

XVIII. De reliquis Druſi breuiter quoque agendum. Vxorem habuit *Antoniam* minorem, M. Antonii & Octauiæ, Auguſti ſororis, filiam, ex qua tres liberos reliquit, Germanicum, Liuillam, Claudium, poſt imperatorem. Opera reliquit plura, in Germaniæ limite poſita, in quibus Caſſius lib. LIX duo caſtella memorat, vnum ad Luppiæ & Aliſonis confluentem; alterum ad ipſum Rhenum in Cattis exſtructum. Auget admodum Florus numerum lib. IV cap. XII. *Druſus*, inquit, *in tutelam prouinciarum præſidia atque cuſtodias vbique diſpoſuit: per Moſam flumen, per Albim, per Viſurgim. Nam per Rheni quidem ripam quinquaginta amplius caſtella direxit.* Ex iis credunt antiquiſſima ad Rhenum oppida ſupereſſe: ad Albim quoque poſita, dubitamus, quod longius is amnis ab Romanorum præſidiis remotus eſt, quam vt Druſus Romanos milites in medio barbarorum gentium, deſertos ab Rhenanis & ad Viſurgim poſitis, relinqueret, præſertim quum ſubito ab Albi, ſpectro, de quo diximus, territus, reuerteretur. Credibi-

dibilius de Viſurgi eſt, qui medius inter Albim & Rhenum fluit. Illæ enim partes facilius defendi ac tutari ab Rhenanis præſidiis, quæ numeroſa erant, potuerunt. Cluuerius huc etiam refert nobilem nunc vrbem Cattorum *Caſſellam*, Fuldæ appoſitam, octo millibus paſſuum ſupra confluentem Viſurgis ſiue Viertæ. Nomen ait, vt aliis exemplis conſtet, ex *caſtello* eſſe prauatum. Non improbabilis coniectura, quam vero, ſilentibus tam geographis, quam hiſtoricis vetuſtis, in medio relinquere, quam acriter tueri, malumus.

XIX. Extincto Druſo, bellis reliquis in Germania Auguſtus Tiberium præfecit, de quo *Velleius* cap. XCVII glorioſe ſcripſit, *peragratum victorem omnes partes Germaniæ, & ſic eam perdomuiſſe, vt in formam pæne ſtipendiariæ redigeret prouinciæ.* Ipſe tamen Tiberius Taciti Ann. II cap. XXVI ad Germanicum ſcripſit, *ſe nouies a diuo Auguſto in Germaniam miſſum, plura conſilio, quam vi perfeciſſe.* Sed horum multa ad ſubſequens tempus pertinent, quæ Druſus quidem parauerat, mox autem frater perfecit: in quibus præcipuum putamus eſſe, quod *quadraginta millia dediticiorum*, vt Suetonius cap. IX Tiberii narrat, traduxerit in Galliam, iuxtaque ripam Rheni ſedibus collocauerit adſignatis. In his idem Vita Auguſti cap. XXI Vbios & Sicambros nominat in iis, quos traduxerit. Eutropianus numerus, quem libro VII cap. V habet, nimietate ſuſpectus eſt: ſimilior veri, quem poſuit Suetonius: quamuis ſecus videatur Cluuerio lib. II Germ. cap. XVIII. Hinc initia prouinciarum in ſolo Gallico, *ſuperioris inferiorisque Germaniarum.*

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO VIII.

DE INITIIS CVLTIORIS GERMANIAE,

habita An. 1703.

PRæſtantior hominis pars animus quamuis expers ſit omnis materiæ molisque, quæ premit corpora; neque in oculos incurrat, aut ſenſu corporis percipiatur: tamen in multis partibus, aut, vt verius dicamus, rationibus multis cum rebus, quæ corpus habent, aut mole ſua ſunt expanſæ, comparari apta ſimilitudine poteſt: nec illum tantum ſic conferre licet, verum etiam,* quæ ex illius natura fluunt, vita & ſocietas hominum.

II. Non eſt, quod exempla rei longinquiora repetamus, quibus, quæ diximus, illuſtrentur ad fidem faciendam: quum id ſufficiat, in quo maiorem vim hominum ac pleniorem numerum exerceri adhuc vidimus, nec hodieque ceſſare a ſuo opere atque labore. Agriculturam intelligo, cui plures mortalium ſunt dediti, quam vlli rei aut negotiationi. Quæ autem illius eſt ratio, vt vel arando, vel conſerendo, vel metendo denique perficiatur; eadem etiam eſt animi, qui horridus plane & aſper exſiſtit, & inconditos mores barbaramque vitam profert, niſi ſollerti diſciplina excolatur, & ſapientiæ ac virtutis ſemina accipiat, quæ fructus vberiores ad conſeruandam & melius prouehendam generis humani ſocietatem adferant. Vt vero, negligitur

gitur cultus ager, etiam opimus natura, deſinit bonos fructus ferre, & loliis ſentibusque obducitur: ita etiam animi cultura tam neceſſaria eſt homini, qui ad publicam vtilitatem, quod ſuum eſt, conferre debet, vt niſi ille aſſidue percolatur exerceaturque; ſterileſcat omnino, & nihil ſalubre ac frugiferum in ſe retineat.

III. Barbariem inde & ſqualorem, qui genus humanum omne & terrarum orbem occupauerat, proueniſſe, nemo eſt qui neget, niſi qui animo vti neſciat, aut omnem exuerit humanitatem: quod argumento luculentiſſimo eſt, quo neceſſitas colendæ mentis & ad virtutem inſtituendæ comprobetur. A cataclyſmo primus cœtus diuina voce, ſtupendis miraculis, beneficiis frequentibus adductus eo erat, vt Deum omnes cognoſcerent, virtutem, & quod rectum eſt, tractarent, accedente patriarcharum cura atque ſtudio, quorum vita iccirco ſupra modum propagata fuit, vt pietas & virtus in poſteros illibata tranſmitteretur; quamquam iam in prima familia, Chanaane videlicet, nepote Noachi, ſemina malitiæ & deprauationis ſe prodiderint.

IV. Diſperſione gentium facta, non ſenſim aut lente, ſed citato gradu deſcitum a virtute eſt ad vitia, & ab vero Dei cultu & amore ad ſimulacrorum adorationem: & quo longius proceſſum fuit ab ſede primigenia, quæ primos homines ex diluuio accepit propagauitque; eo craſſior ignorantia non diuinarum modo rerum, ſed aliarum etiam, quæ ad ciuilem virtutem cultumque vitæ commodiorem pertinent, hominum mentes inuaſit: quæ nec expelli prius, neque

mit-

Digitized by Google

mitigari ratione potuit, quam vel rara quorundam induſtria & perſpicuitate; vel nouorum meliorumque hoſpitum ac colonorum acceſſione rudes homines & inculti ad cultiorem vitam in hac vel illa regione (nondum enim vbique terrarum) adducti ſunt.

V. De Chaldæis, patriarcharum ſedi proximis, eorumque vicinis Aſſyriis Aegyptiisque nihil dicemus, qui quamuis in immanes quoque de ſacris rebus errores prolapſi erant; in ciuili tamen vita & artium diſciplina aliquid recti verique retinuerunt. Hos vero intactos iam relinquemus, quia ab iis vel nihil, vel ſi omnino aliquid, per longas id ambages ad noſtram *Germaniam*, de cuius cultura in præſenti diſſertamus, per commercia aut colonias, de quibus certo conſtet, adlatum fuit, quod morum feritatem emendaret, & ad ciuiliorem vitam homines adſueſceret. Europæ terminis contenti, Græcos primum reſpicimus, qui a Phœnicum gente aliquid ſapientiæ dicuntur accepiſſe: a Græcis Itali & Romani: ab his Tranſalpini populi, atque ſic tandem etiam Germani aliique Septentrionales. Non omnem culturam iam explicabimus; ſed in vna tantum illius parte, principe autem & præcipua & tali, quæ cauſſam omnem illuſtrare poſſit, adquieſcemus.

VI. Litterarum diſciplinas quam plurimum ad vitam cultiorem conferre, ſapientum omnium pleniſſima eſt conſenſio, quibus vt ceteri etiam accedant qui, non tantum intellexerunt, paucis iam verbis & rationibus demonſtrandum eſt. Nemo enim infitias it, litteras atque ſcriptos codices eſſe fideles earum rerum cuſtodes, quæ hominum facile memoriam effugiunt;

&

& in ſe præcepta continere, quibus ad virtutem inſtituamur; eademque transmittere ad poſteros, & præclaris exemplis, quod fieri poſſint, quæ præcipiunt, approbare: quod ſane, ſi litterarum diſciplinis ita perficitur & confirmatur, neceſſe eſt vtique, cunctis illas actibus humanæ vitæ ſingularem & ſplendidiſſimam lucem ad virtutis viam & ciuilem felicitatem præferre. In hoc autem auctores veteres conſentiunt plerique, ex Phœnice aduenisse, qui rudes Græcos primum litteras & ſcribendi rationem perdocerent, ſiue Cadmus ille fuerit cum ſociis, ſiue alius rector nouæ Phœniciorum coloniæ. Scribendi quidem ſolam artem auctores quidam memorant, quam Cadmo Græci debuerint: nec vero eſſe credas, quod tantis id verbis extollant, niſi cum litteris etiam prudentiæ doctrinam aliamque eruditionem ille attuliſſet; cuius ars illa ſcribendi iam eſt principium atque origo, etiam ſingulare in exercendo adiumentum, & fideliſſima cuſtos in conſeruando; etiam prope vnica adiutrix ad propagandum.

VII. A Græcis in Italiam translatas eſſe litteras, indeque latius diffuſas poſtmodum, non opus eſt, vt argumentis induſtrie conquiſitis comprobetur. Pleni ſunt libri de Saturni in Italiam deſtinata & peracta fuga: & Euandri ex Arcadia in eandem profectione, quos ſecuti alii ſunt, & in his quoque Damaratus Corinthius, qui Tarquiniis in Etruria conſedit: filius Romæ regnauit. Quos imitati alii, in Italiæ parte, quæ propior eſt Græciæ, multas vrbes Græcanicas condiderunt, quæ per longa tempora Græcas litteras atque mores conſer-

vaſſe

Digitized by Google

vaſſe vel ipſo Cicerone auctore, in illa pro Archia oratione, adfirmamus.

VIII. Roma cum vires adquiſiuiſſet, non in ſola Italia ſua, ſed in exteras etiam prouincias colonias non paucas deduxit: quarum commercio barbaræ gentes ad ciuiliorem vitam cultioresque mores conſuetudine & vſu ſunt inſtitutæ, quod de Hiſpania & parte Galliæ, quæ circa Rhodanum eſt, ſi quis negare auſit, magno clamore celebrium coloniarum refutabitur. Germania autem noſtra ſero tandem aliquid ab Romanis per conſuetudinem accepit, quod ad morum mitigationem & vitam manſuetiorem aliquid adferret. Quod, quando initium ſumſerit, & qua ratione fuerit conſeruatum propagatumque; noſtri iam eſt inſtituti, indagare, & quantum fieri poteſt, ex tenebris antiquitatum ac barbarorum temporum, quæ Germaniam cumprimis oppreſſam tenuerunt, in lucem protrahere ac oſtentare.

IX. Origo Germanorum ſubobſcura eſt, cum Romanis ignoti plane fuerint ad Cimbricum vſque bellum; & ante Cæſaris proconſulatum nemo illorum fines ingreſſus ſit: quamuis nec hic de illis multa tradiderit. Incertiora ſunt, quæ Græci ſcriptores, vtpote remoti longius, de illis prodiderunt. Id tantummodo a finitimis audiuerant Romani, eſſe gentem feram & maxime barbaram, terram ipſam incultam & frugum expertem, ſiluis & paludibus oppletam: cælum aſperum & immite, quod tam dura ingenia efficiat, vt digna ſint ſqualore ipſius terræ, quæ homines illos immanes atque horridos procreauerat. Tacitus fere primus eſt, qui ſingulari libro, quem de ſitu & populis Germaniæ

ſcripſit,

ſcripſit, aliquid de origine tradiderit. *Germanos*, inquit, cap. 11 *indigenas crediderim, minimeque aliarum gentium aduentibus & hoſpitiis mixtos*. Rationes has adiicit: *quia nec terra olim ſed claſſibus aduehebantur, qui mutare ſedes quærebant: & immenſis vltra Oceanus raris ab orbe noſtro nauibus aditur. Quis porro* (& hoc adiecit) *præter periculum horridi & ignoti maris, Aſia, aut Africa, aut Italia relicta, Germaniam peteret, informem terris, aſperam cælo, triſtem cultu adſpectuque; niſi ſi patria ſit?* Dum inquirit hic auctor originem, eam magis magisque nobis occultat, *indigenas* vocando Germanos noſtros, quos definire & interpretari eſt difficillimum, ſi erroris ſcopulos & manifeſtam falſitatem ſtudeas euitare. Græci αὐτόχθονας vocant & γηγενεῖς, *terra natos*, qui aliunde non adueniſſent: quod de Athenienſibus plerique ſcriptores adfirmarunt. Cicero autem pro Flacco cap. XXVI ad obſcuram antiquitatem refert, quod, quorum originem poſteriores ignorauerint; e terra prognatos eſſe credidiſſent. Sed vnum hominem e terra natum vel formatum nouimus; ceteros omnes procreatos ex hominibus.

X. Aliam ergo & veriorem originem Germanorum inueſtigare nunc noſtri eſt inſtituti: nec enim rationes Taciti ſunt eiusmodi, vt probare nobis poſſint, non aliunde adlatos Germanos fuiſſe, ſed ipſo, quod colebant, innatos eſſe ſolo. Non eſt credibile, quum gentium primæ diuiſiones fierent, nauibus potius, quæ forte tum nullæ erant, quam terreſtri itinere diſperſas fuiſſe; quamuis poſtea vſu nauigiorum longius etiam profectas eſſe non negamus. In eo autem facile

cile conſentimus, per Oceanum primos cultores non fuiſſe in Germaniam delatos. Quod vero exiſtimat, ex Aſia aut Italia nullos populos in terram aſperam cælo & ſitu informem profecturos fuiſſe; in eo nos diſſentire aperte profitemur. Eſt omnino aliquid cæleſti prouidentiæ, quæ duxerit homines direxeritque curſum illorum, quum in diuerſas terras exierant, imputandum, vt genus humanum per omnem terrarum orbem diffunderetur. In Aſia nati erant primi homines: ſeruati quoque ex vndis diluuii in Aſia: atque ita ex eadem Aſia diſperſio gentium in finitimas terras, deinde in vlteriores, & tandem in extremas fuit facta, quum Aſia illa non omnes caperet, ſed mitteret in Europam atque Africam, qui ſuperabant. Quo ductu profectioneque putamus factum eſſe, vt in Germaniam quoque venirent homines, quibus ſi omnino per Alpes clauſus aditus fuiſſet, patuiſſet tamen per Pannoniam & alias intra Oceanum regiones. Vtique ex prima diſperſione gentium vt aliarum omnium, ita etiam Germanorum origines ſunt, vt tamen tempora diſtinguantur, quia citius, quæ propiores erant Aſiæ, Babyloniæ partes habitatas fuiſſe, ſerius vlteriores, credibile eſt.

XI Iudæi, neſcio qua traditione ab Aſchkenaz, Iapheti nepote, pronepote Noæ, & nomen & originem gentis Germanorum trahunt, & ipſam Germaniam terram *Aſchkenaz* adpellant. Vir doctiſſimus Samuel Bochartus, quum libro IIII Geographiæ Sacræ cap. XXXVIII hanc fabulam recenſuiſſet, *ridicule*, ait, ab Iudæis hæc confingi, quia Ieremiæ LI, 27. Aſchkenaz inter eas gentes referatur, quæ Babylonem ſint

oppugnaturæ. Ridiculum autem eſt, ſi quis a Germanis Babylonem vel oppugnatam vel deletam olim fuiſſe dixerit. Targum Hieroſolymitanum a vero propius abeſſe nobis videtur, quum inter prouincias filiorum Gomer primo loco, tamquam primogeniti, qui Aſchkenaz erat, ſedem recenſeat *Aſiam*, puta proprie dictam, ibidemque a Phrygia diſtinctam, quæ aliquando Lydiæ regnum; alio tempore Attalorum erat; ſub Romanis prouincia proconſularis. Verba ſunt Gen. X, 3. בני דגומר ושום אפרכיותהון אסיא ופרכוי וברבריאה hoc eſt, *filii Gomer ſunt & nomen prouinciarum eius, Aſia & Phrygia & Barbaria.* Antea laudatus Bochartus ad Bithyniam, huic Aſiæ finitimam, aut Phrygiam atque Troianam regionem refert, quia ibi ſit *Aſcanius*, & lacus & amnis: item *Aſcania* vrbs vel regio cum inſulis *Aſcaniis*, vt nomine quoque adludat: ſicut etiam Ponti *Euxini* nomen putat inde ortum eſſe, a Græcis vero detortum in ἄξενος, & auſpicatiori tandem nomine in εὔξενος ſiue *Euxinus*. Verba ipſius ſunt lib. III cap. VIIII hæcce: *Itaque hoc maneat, e terra Gomer, id eſt Phrygia maiore, colonos duce Aſcenaz in minorem Troademque deductos ad Pontum vsque ſe diffudiſſe, qui cum ex accolarum nomine diceretur Aſcenaz, a Græcis paullum deflexa voce nominatus eſt ἄξενος, inhoſpitalis; & poſtmodum εὔξενος, in contrarium verſa ſignificatione ad vitandam δυσφημίαν.* Sed argutius hæc ex litterarum ſimilitudine coniiciuntur, quam certo & firmiter, vt quilibet intelligit, approbantur. Interim non negamus, Germanos ab Iapheto, Noæ filio eſſe, quamuis incertum, per quem ex eius poſteris. Idem Targum

Geneſ.

Geneſ. X, 2. (vt ſupplet alterum quod Ionathani tribuitur) *Filii Iapheti* (*Gomer Magog*, ceteri) *& nomen prouinciarum illorum* אפריקי וגרמניא ומדי ומקדוניא *Africa, & Germania, & Media, & Macedonia*: quamuis non videamus, quo pacto Media huc trahatur; nec de Africa id ſatis probabile apparet.

XII. Alii Iudæorum Germanos ex Chananæis deducunt, ab Ioſua pulſis, quum terram ipſorum diuinis auſpiciis occuparet, vt ſedes eſſet Iſraelitarum. Ipſe Aben Ezra, in Obadiam commentario ſub finem, vocabulum כנענים *Chananæorum* ita interpretatus eſt, שמענו מפי גדולים כי ארץ אלמניא הם הכנענים שברחו מפני ישראל בבואם אל הארץ *audiuimus ex ore maiorum, terram Alamanniam* (Germaniam) *eſſe hos Chananæos, qui fugerunt a facie Iſraelitarum, cum hi venirent in terram ſanctam.* Atque ita Zarpath (quod eodem Obadiæ loco cum Sepharat commemoratur) Iudæis eſt Francia, quemadmodum etiam Ionathan Vzielides Sepharat אספמיא *Hiſpaniam* tranſtulit. Quod res eſt, Bochartus ſenſit, quum interpretationem hanc ſomnium dixit Rabbinicum. Si enim ipſe propheta inſpicitur, longe aliud videmus prædictum eſſe, quam quod eſt in delirante opinione Iudæorum.

XIII. Ipſe Bochartus partis II lib. I. cap. XXIII. ex Aegypto credit Germanos ſuam originem traxiſſe; quod ipſius verbis præſtat quam noſtris explicare. *Interim*, inquit, *credibile eſt, non quidem ex terra Chanaan, ſed ex Aegypto proxima priſcam aliquam coloniam ab Aegyptio Hercule eo deductam. Argumento ſunt*

ſacra Iſidis a Sueuis vſurpata. Quod ex Taciti libro de Moribus Germanorum cap. IX. approbare ſtudet. PARS, inquit ille, SVEVORVM ET ISIDI SACRIFICAT. VNDE CAVSSA ET ORIGO PEREGRINO SACRO, PARVM COMPERI, NISI QVOD SIGNVM IPSVM IN MODVM LIBVRNAE FIGVRATVM DOCET ADVECTAM RELIGIONEM. Et ex cap. II ſic colligit: TVITO *item &* MANNVS, *quos pro conditoribus celebrant, videntur eſſe Thoth & Menas. Thoth Aegyptiis eſt Mercurius; & Menas primus regum. Sed & fuiſſe apud eos Herculem memorant, primum omnium virorum fortium. Hac ex Tacito.*

XIIII. Speciosum argumentum, fatemur: an vero certa origo ex ſimilitudine ſacrorum probetur, non eſt ita manifeſtum, vt a pluribus adreptum fuit. Dubitatur enim, an Sueuorum ſacra in omnibus conuenerint cum Aegyptiis, quum ignari rerum ſæpe putent conſenſionem eſſe, vbi maximus rerum diſſenſus intercedit. Exemplo ſunt quæ Tacitus lib. v. Hiſtor. cap. VI. de Iudæis narrat, fuiſſe, qui Bacchi ſacra Iudæis tribuerint, quum tamen ipſe dicat, *non congruere inſtituta.* Ipſe Tacitus quum cap. VIIII de Moribus Germanorum, *Iſidis religionem aduectam* nauibus in Germaniam dicit, non id dicit, quaſi ipſi Germani, quos indigenas dixerat, orti fuerint ab Aegyptiis, ſed quosdam aduenisse, qui Germanos eos ritus perdocerent. Nec *Liburnæ* figura nauigio aduectam religionem probat, quum in ipſis ſacris illius deæ *nauigium* quoque adhibitum fuiſſe, vel ex Lactantii lib. I cap. XI ſect. 21 conſtare poſſit, vt æque terreſtri itinere, forſan

ex

ex Italia, quia & Romani illa ſacra adſumſerant; ſaltem non per mare, quia ex Aegypto per mediterraneum mare, quam longum eſt, in Oceanum Hiſpanicum, & inde in ſeptemtrionalem & Germanicum, & tandem in ipſum ſinum Codanum, ſeu Balticum mare, quod Sueui accolebant, difficilior, quam pro temporum illorum conditione ac ruditate, nauigatio erat.

XV. Philippus Cluuerius Germaniæ Antiquæ lib. 1 cap. IIII id quoque agit, vt Celtarum ampliſſimas gentes, per Illyricum, Germaniam, Galliam, Hiſpaniam, & ſeptemtrionem quoque Germaniæ imminentem, diffuſas, ab Aſchkenaz propagatas eſſe comprobet, ſed ſucceſſu, quantum nobis videtur, minimum felici. Eum enim probandi ordinem inſtituit, vt terram omnem inter nepotes Noæ diſtribuat ingenio ſuo: quo facto, concludit, quia nihil reliquum ſit, quam illa Europæ pars, quæ per Germaniam Galliamque & vicinas regiones extendatur, hanc ab Aſchkenaze, Noæ pronepote, eiusque poſteritate fuiſſe occupatam, & habitationibus progreſſu temporum oppletam. Sed nihil incertius eſt, quam vbiuis ſedes horum illorumue Noachitarum, quas ſortiti fuerant, certo definire, quod in Aſchkenaze ſit incertum magis, quia, vt ſupra vidimus, & Ieremias vates ad aliam, quam Germaniæ plagam reiecit; & Chaldæi interpretes, antiqui ſane, in certiori Aſia Aſchkenazitarum ſedem videntur ſibi inueniſſe. Quæ quum ita ſint, vti ſunt, non ſine iuſta cauſſa dubitamus, certo probari poſſe, ex quo nepote Noæ vel pronepote ortum ſuum Germani ducant, & æque probabile eſſe, Iaphanem,

Digitized by Google

qui Græciam dicitur tenuiſſe, multiplicata ſua gente, in Italiam & vlterius colonias emiſiſſe: quamquam propter diſpares ritus ac mores Græcorum Germanorumque id minime adſeueramus. Hoc certum nobis eſt, ab Iapheto Noæ filio omnes Europæos eſſe: qui nam vero populi ab hoc vel illo eiusdem nepote ſint procreati, ſaluo aliorum iudicio, dubitamus certo & diſtincte probari vmquam poſſe.

XVI. Satis de origine antiquiſſima, quantum haberi & cognoſci poteſt: quæ vero vix aliud in Germaniam, quam barbaros mores, pro temporum illorum conſuetudine, inferebat: aut ſi quid melius, id tamen poſtea in immanem barbariem degenerauit. Omnis cultura occidentis, a coloniis eſt; etiam citerioris Aſiæ quæ primum a Græcis omnes, qui ad humanitatem & benigniores mores animum applicuerant, deductæ olim fuerunt, tam iis Græcis qui Aſiam incolebant, quam qui ſedem antiquitus in Europa intra Aegæum mare & Mediterraneum occupauerant. Poſtquam enim a Sidoniis Thebæ in Bœotia, Cadmo duce, fuerunt conditæ, quemadmodum Plinius lib. v cap. xx Sidonem vocat *Thebarum Bœoticarum parentem*; non oblitterata coloniis illis in Græcia fuit, quam ex vicinitate patriarcharum & orientis ſapientum ſcientiam & virtutem attulerant, ſicut in Tyriorum coloniis per Africam atque Hiſpaniam factum fuiſſe, ex gentium illarum moribus non obſcurum eſt: ſed magis magisque notitiam illam reliquiasque ſapientiæ reſuſcitauerunt, vt per omnem transfuſas Græciam exteris etiam nationibus, quas adierunt, per commercia, vel colonias, tradiderint. Maxime diſciplinas illas Athenienſes excolue-

runt,

runt, vt exinde mater litterarum ac meliorum omnium ſtudiorum Athenæ dicerentur: quæ horum coloniis longe lateque per Europam & Aſiæ partem diſſeminabantur. Quod enim Cicero in Bruto cap. XIII de eloquentia dicit, *vt ſemel e Piraeo euecta fuerit, omnes peragraſſe inſulas atque Aſia tota peregrinatam eſſe*: id, quoniam ille de Græcis ſolis loqui propoſuerat, & de ſolo eloquentiæ ſtudio; ad omnem philoſophiam & humanitatis ſtudia, etiam in Italiam tranſmiſſa, debemus intelligere. Nam idem Cicero pro Archia dicit, in Græcis Italiæ coloniis, quæ Rhegium, Crotona, Metapontum, Tarentum, Velia, Neapolis, & aliæ fuerunt, floruiſſe litterarum & humanitatis diſciplinas, antequam Romæ excolerentur, quod haud dubie a Græcis, vnde ortæ fuerant, vnice habuerunt.

XVII. Vt vero in generis humani propagatione eſt, vt conſeruatio eius longius longiusque per filios, nepotes, & ſeriſſimos poſteros diuinitus inſtituatur: ita etiam res in ciuitatibus habent, quarum vna ſi bene culta & morata eſt, colonias quoque cultiores deducit; & hæ quoque magis atque magis ſuos mores ſuaque ſtudia in vicinas gentes nouis transfundunt coloniis: aut ſi illis locus non ſupereſt, per commercia & conſuetudinem diuturnam, propagant. Miletus, nobilis Ioniæ ciuitas, vna ex duodecim illis, quas prima ex Ionibus Græciæ egreſſa in Aſiam magna colonia condiderat, innumeras per Ponti oram tam in Aſia quam Europa, vsque ad Scythas, condidit Græcas colonias, quibus ſuas etiam Athenienſes interiecerunt, vt omnis ora Ponti Aſiatica cultiſſimis ciuitatibus, Trapezunte, Amiſo, Sinope, Heraclea vsque ad Boſporum Thracium,

& inde per Europæ partem vsque ad Iſtri oſtia, repleta fuerit. Hoc ſi vna ferme vrbs Miletus perfecit, cui propterea Strabo lib. XIII tribuit τὸ πλῆθος τῶν ἀποικιῶν, *multitudinem coloniarum*: quia Εὔξεινος πόντος ὑπὸ τούτων συνῴκισται πᾶς, καὶ ἡ Προποντὶς, καὶ ἄλλοι πλείους τόποι, *Pontus Euxinus & Propontis, & alia loca Mileſiorum coloniis culta fuerint atque ædificata*; quantum putemus ab aliis Græcorum ciuitatibus fuiſſe operæ adhibitum in colendis & ornandis ceteris gentibus? ſcilicet non per inſulas tantum & Aſiæ oram conſtitutæ ſunt coloniæ Græcorum; ſed Cyrenæ etiam in Africa, Syracuſæ & aliæ multæ vrbes in Sicilia: & per Italiam inferiorem *antea laudatæ* ciuitates, lingua & moribus non ingratæ prædicarunt. Accedit Macedonum in Aſiam vlteriorem expeditio, qua tota Syria, etiam vicina Aegyptus Græcis moribus, lingua & diſciplinis fuerunt impletæ: vt de Tarſo Ciliciæ, quam philoſophiæ & litterarum cultu vel Athenas ſuperaſſe Strabo teſtis eſt lib. XIIII; de Rhodo, Epheſo, Smyrna, Stratonice, Cnido, Halicarnaſſo, & ceteris taceamus, vnde Romani ſapientiam eloquentiamque ſibi petierunt: vt vel ex ſolo Ciceronis exemplo clariſſimum eſt de claris oratoribus cap. XCI Sed hæc de Græcis orientem verſus aut in ſeptemtrionem aut meridiem: qui vero non minus in occidentem progreſſi, nec tantummodo per Italiam, ſed vlterius etiam in Gallia Maſſiliam, Græca comitate bene compoſitam ciuitatem, vt Tacitus laudat in Agricolæ cap. IIII; & Emporias in Hiſpaniæ ora condiderunt.

XVIII.

Digitized by Google

XVIII. Græcorum induſtriam & conſuetudinem Romani imitati ſunt, nec tantum per Italiam quam plurimas colonias inde ab Alpibus vsque ad Siciliam deduxerunt, quarum ſeriem Velleius Paterculus libro 1 cap. XIV & ſequenti eſt perſecutus: ſed a Punicis bellis per Galliam, Hiſpaniam & Africam, & tandem ſub Cæſaribus per orbem terrarum fuerunt diſtributæ. His factum eſt, vt omnis occidens ſit moratior redditus, ſuamque barbaram dediſceret linguam, Romanam æmularetur vsque ad eloquentiæ excellentiam cum ipſis Romanis poſtea certaturam. Id enim in more Romanis poſitum erat, vt quum prouinciam in barbara gente feciſſent, illico ludos litterarum in ea aperirent, quibus prouincialium liberi Græcis Latiniſque litteris ac diſciplinis erudirentur. Viderunt enim cordatiſſimi homines, numquam ſibi tutas fore prouincias, niſi exuerentur barbari, & cultiores inducerentur ritus ac conſuetudines per litterarum ſtudia, quæ id indicium diuinitus habent, & omnis alia ſapientia, vt quantumcumque antea abhorruerint homines, poſtea ſi ſemel dulcedinem illarum deguſtaſſent, cupidiſſime illas apprehenderent, amarentque eos, a quibus a ſqualore ad nitorem, a barbarie ad meliorem vitam & ſcientias adducti eſſent.

XIX. Sertorius, ex Mariano milite dux Hiſpanorum, Romanis oppoſiturus parem rempublicam, ante omnia ſcholam Oſcæ inſtituit, vt liberi illorum Græcis litteris ac diſciplinis erudirentur: quia præuidit vir calidiſſimus, non ſtabilem fore, quam conditurus erat, rempublicam, niſi eruditos homines haberet, qui barbarie depulſa, prudentiæ legibus atque præceptis, quæ

Digitized by Google

publica ſint, facerent. De quibus Plutarchus in vita egit Sertorii. Sed hæc impedita fuerunt, oppreſſo ſuorum fraude fortiſſimo illo duce. Nec tamen aliis locis plane rudis erat Hiſpania, ſed inde ab ſecundo Punico bello ſtudia quodammodo & Cordubæ & in Italica Bæticæ colonia, & Tarracone, primaria Romanorum vrbe, vigere cœperant: & quanquam de iis Cicero pro Archia dicit, *pingue quiddam ſonare atque peregrinum*: poetæ tamen erant, & Cordubæ nati, quibus aures Metellus Pius, & alii doctiſſimi Romani, quum contra Sertorium in Hiſpaniam pugnarent, dederunt.

XX. Melior facies rerum in prouinciis *cunctis* erat, quum Auguſtus Cæſar imperaret, qui ita excoluit Hiſpaniam, ornauitque nouis coloniis, ſtudiiſque inſtruxit liberaliſſimis, vt Corduba breui poſt non pingue aliquid ſonantes, vt antea, ſed elegantiſſime doctos, Senecas Marcum & Lucium, cum Annæo Lucano poeta: Tingitera prope fretum, Pomponium Melam; & Bilbilis Valerium Martialem, ac aliæ vrbes alios illuſtres ſcriptores ediderint. Gallia autem quem prouentum litterarum ab illis temporibus habuit? Scholæ illuſtriſſimæ tum Auguſtoduni, quam Eumenes rhetor ſingulari oratione laudauit: tum Durocortori Rhemorum, quam vrbem propter litterarum præclara ſtudia NOVAS ATHENAS antiqua inſcriptio nominauit, luculento argumento ſunt, etiamſi de ceteris artium officinis taceamus. Sufficiat Britanniam ſolam ex prouinciis adiicere: de qua Tacitus Agricolæ vita cap. XXI. *Iam vero principum filios liberalibus artibus erudire, & ingenia Britannorum ſtudiis Gallo-*

Digitized by Google

Gallorum anteferre (cœpit) *vt, qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiſcerent.* De ſingulis his prouinciis eodem prope tempore Iuuenalis ſatyra xv. verſ. 108 & ſequentibus;

- - - - ſed Cantaber vnde
Stoicus, antiqui præſertim ætate Metelli?
Nunc totus Graias, noſtraſque habet orbis Athenas.
Gallia cauſſidicos docuit facunda Britannos,
De conducendo loquitur iam rhetore Thule.

XXI. Hæc circa Germaniam, ab occaſu maxime & ſeptemtrione: ſed ſero nimis hæc lux ipſi, quæ tota barbaricis tenebris immerſa erat, adfulſit. Cimbricum bellum nihil ſalutis attulit, quum nec Gallia tum, niſi pauciſſimis prouinciæ locis, exculta eſſet. Cæſar Iulius transgreſſus quidem bis Rhenum fuit: ſed paucis poſt diebus regreſſus, vt neque commercio Germanos, neque inſtitutis nouis & melioribus adiuuarit. Multum conqueſti Germani ſunt, apud Tacitum de Romanorum iniuriis, qui ipſorum libertatem ereptum irent: ſed nihil optandum magis fuiſſet, quam vt citius Germani ab Romanis deuicti eſſent, vt, barbarie depulſa, mores benigni & humanitati congruentes in gentem inducerentur. Sed dum ferocius hi repugnarunt, factum eſt triſti fato, vt in ſqualore priſco & tenebris inſcitiæ fere omnes relinquerentur; in ora tantum & ad ripas aliquid lucis ex vera humanitate acciperent.

XXII. Etenim Auguſtus Cæſar, quum tam ſponte olim transgreſſos Rhenum, quam alios innumerabiles transductos in prouinciæ formam, hoc eſt in *Germaniam Superiorem Inferioremque* ordinaſſet, ac priui-

Digitized by Google

gnorum ductu omnia Rætia Vindeliciaque ab Norico vsque ad Danubium in poteſtatem ſuam redactis, ſplendidam coloniam in illis gentibus Auguſtam Vindelicorum condidiſſet; qui ad ripam & in propinquo Germani erant, conſueſcere pedetentim Romanorum moribus, & tandem commercia cum illis habere, atque ita cultiores ſenſim fieri cœperunt. Itidem Tacitus de Germanorum Moribus cap. xxxxi hæc edocet: *Propior Danubio*, quem Vindelicorum Noricorumque gentes contingebant: *propior*, inquit, *Hermundurorum ciuitas, fida Romanis, eoque ſolis Germanorum non in ripa commercium, ſed penitus, atque in ſplendidiſſima Rætiæ prouinciæ colonia. Paſſim & ſine cuſtode tranſeunt: & quum ceteris gentibus arma modo caſtraque noſtra oſtendamus, his domos villasque pateſecimus, non concupiſcentibus.*

XXIII. Hoc vult dicere cordatiſſimus hiſtoricorum: non mirum eſſe vicinos barbaros & ripam alteram colentes fluuiorum, qui Rom. imperium terminabant, aliquid lucis & cultioris vitæ a finitimis Romanis accepiſſe, per conſuetudinem videlicet & commerciorum neceſſitatem: ſed illud potiſſimum demiratur, Hermunduros etiam, remotiores ab ripa, quum ſenſiſſent, quam bene res ſuas Romani, quam ordinate agerent, concupiſſe illorum commercium, & ex illo amicitiam: quam etiam Romani, qua humanitate erant, ipſis minime negauerunt. Hermunduri autem, vt eodem auctore intelligimus, longo tractu a Danubio ad Salæ vsque confluentem; etiam ex parte vltra Albim videntur habitaſſe, quem fluuium ipſe Tacitus, in Hermunduris oriri, prædicto loco dixit.

Et

Et Annalium lib. XIII extremo inter Hermunduros Cattosque certatum tradit magno prœlio; dum *flumen gignendo ſale fecundum, & conterminum, vi traxerint*: quibus verbis haud dubie *Salam*, fluuium noſtrum, noſtraſque ſalinas iuxta illum, indicauit, velut flumen hoc Hermunduros a Cattis diremiſſet, vt gens vtraque prouentum ſalis in ſua commoda pertrahere laboraret. Velleius quoque Paterculus, cap. cui *Albim Hermundurorum fines præterfluere*, auctor eſt. Longe itaque Hermunduros inde a Danubio per ſuperiorem Palatinatum & Bohemiam in Miſniæ vsque & Thuringiæ confinia habitaſſe, ex productis teſtimoniis colligitur. Hos vero non in ripa tantum Danubii ſiniſtra, quam forte accoluerunt, aut non longe ab illa ſedem habuere ſuam; ſed *penitus* etiam, id eſt intus, ſeu in interioribus regionis illorum partibus, ad humanitatem excultos, & manſuetiores factos fuiſſe, obſeruauit, quamquam non exprimit quouſque illud *penitus* a Danubio extenſum prorogatumque voluerit: quod non longiſſime fuiſſe factum, ex diſtantia coloniæ Rætorum facile intelligitur. Colonia autem illa ſplendidiſſima, quam *Auguſtam* dixere Romani, non in ipſa Germania ſita erat, ſed extra illam in Vindelicia, ſiue in ipſa Rætia, quod nomen, Taciti temporibus ipſis Vindelicis quoque impoſitum erat. Danubius enim Vindelicos Noricoſque a Germanis ſeparabat, quas partes nunc ipſi Germaniæ a Carolino vsque tempore vindicamus. Hoc colonia ad Germanorum fines, hoc commercia mutua effecerunt, quæ numquam infructuoſa ſunt, ſed cum lucro moribus vel addunt melius, vel auferunt. Quid addant, Iuuenalis ſat.

II

ii extrema oſtendit, cuius verbis liceat *hoſpes* pro *obſes* ponere:

Adſpice quid faciant commercia: venerat hoſpes.
Hic ſunt homines.

Citius trans Rhenum Romani imperium ſuum protulerunt ab Auguſti temporibus, ad Lupiam & in vicinis locis præſidia armorum conſtituentes: ſed neque pacatam ibi prouinciam facere vmquam potuerunt ad Conſtantinorum ætatem, & quoad principes imperium Romanum Auguſtos habuit, Germanis renitentibus, vt per omnem tot ſæculorum hiſtoriam bella Germanica legamus, ſine tamen perfecta conſummataque victoria. Quo factum fuit, vt ex illis partibus numquam penitus expulſa fuerit barbaries: interiora, quo Romanorum arma peruenire non potuerunt, horridos illos & immanes mores conſtantiſſime retinerent.

XXIIII. Feliciores itaque gentes fuerunt, quæ inter Alpes colebant & Danubium, quia ii tractus Auguſti Cæſaris victoria ad cultiorem vitam perducti fuerunt adeo, vt cum vicinis Germanis etiam humanitatis aliquid communicarent. Sed ſtetit hæc participatio in aduerſa ripa; nec longius ab illa, vt mores ſunt hominum, transfundi ad interiora Germaniæ potuit; nec ipſæ illæ regiones felicitatem ſuam conſeruarunt, ſed, euerſo Romano imperio, & a barbaris occupato, multum perdiderunt de auſpicata illa, quam ab Romanis habuerant, morum ingeniorumque cultura, vt multi etiam, ſi non plurimi, in priſtinam relaberentur immanitatem: nec prius reduci ad meliorem vitam potuere, quam cæleſti lumine ſimul non Ripenſis tantum Germania,

Digitized by Google

mania, ſed interior etiam omnis illuſtraretur. Quod quo factum tempore, aut inceptum fuerit; quando auctum & propagatum; magno certamine hiſtoriarum conditores depugnare inter ſe videmus. Quæ contentio, qua fieri breuitate poteſt, nunc quoque nobis eſt explicanda.

XXV. Sunt plurimi, qui nimis ſero, & vix ante Caroli Magni tempora, euangelii lucem Germaniam noſtram illuſtraſſe exiſtiment. Quamuis enim promiſſa fuerit vniuerſalis doctrinæ cæleſtis prædicatio, non tamen id vno tempore, ſed ſucceſſione multorum factum eſſe perſuaſum habent, Auguſtini etiam, maximi doctoris, conniſi auctoritate. Hic enim epiſtola LXXX ad Heſychium ſcripſit: *quod putat venerabilitas tua, iam hoc per ipſos Apoſtolos factum; non ita eſſe, certis documentis probaui. Sunt enim apud nos, hoc eſt in Africa, barbaræ innumerabiles gentes, in quibus nondum prædicatum eſſe euangelium, ex iis, qui ducuntur inde captiui, & Romanorum ſeruitiis iam miſcentur, quotidie nobis addiſcere in promtu eſt.* Idem putant de Germania factum ante Carolina tempora fuiſſe, & demum ſæculis multis reuolutis, poſtquam cœptum erat euangelium vulgari, illud beneficium Germanicis gentibus obtigiſſe. Sed durior nobis hæc interpretatio videtur eſſe; quam vt cum vniuerſali Saluatoris mandato, in *omnem terram* exire Apoſtolos iubentis; aut promto horum obſequio, quod Marci vox prope vltima *πανταχȣ̃, vbique*, confirmat; componi facile aliquis perſuaſerit.

XXVI. Mollior Auguſtino Sanctus Hieronymus eſt commentario in Matth. cap. XXIIII, 14, vbi id ipſum, quod

quod pie credendum eſt, ex Saluatoris ore prolatum legitur. *Signum*, inquit, *dominici aduentus eſt euangelium in toto orbe prædicari, vt nullus ſit excuſabilis: quod aut iam completum, aut in breui cernimus eſſe complendum. Non enim puto aliquam remanſiſſe gentem, quæ Chriſti nomen ignoret. Et quamquam non habuerit prædicatorem; tamen ex vicinis nationibus opinionem fidei non poteſt ignorare.* Molliora hæc quidem ſunt, vt diximus; vix tamen talia, quæ omnem dubitationem nobis eripiant. Proinde malim in Ioannis Chryſoſtomi ſententiam ire, quam de eodem Matthæi loco homilia LXXVI p. 798 tulit, *Chriſti verbis* apprime conſentaneam, & cum eccleſiæ *hiſtoria*, quæ ex primis temporibus ſupereſt, maxime conuenientem. Ὅτι, inquit, *ἐν εἴκοσι ἢ καὶ τριάκοντα ὅλοις ἔτεσι τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης κατέλαβεν ὁ λόγος· μετὰ τοῦτο οὖν, φησὶν, ἥκει τὸ τέλος τῶν Ἱεροσολύμων: intra viginti aut triginta annos verbum per Apoſtolos prædicatum occupauit fines omnes orbis terrarum. Poſt hoc, inquit, veniet conſummatio Hieroſolymorum.* Hoc eſt, Chriſti verba ita interpretanda eſſe, vt, antequam Hieroſolyma euerterentur, vbique terrarum, & in omnibus angulis, vbi homines fuerint, euangelium fuerit nuntiatum. Quod ſi eſt, Germaniam noſtram, etiam interiorem, non expertem diuini illius beneficii fuiſſe, neceſſe eſt credamus. Hoc autem ex hiſtoria nunc erit approbandum.

XXVII. Antiquiſſimus Latinæ eccleſiæ ſcriptor, Lugdunenſis epiſcopus atque martyr Irenæus, multis videtur idoneus auctor eſſe, quo probetur, illius ætate, hoc eſt ſecundo Chriſtianorum ſæculo in Germania

no-

noſtra fuiſſe Chriſti eccleſiam. Libro I enim cap. III aduerſus Hæreſes dicit; *neque hæ, quæ in Germania ſunt fundatæ, eccleſiæ aliter credunt, aut aliter tradunt.* Egregium argumentum, ſi Germaniam intellexit, quam Romani vocabant Transrhenanam & barbaram: quod quidem Latina hæc verba (nam verſio ſola librorum ſupereſt: Græca authentica iam tum Hieronymi æuo deperdita) adfirmare videntur, non autem firmiter probare, quia dubium remanet, an ita etiam Græce ſcripſerit vir ſanctus Irenæus. Notum enim ex Romanis hiſtoriis eſt, Germanicas quaſdam nationes Caii Cæſaris temporibus, aut paullo ante, traieciſſe Rhenum, vt in Gallica ripa habitarent: & Auguſtum plures transduxiſſe, duasque ibidem prouincias inſtituiſſe, quas ab incolis Germanias appellauerit ſecundum flumen Rheni diuiſas, ita, vt altera *Superior* a flumine ſuperiori nuncuparetur; altera *Inferior Germania.* Quæ appellationes apud Tacitum, & in pluribus inſcriptionibus perquam ſunt frequentes. Inde eſt, quod multi Irenæum de illa in Gallico ſolo Germania interpretentur: ſed fluctuant hi ipſi etiam, quia Irenæi interpres tantummodo *Germaniam* ſimpliciter dixit, non addito cognomine, ab loci differentia deſumto: ſine quo Romani potius *Germanias*, quam *Germaniam*, vtramque illam prouinciam complexu vno appellauerunt. Si nunc Græcus & primigenius liber ſupereſſet, certiores inde de mente Irenæi redderemur: quo quia caremus, non videtur animus fluctuatione liberari poſſe. Sed ſalua res: ſeruatæ ex naufragio ſunt quædam tabulæ, quibus enatare ex dubitationis illo poſſumus periculo.

Digitized by Google

Sanctus Epiphanius libro 1 aduerſus Hæreſes ſectione xxxi ineunte p. 202 ſeruauit Græca verba, quæ hæc ſunt: οὔτε αἱ ἐν Γερμανίαις ἱδρυμέναι ἐκκλησίαι ἄλλως πεπιστεύκασιν, ἢ ἄλλως παραδιδόασιν. *Neque in Germaniis fundatæ eccleſiæ aliter crediderunt, aut aliter tradiderunt.* Dum ἐν Γερμανίαις, *in Germaniis*, plurali numero dicit, vtique dubitari non poteſt, ad duas illas in ſiniſtra Rheni ripa prouincias, ab Romanis cis amnem conſtitutas, reſpexiſſe. Quod tum negare non poſſumus, noſtram ſimul cauſſam, quam defendendam ſuſceperamus, præſidio Irenæi ſi fidendum ſit, aperte deſeremus, trademusque iis, qui a nobis in hac controuerſia diſſentiunt. Sed nondum deſperamus: aliud præſidium, deſerti ab Irenæo, circumſpiciemus.

XXVIII. Hoc Tertullianus nobis præbebit, & inclinatas noſtras copiolas, vt videbantur, firmabit & reſtituet. Tertullianum quum nominamus, auctoritati Irenæi nihil cedimus, quia is, ſi omnino poſterior fuit Irenæo, proximus tamen poſt ipſum fuit, & qui in ſecundo etiam ſæculo ſacris ſtudiis operam dedit, eamque continuauit in tertium. Hic aduerſus Iudæos cap. VII, *In quem alium*, inquit, *vniuerſæ gentes crediderunt, niſi in Chriſtum, qui iam venit? Cui enim & aliæ gentes crediderunt, Parthi, Medi, Elamitæ, & qui inhabitant Meſopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam, & incolentes Pontum, & Aſiam, & Pamphyliam, immorantes Aegyptum & regionem Africæ, quæ eſt trans Cyrenem, inhabitantes? Romani & incolæ; tunc & in Hieruſalem Iudæi, & ceteræ gentes: vt iam Getulorum varietates, & Maurorum*

Digitized by Google

rorum multi fines, Hiſpaniarum omnes termini, & Galliarum diuerſæ nationes, & Britannorum inacceſſa Romanis loca, Chriſto vero ſubdita: & Sarmatarum, & Dacorum, & GERMANORVM, *& Scytharum, & additarum multarum gentium, & prouinciarum, & inſularum multarum nobis ignotarum, & quæ enumerare minus poſſumus? in quibus omnibus locis Chriſti nomen, qui iam venit, regnat. - - - Sic Germani adhuc vsque limites ſuos transgredi non ſinuntur. Britanni intra Oceani ſui ambitum concluſi. Maurorum gens & Gætulorum barbaries a Romanis obſidentur, ne regionum ſuarum fines excedant.*

XXVIIII. Varias aut vniuerſas gentes, Chriſto ſubditas, Iudæis opponit, in iisque numerat non modo *Galliarum diuerſas nationes*; ſed *Sarmatarum* etiam, & *Dacorum*, & *Germanorum*, & *Scytharum*. Num vero & hi *Germani* Cisrhenani Romanis erant? Ne ita de verbis eius cogitemus, ipſe nobis auctor eſt, & ſuorum fideliſſimus interpres. Galliarum enim *diuerſas nationes* diſtinguit, quibus vtramque Germaniæ prouinciam oportet interfuiſſe. Deinde *Germanos* ſuos cum *Dacis*, *Sarmatis*, & *Scythis* coniungit, ad quos haudquaquam Cisrhenani; omnino autem qui trans flumen erant, Germani propius pertinebant. Quid multa? Germanos eos intelligit, qui *adhuc vsque limites ſuos transgredi non ſinuntur*. Et quum Romani (ſic pergit Tertullianus) *de legionum ſuarum præſidiis imperium ſuum muniunt, nec trans iſtas gentes porrigere fines regni ſui poſſunt; Chriſti regnum & nomen vbique porrigitur, vbique creditur, ab omnibus gentibus ſupra enumera-*

Digitized by Google

tis colitur: vbique regnat, vbique adoratur. Quid clarius, quid apertius dici poteſt, quam ſecundo Chriſtianorum ſæculo, Chriſtianos in *Germaniis* etiam illis fuiſſe, qui ſub Romanorum imperio non erant, & quos Romani prohibebant limitem ſuum i. e. Rhenum, transgredi: qui ſoli proprie Germani erant, in magna ſeu barbara Germania inter Rhenum, & Viſtulam habitantes? Vnde autem illis Chriſti nomen? vnde euangelium, niſi ex primigenia illa per orbem terrarum facta ſalutis adnuntiatione?

XXX. Vt vero aliis multis locis factum *fuit, ita* etiam in Germania diuini verbi ſemen obtritum *aut* ſuffocatum fuit, vt poſteri eorum, qui Chriſtum in ea gente confeſſi fuerant, pæne omnes ad priſtinas ſuperſtitiones relaberentur. Nec tamen omnia ita deleta ſunt, quæ Chriſtiana in iis fuerant; ſed raros & paucos etiam ibi remanſiſſe, qui Chriſto dediti eſſent, non eſt incredibile. Quo referendum illud videtur, quod Hieronymus ineunte epiſtola cxxxv ad Suniam & Fretellam ſcripſit. *Quis hoc crederet, vt barbara Getarum lingua Ebraicam quæreret veritatem? & dormitantibus, immo contendentibus Græcis, ipſa Germania Spiritus Sancti eloquia ſcrutaretur? Dudum calloſa tenendo capulum manus, & digiti tractandis ſagittis aptiores, ad ſtilum calamumque molleſcunt, & bellicoſa pectora vertuntur in manſuetudinem Chriſtianam.* En in barbara Germania Hieronymi ætate Chriſtianos, & eruditos Chriſtianos qui, verſionibus non contenti, ex fonte Ebraico ſententiam Pſalmorum ex-

exquirebant! Quis enim hos Getarum accolas cis Rhenum reducet, vbi, tamquam in Galliæ prouinciis, nihil mirabile erat, illa ætate omnes χριςιανίζειν?

XXXI. Non equidem ignoramus, permultos eſſe, qui Carolo M. conuerſionis Germanorum gloriam tribuant. Non detractam tanto principi laudem velimus præcipuam, quam ex Chriſtianæ religionis adeptus cura eſt: nec vero propterea Chriſtianiſmus Germaniæ omnis priori ætati negandus eſt. Si limitem tranſilimus, & Rætiam quoque cum Norico Germaniæ adiungimus, vti fines Carolino æuo mutatos conſtat fuiſſe; ipſa Auguſtana colonia antiquioris Chriſtianiſmi multa ſane argumenta præbet, quæ collegit & illuſtrauit Marcus Velſerus in egregiis Auguſtanæ ciuitatis Monumentis, & ad Paſſionem ſanctæ Afræ Commentariis. Antiquiora etiam interioris Germaniæ in Thuringia & Haſſia reperta ſunt chriſtianæ confeſſionis veſtigia: quod vel ex eo non incertum eſt, quia & Merouingi; reges Franciæ, Dagobertus præſertim, filius Clotharii, ipſe Chriſti ſacris bene imbutus, Germaniæ Rhenanæ partibus vsque in Thuringiam, & vltra illam, imperaſſe traduntur. Lambertus Schaffnaburgenſis, vel antiquus aliquis, qui addidit, ad annum Chriſti ſeptingenteſimum ſextum Dagoberto Merouingo initia monaſterii, quod intra vrbem Erfurthiam in monte S. Petri eſt, imputauit. *Initium*, inquit, *monaſterii S. Petri in Erferſfurth, quod conſtruxit Tagebertus rex Francorum in monte, qui antea Meruigisburg vocabatur: ſed ab ipſo Dagoberto mons S. Petri nuncupatus eſt.* Superſunt etiam diplomata eiusdem æui, quæ hoc confirmant. Quum enim a Chlodouæi,

Digitized by Google

qui primus ex Francis regibus confeſſus Chriſtum eſt, temporibus reges Franciæ in Thuringiam multas expeditiones fecerint, multaque ibi occupata poſſederint; minus credibile eſt chriſtianiſſimos illos reges, ſi non inueniſſent Chriſtianos ſuæ ditionis homines, in paganorum cæcitate reliquiſſe. Fuldenſe quoque in Buchonia monaſterium, quod medium inter Thuringos & Francos orientales eſt, originem S. Bonifacio debet ſub auſpiciis maiorum potius, quam ipſius Caroli M. qui, quæ illorum litteris promiſſa erant & data, ſuis etiam rata habuit & confirmauit. Vide Chriſtophori Broweri Antiquitates Fuldenſes *lib.* I. cap. IV; etiam de ſchola eius loci antiqua, cap. IX.

XXXII. Nec vero negamus, Caroli huius ætate quamplurimos idolorum cultores in Germania fuiſſe, quod ex diuturno aduerſus Saxones bello manifeſtum eſt, quam gentem ad verum Chriſti cultum victor glorioſus pro pietate ſua adduxit: &, vt propagaretur latius, multos epiſcopatus per Saxoniam inſtituit, quos Albertus Kranzius in Metropoli ſua lib. I. cap. V. ſeqq. recenſuit. Ex quo tempore magis magisque exſtirpata idololatria, chriſtiana religio per Germaniam & vicinas regiones fuit propagata: at, quod dolendum, in dies magis magisque ſuperſtitionibus pontificiis fuit obſcurata. Quod malum inualuit & vires ſumſit ab ignorantia prope omnium illius ætatis hominum: quippe omnes bonæ litteræ ita exſtinctæ erant, vt fruſtra rex Carolus, & plures poſt eum principes in iis reſuſcitandis laborauerint. Epiſcopatus cum ſcholis Latinis ſuis, & plu-

& plures academiæ fuerunt conditæ: ſed deſuerunt, qui litteras more antiquo docerent, & inſtrumenta illa conficerent, quæ tuendæ religioni aut purificandæ ſunt neceſſaria. Tandem quum ortus beatioris ſæculi appropinquaret, non prius Deus repurgari contaminatam eccleſiam voluit, quam præſtantiores litteræ ac artes, & cumprimis linguarum cognitio, poſt diuturnam inſcitiam, benignis fatis fuiſſent reſtitutæ. His enim purior doctrina de Deo & diuinis rebus, tamquam inſtrumentis vtitur; quæ ſi contemnuntur, aut tractantur negligentius, periculum eſt, ne Chriſtiana reſpublica aliquid detrimenti capiat, aut rurſus in errores aut ſuperſtitiones demergatur.

XXXIII. Summa ergo controuerſiæ in hoc verſatur, vt diſtinguamus inter Chriſtianiſmi initia in Germanis, quæ inde ab Apoſtolorum temporibus ſparſim in barbara etiam natione fuiſſe, haud dubitamus: & inter pleniorem cæleſtis doctrinæ propagationem ac ethniciſmi interitum: quod ipſum eſt, in quo magni Francorum regis Caroli exſultat & triumphat gloria. Hic enim Saxonico bello idola ſuſtulit, vt Adelmus Benedictinus adnotauit; ac integras gentes ad Chriſtum perduxit; epiſcopatus inſtituit, & vbique providit, ne Chriſtiani in priſtinos reciderent errores. Fuiſſe vero & ante ipſius tempora in Germania eccleſias, vel ſolum concilium Francofurtanum probare poteſt, quo omnes regni ſui epiſcopos & eccleſiæ miniſtros congregauit, nec tantum ex Gallia illos huc transduxit, ſed ipſa etiam Germania: qua de cauſſa ad Mœnum potius, quam ad Ligerim, hunc conuentum ſacrum agi voluit.

XXXIIII. Quod vero de cultiore Germania ſupra in-

Digitized by Google

inſtituimus tractare, illumque cultum ex diſciplinarum vſu & litterarum doctrina quoque adduximus, cui maior tandem nitor ex Chriſtianorum acceſſit pietate; ex eo euidens omnino eſt, quum bonæ literæ primum resurgerent in Germania, deinde purior lux cæleſtis doctrinæ oriretur; cultiorem tum Germaniam quoque factam fuiſſe, quam ſuperioribus ſæculis fuerat, quibus aliquem cultum receperat: idque in tantum obſeruari potuit, quantum vtraque reſtitutio & litterarum & cæleſtis doctrinæ fuit beatior.

ADDITAMENTVM.

ROmani imperii magnitudinem omnes miramur, cui nec par in orbe terrarum fuit, nec ſecundum facile, aut proximum ab illo, reperitur. Hic vero cæleſtem obſeruemus prouidentiam, ſine qua nec profanis & auerſis a Deo hominibus quidquam boni contigit. Auguſtinus lib. v. de Civ. Dei cap. I. in cauſſas tantæ felicitatis inquirit, & reiectis falſis, fortuna & fato, vt pagani illas interpretabantur; & ſiderum poſitione: tandem cap. XII ad mores illorum integriores olim, cum Catone apud Salluſtium refert: quam quidem non negamus cauſſam, quia induſtriæ, labori, conſilio, abſtinentiæ omnino aliquid tribuendum eſt, ſed fortunante Deo, cuius ſolius eſt regna & felicitatem dare. Aliud tamen & arcanum ſubfuiſſe, Aurelius Prudentius cenſet, vt euangelii curſus, per orbem proferendus, minus impedimenti haberet, quam ſi in priſtina barbarie gentes omnes diſſociatæ perſtitiſſent. In S. Laurentii Paſſione v. 419 ſic ait ſub perſona illius martyris:

O Chri-

O Chriſte, - - - - -
Qui ſceptrum Romæ in vertice
Rerum locaſti, ſanciens
Mundum Quirinali toga
Servire, & armis cedere;
Vt diſcrepantum gentium
Mores & obſervantiam
Linguasque & ingenia, & ſacra,
Vnis domares legibus
Hoc deſtinatum, quo magis
Ius Chriſtiani nominis,
Quodcumque terrarum iacet,
Vno inligaret vinculo.

Et contra Symmachum lib. II. verſ. 582. clarius:

Vis dicam, quæ cauſſa tuos, Romane, labores
in tantum extulerit? quis gloria fotibus aucta
Sic cluat, impoſitis vt mundum frenet habenis?
Diſcordes linguis populos, & diſſona cultu
Regna volens ſociare Deus, ſubiungier vni
Imperio, quidquid tractabile moribus eſſet,
Concordique iugo retinacula mollia ferro
Conſtituit, quo corda hominum coniuncta teneret
Religionis amor nec enim ſit copula Chriſto
Digna, niſi implicitas ſociet mens vnica gentes.

Facile conſentimus cum Prudentio: aut, ſi quis dubitat, exercitii cauſſa ſententiam eius ad diſputandum proponimus.

DISSERTATIO IX.

De

NERONIS CLAVDII IN REMPVBLICAM ET ECCLESIAM SAEVITIA,

habita, Anno 1703.

TRiſtiora tempora repetimus examinanda, quibus fas omne, ac quidquid ſacrum & honeſtum erat, perverſum turbatumque fuit, & tantum non penitus deletum & exſtirpatum. Auctor mali Nero Claudius Druſus Cæſar fuit, Tiberii Claudii filius adoptiuus: ante adoptionem L. Domitius Aenobarbus vocatus quia genitus erat Cn. Domitio Aenobarbo, L. Domitii & Antoniæ maioris filio, qui Neronem ex Agrippina, Germanici Cæſaris filia, Caii Cæſaris Caligulæ ſorore, ſuſceperat.

II. Patris mentio, quem Suetonius cap. v *omni parte vitæ deteſtabilem* dixit, de indole Neronis poteſt præſignificare, quia plerumque filii ex indole paterna aliquid participant. Quod idem Suetonius cap. I confirmat, Neronem dicens *degeneraſſe a virtutibus ſuorum, vt tamen vitia cuiusque quaſi tradita & ingenita retulerit.* Procliuitatem in vitia ſi intelligit, dixit omnino quod res eſt: ſin ἕξιν ſive habitum vitiorum; fatemur nos diſſentire, quia ille non tam ingenitus, quam conſuetudine & prauis actibus adquiſitus

ſitus eſt. Nec Suetonius videtur hoc negatum iſſe. etenim addit, *QVASI tradita & ingenita*, quod ſimilitudinem veri, non ipſum verum arguit.

III. Natus Antii imperante Caio Cæſare, cognomine Caligula, nouem poſt menſes, quam exceſſerat Tiberius, quia ſeptemdecim annorum adoleſcens erat, quum Claudius, vitricus eius & adoptans pater, moreretur, quem conſtat decimo quarto anno imperii exſtinctum eſſe. Suetonius adnotauit cap. VI. multos ſtatim *formidoloſa de genitura eius conieæctaſſe*, quod exoriente ſole in lucem fuiſſet editus: ſed ſuperſtitioni hæc conjectura innixa fuit, quum omnis diuinatio ex aſtris & genituris incerta ſit, immo nulla. Probabilior vox patris fuit, qua gratulantibus ſibi de filiolo reſpondit, negans, *quidquam ex ſe & Agrippina niſi deteſtabile, & malo publico naſci potuiſſe.* Scilicet conſcius ſuæ ſibi malitiæ, de qua antea, auctore Suetonio, diximus, & morum vxoris in peius ſemper, hoc eſt in ſuperbiam & libidinem & crudelitatem vergentium; non ab re ille iudicauit, probabile valde eſſe, ex vtroque parente filium eiusmodi accepiſſe indolem, quæ in publicum malum & perniciem propendeat.

IV. Trimulus patrem amiſit, vt ſola mater, antequam in auguſtam domum inferretur, educationi eius præfuerit, quam non optimam fuiſſe, ex moribus feminæ perfacile eſt cognoſcere: melius cum ipſo actum, quum Senecæ ſenatori formandus traderetur: quod non prius contigit, quam mater nupſiſſet Claudio, Meſſalina ſublata, ſiue ſexto anno ante mortem Claudii

Claudii, vt ipſe Seneca apud Tacitum lib. XIV cap. LIII tempus deſignavit. Ex quo colligitur, vndecim circiter annorum fuiſſe, quum in Annæi diſciplinam concederet.

V. Non eſt dubium, quin ex ſapientisſimo viro multa præclara & ad virtutem facientia audiverit, quæ ita pro captu ætatis puer adripuit, quamdiu maior abeſſet licentia, vt non omnino ſpes nulla ex ingenio eius, quod quibusuis ſtudiis idoneum videbatur, emicaret: quamvis nec in tenera ætate indicia defuerint & experimenta futuræ crudelitatis. Iniquior ergo nobis Auſonius videtur, qui Gratiarum actione ad Gratianum Auguſtum cap. XIII. ſcripſit: *Diues Seneca arguetur rectius, quam prædicabitur, non erudiiſſe indolem Neronis, ſed armaſſe ſæuitiam.* Quod ex Dionis lib. XIII pag. 695 hauſiſſe videtur, de matris cæde dicentis, non Sabinam modo adulteram, ſed καὶ ὁ Σενέκας παρώξυνεν, *& Senecam inſtigaſſe* Neronem, idque ab ἀξιοπίστοις, *fide dignis* dictum eſſe, per quos Tacitum annal. XIV. cap. VII. deſignaſſe, ſed male intellexiſſe, bene interpres Iulianus Pichon iudicauit. Quin potius Tacitus, fide dignisſimus auctor, lib. XIII. cap. II dicit, *Senecam præceptis eloquentiæ & comitate honeſta obuiam iſſe vitiis, quæ ex Nerone prominebant*, in eo adiutum a Burrho *militaribus curis & ſeveritate morum* conſpicuo viro, vt lubricam Neronis ætatem in recto contineret: niſi Burrhus poſterior, quam Seneca, ad inſtitutionem iuuentutis principis accesſit. Id etiam ex eo manifeſtum eſt, quod Seneca præſentiens diſcipuli pronum in ſæuitiam ingenium, eidem libros ſuos de Clementia

dica-

Digitized by Google

dicauit, vt, quanto poſſet ſtudio, ad benigniores illum mores a feroci natura, quæ ſe proferabat, revocaret. Nec vero ideo accuſandus eſt Seneca præceptor, quod diſcipulus in virtute non profecerit, quum ſæpe in irritum labor præcipientium eat, præter ipſorum culpam, quæ in aliis rebus inueſtiganda eſt, de quibus poſtea dicemus.

VI. Non itaque maioris iudicium Auſonii de Seneca faciendum eſt, quam Quintiliani lib. x. cap. 1, & Gellii lib. XIII cap. 11, qui ſtilum eius carpunt, quos acute Iuſtus Lipſius, de Seneca iudicio, confutauit; quamquam non negamus, fuiſſe etiam in illo, quæ reprehendas, vt ſolent magnis quoque virtutibus confinia eſſe quædam vitia. Nec ſolus Seneca iuuentuti eius præfuit, ſed vna Burrhus Afranius, quos ambo Tacitus dicto loco dixit *rectores imperatoriæ iuuentæ*, quia cuſtodes hi præclari non ſtatim remoti ſunt, quum Nero rerum potitus eſſet, ſed per annos plures imperatori iuueni in rebus gerendis adfuerunt. Ipſe imperator factus, quum primum curiam ingreſſus eſſet, de auctoritate patrum, de conſenſu militum præfatus, conſilia ſibi & exempla capeſſendi egregie imperii memoravit, & formam futuri principatus præſcripſit, ea maxime declinans, quorum recens flagrabat inuidia. Spem ergo plerique meliorem concipiebant, præſertim quod Burrhum & Senecam cognitos experientia habebant, quos viderunt nouum imperatorem ad conſilia rerum ſuarum vbique adhibere. Tacitus lib. XIII cap. VI in vtramque partem ſpes & dubitationes hominum expoſuit. Nec fefellit opinionem Nero primis annis imperii, ſed ſe ita laudabiliter geſſit, ma-

giſtris

Digitized by Google

giſtris adiuuantibus, vt Traianus idemtidem dixerit, apud Aurelium Victorem, *procul differre cunctos principes Neronis quinquennio*, id eſt, quinque annis præclare imperaſſe, vt optime de futuris temporibus ſperaretur, ad eum guſtum, quem dederat, Romanis principatum illius exigentibus.

VII. De ſtudiis Neronis ſummatim Suetonius cap. LII, *Liberales diſciplinas omnes fere puer attigit. Sed a philoſophia eum mater auertit, monens, imperaturo contrariam eſſe: a cognitione veterum oratorum Seneca præceptor, quo diutius admiratione ſui detineret.* Mirum vtrumque. Si mater inutiles ſubtilitates intellexit, recte illa ſenſit, & id, quod mater Iulii Agricolæ apud Tacitum cap. IV, quæ etiam filium, quum prima iuuentute ſtudia philoſophiæ ac iuris, *vltra quam conceſſum Romano ac ſenatori*, hauriret, prudentia quadam coercuit, & cupidum ac incenſum animum ad vtiliora & magis neceſſaria reuocauit: ſin omnem philoſophiam prohibuit, male & indigne fecit. & contra Platonis ſententiam ex lib. v. de Republica, *tum demum beatas fore reſpublicas, ſi aut philoſophi imperarent, aut reges philoſopharentur*: quam, laudato auctoris nomine, etiam Cicero lib. I ad Quintum fratrem epiſt. I. cap. x. ſuam fecit. Alterum excuſat Tacitus lib. XIII cap. III, orationes Neroni Senecam compoſuiſſe temporis illius auribus accommodatas: hoc eſt, delicatius tum ſæculum fuiſſe, quam vt veterum omnia probaret, ac in primis a longioribus abhorruiſſe periodis, longis prooemiis & alia verborum minus vtili abundantia, quod etiam poſt paullo ex Taciti Pliniique ſcriptis intelligimus, & auctor Dia-

logi

Digitized by Google

logi de Oratoribus, ſive Quintilianus ſiue alius fuit, cap.XVIII expresſis verbis declarauit. Quid quæritis? Principis eloquentiam formabat Seneca, cuius perſonam non decet verbis luxuriari, ſed grauitatem, cui & breuitas ſufficit, vbique præ ſe ferre. Nec ſtudia Nerò iam imperator omiſit, ſed, quod Suetonius cap. X *declamauit ſæpius publice, recitauit carmina, magna vniuerſorum lætitia.* Augebat enim illud ſpem bonitatis quam perpetuam fore conceperant, quod ſtudia litterarum præceptis ac exemplis ad virtutem ducunt, eamque in animis colentium magis magisque confirmant.

VIII. Sed quorſum hæc? Huc tendunt omnia, vt miremur & quæramus, qui fieri potuerit, vt iuuenis tam bene inſtitutus, tanta inſtructus doctrina, tot ſpeciminibus bonitatis approbatus, in tam fœdam ſcelerum immanitatem prolaberetur. Cauſſas inquirenti occurrit primum lubrica natura & indoles procliuis in deteriora, quam non eſt quod admodum miremur, quia nec patris nec matris mores probati ac honeſti fuerunt. Corrigi naturæ vitium educatione poteſt, quæ vero in eo laxior fuiſſe videtur, antequam Senecæ traderetur inſtituendus, quia nihil ſeuerum, nihil ad virtutis mediocritatem temperatum in matre erat. Seneca accepit illum iam aulæ adſuetum, jam principis priuignum, iam auguſtæ filium, mox ipſius imperatoris adoptiuum: fecit Seneca, quod ſuum erat, fecit & Burrhus: ſed quantum boni hi in animo illius conſtituerunt; ſi non tantum, tamen multum, matris faſtum & inſolentiam, ad ſuos mores adſuefacientis, deſtruxiſſe dubitamus? adde licentiam libertorum, qui ipſi Claudio imperitabant; quantum & hos putabimus

irrita-

Digitized by Google

irritamenti attuliſſe iuueni? Non ignotum eſt, plus nocere exempla malorum, quam prodeſſe monita recte præcipientium.

IX. Didicit tamen, vt primis annis placeret pluribus, & ſpem ſui concitatiorem faceret: quod vitia latebant, necdum eruperant in publicum. Sed vnde immanitas illorum? aut cur diſciplina vtriusque rectoris, Burrhi atque Senecæ, tam infructuoſa fuit? adeone ſunt ſteriles bonæ litteræ, ut monitis & exemplis ſuis nullos ſtimulos addant ad virtutem ſectandam? aliam ergo cauſſam, eamque fortiorem, ſubfuiſſe neceſſe eſt, quam naturæ illam in malum propenſionem, quæ corrigi diſciplina poteſt, & litterarum ſtudiis non difficulter emendari. Cauſſa illa, ſi penitus inſpicimus, fortuna fuit & potentia nimia. Vt enim id proprium iuuenili ætati eſt, vt facile dimoueatur a propoſito: ſic nihil validius ad euellendas virtutis radices, quam fauens fortuna, eaque ſumma, id eſt coniuncta arbitrio agendi quiduis, & potentiæ incircumſcriptæ. Hæc fortuna, hæc potentia eſt, quæ claros duces perdidit, &, euulſa virtute, oppleuit vitiis, ut vel ſolus Alexander Macedoniæ rex documento eſt, in quo & Ariſtotelis & Calliſthenis inſtitutiones adſurgens fortuna & perpetua felicitas oppresſit, vt ex Græcis moribus in barbaros prorueret, &, quum dominus plurimarum gentium eſſet, ſuarum cupiditatum fieret ſeruus, iretque quo ab illis abripiebatur.

X. Idem accidit Neroni. Videbat orbem terrarum ſibi ſubiacere, omnes ſuis parere legibus, neminem ſibi imperare poſſe: quos habuerat rectores, vt ſolet

ſolet in tanta fortuna, monendo tantum ſuadere, non præcipere; quo, & natura inſtigante, factum, vt in immanem faſtum illaberetur, & omne ius ac fas ſub pedibus ſuis poſitum putaret: quippe iuniores eiusmodi principes facile adduci poſſunt, vt cum rege Atreo tragici poetæ, ſiue is noſter Seneca fuit, ſiue alius, in Thyeſte verſu 217. profiteantur:

Sanctitas, pietas, fides
Priuata bona ſunt: qua iuuat, reges eant.

Sic ex magna fortuna nihil niſi licentiam vſurpant, ſibique, quidquid lubet, licere etiam exiſtimant. Tum non gradu, ſed præcipiti curſu a virtute deſcitum, ad vitia tranſcurſum; vetus diſciplina deſerta, pesſima inducta conſuetudo: in otium, in voluptates, in fœdas libidines & inauditam crudelitatem converſa ſunt Neronis omnia.

XI. Atrociora ſunt ſcelera, quam vt breuiter enarrari cuncta poſſint: quædam etiam ita turpia & nefanda, vt ſine pudore, ſine pudicarum aurium offenſione nec eloqui poſſimus. Qua de cauſſa Iſaacus Caſaubonus Suetonium & Dionem reprehendit, quod nimis aperte nec ſine legentium corruptione obſceniſſima Neronis facinora prodiderint. Sunt quidem, qui Suetonium in hac cauſſa defenſum eant, ex Ciceronis lib. II de Oratore cap. xv legem hiſtoriæ geminam repetentes, cuius prior pars eſt, *ne quid falſi dicat:* altera, *ne quid vere non audeat.* Sed *audenda* illa, de quibus Cicero haud dubie locutus eſt, non turpitudini & obſcenitati, vnde iuuentutis eſt corruptio; ſed potentiæ & gratiæ illorum, de quibus ſcribitur, interpretemur, æquum eſt. Neç cetera o-

Digitized by Google

mnia recenſebimus, ſed prætermiſſis priuatis, contenti ſolis erimus, quibus & rempublicam pæne ſubuertit, & eccleſiam Chriſtianam crudeliſſime vaſtauit.

XII. Matricidium ergo iam ſilemus, licet infamia eius priuatos inter parietes contineri non potuerit: ſilemus etiam vxoris Octauiæ exſilium atque cædem: ſileremus etiam fratrem Britannicum veneno ſublatum, quia & huius cædes ad neceſſitudines domeſticas, pertinebat; niſi eadem in publicum quoque malum poſt id tempus conuerſa eſſet. Niſi enim vitam huic Nero eripuiſſet: magna mala & tot ciuilia bella, quæ Neronis mortem ſecuta ſunt, euitari potuiſſent: vt ita fratricidium illud plus futuris temporibus quam præſenti, nocuerit. Maxime autem iam nobis curæ erunt clarorum hominum neceſſitates, in quas ſæuitia Neronis, immaniſſimi tyranni ſunt adacti. Lumina enim ſenatus exſtinxit, & quidquid nobile, præclarum ac virtutibus inſignitum erat, euertit ac deleuit. Et Taciti verba lib. I. Hiſtoriarum cap. II. æque de Neronis, quam ſubſecutis temporibus capienda ſunt: *pollutas cærimonias, magna adulteria, plenum exſiliis mare fuiſſe, atrocius in vrbe ſæuitum. Opes & nobilitatem, omiſſos geſtosque honores pro crimine, & ob virtutes certiſſimum exitium.*

XIII. Quid multa? exuerat humanitatem Nero; belluinos mores induerat. Qui enim ita in naturæ legem audaciter graſſatur, vt matrem occidere nec horreat, ne erubeſcat; a quo ſcelere, a qua atrocitate putamus eum ſibi temperaturum fuiſſe? Pleni annales ſunt exemplis tragicis; e quibus præcipua tantummodo damus, nam omnia, nec recordari iam poſſumus, nec ſi ſubirent me-

Digitized by Google

moriam, per breuitatis noſtræ legem enarrare liceret.

XIV. Sunt autem *Rubellius Plautus* & *Cornelius Sulla* Claudii gener, quos ob virtutem maxime tyrannus Nero metuebat. Scilicet hæc indoles, hoc ſtudium malorum eſt principum, vt, quos virtute claros fieri & coli ac amari vident, ſubuertant, quocumque modo poſſunt, & ſi clam non poſſint perdere, iniuſta accuſatione condemnent ac interficiant. Quia enim ſe propter ſcelera inuiſos norunt, quoscunque gratioſos timent, maxime eos, qui claritate generis & virtutis præſtantia mereri videntur, vt imperent. Hoc Tacitus lib. XIV cap. LVII obſeruauit, Plautum in Aſiam, Sullam in Galliam Narbonenſem *amotos* fuiſſe, hoc eſt in exſilium eiectos, nec in eo adquieuiſſe Neronem, ſed ab exulibus etiam ſibi pertimuiſſe, ideoque in mandatis dediſſe, vt vterque interficeretur. Quid dicemus de *Torquato Silano*, qui vt Tacitus tradit lib. XV. cap. XXXV, ea de cauſſa mori adactus eſt, quia *ſuper Iuniæ familiæ claritudinem diuum Auguſtum atauum ferebat.* Hæc cauſſa mortis: alius prætextus, quod largiretur liberaliter, vt populum ad res novas promtiorem haberet.

XV. Deteſtabilior factus eſt Nero, quum *Caſſium Longinum*, celebrem iuris conſultum, de cuius ſectatoribus & *Caſſiana ſchola* Plinius lib. VII epiſt. XXIV, & Pomponius lege II de Origine iuris conſulantur, ſupplicio adfecit, nullo crimine, niſi quod Caſſius opibus vetuſtis & grauitate morum præcellebat: quem ideo accuſari iuſſit, quod in vetere gentili ſtemmate Caſſii, percuſſoris Cæſaris, imagines retinuiſſet. Lege Suetonium cap. XXXVII, & Tacitum lib. XVI cap. VII. Eodem libro

Tacitus plures illuſtrium cædes cap. XVII narrauit, *Annæi Melæ*, qui frater fuit Senecæ, pater Lucani poetæ; *Cerialis Anicii, Rufi Criſpini.* Mela & Criſpinus equites Romani dignitate ſenatoria: alter etiam præfectus prætorio fuerat, & conſularibus inſignibus donatus. Nihil his obiectari poterat, cur cæderentur. Coniurationis crimen in Melam non cadebat, licet falſis & adſimulatis litteris premeretur. *Seneca* quoque, quod ſacrilegia Neronis improbaret, veneno petitus fuit, quod vitauit ſimplici victu & potu aquæ profluentis, monitus, vt credebatur, a liberto, vt idem Tacitus refert lib. XV. cap. XLV. Nec vero ſæuitiam crudelis alumni effugere potuit, ſed, *Sequitur,* inquit Tacitus cap. LX, *cædes Annæi Senecæ lætisſima principi, non, quia coniurationis manifeſtum compererat, ſed vt ferro graſſaretur, quando venenum non proceſſerat.* Tacemus, quos coniurationis cauſſa ſuſpectos, partim etiam confeſſos, interfecit, viros ſane clarisſimos magnoque ingenio, *C. Piſonem*, multorum votis imperio deſtinatum, *Antonium Natalem*, *Plautium Lateranum* deſignatum conſulem; *Claudium Senecionem*, *Annæum Lucanum* poetam, & alios multos, quos Cornelius Tacitus Annal. XV quaſi exſequiali officio proſequitur.

XVI. Vt autem ſcelera Nero, ita etiam in ſe odium cumulauit, quum præſtantisſimos magnarumque virtutum viros, vt virtutem omnem deleret & quidquid honeſti ſupererat, *Pætum Thraſeam*, & *Baream Soranum* interfecit, de quibus notabiliter Tacitus lib. XVI cap. XXI *Trucidatis tot inſignibus viris, ad poſtremum* Nero *virtutem ipſam exſcindere*

con-

concupiuit interfecto Thraſea Pæto & Barea Sorano. Habuit omnino ergo Tacitus, quod cap. xvi. eiuſdem libri quereretur; *etiam ſi bella externa, & obitas pro republica mortes tanta caſuum ſimilitudine memorarem; meque ipſum ſatietas cepiſſet, aliorumque tædium exſpectarem, quamvis honeſtos ciuium exitus, triſtes tamen & continuos aſpernantium. At nunc patientia ſeruilis tantumque ſanguinis domi perditum, fatigant animum & mæſtitia reſtringunt.*

XVII. His cædibus rempublicam adflixiſſe, eique quaſi oculos eripuiſſe, quis non videt? adflixit etiam inuſitata luxuria ſumptuumque immani profuſione, dum calidis & frigidis lauare vnguentis eſt ſolitus, & retibus piſcari aureis, quæ blatteis funibus extrahebantur. Eutropius de his, præter Suetonium, legatur. Quo & aliis luxus generibus non potuit non fieri, quin exactionibus nimiis prouinciæ exhaurirentur, quia quo plus perdiderat quotidie, eo maiorem ſummam ad alendam profuſionem repetebat a ciuibus æque, vt a prouincialibus. Sed ſunt alia grauiora, quibus hæc ſi comparantur, tolerabiliora videri forte poterunt. Cumulauit in ſe odium omnium, & conſummauit vrbis incenſione, qua ita in ſe exaſperauit populum, vt nullis placamentis, nullis largitionibus & congiariis leniri potuerit. Sexto demum die ab incendio finis factus, proruptis per immenſum ædificiis, vt continue violentiæ campus & velut vacuum cælum occurreret. Caſu an dolo principis accepta clades, *incertum* dixit Tacitus lib. xv. cap. xxxviii quia *vtrumque auctores prodiderint.* Firmauit ſuſpiciones & inuidiam, quod multi fue-

rint, *qui reſtinguere minis probiberent:* multi, *qui palam faces iacerent*, aut alimonta adderent incendio, quos alii iuſſos id agere interpretabantur, aliis rapiendi licentiæ tribuebant. Suetonius plura cap. XXXVIII tradit. *Incendit vrbem*, inquit, *tam palam, vt plerique conſulares cubicularios eius, cum ſtuppa tadaque in prædiis ſuis deprebenſos, non attigerint.* Videbant enim principem imperaſſe, quam opinionem auxit, quod *lætus flammæ pulcritudinem*, vt aiebat, e turri Mæcenatis ſpectauerit ſcenico habitu, Ilii ἅλωσιν decantans, & ex aliorum malo voluptatem capiens, quaſi cerneret ardentem Troiam.

XVIII. Hæc culpa, hoc ſcelus (cuius ſi vel maxime primus auctor non fuiſſet, approbauit tamen, & aluit, eoque lætari præ ſe tulit) hoc ſcelus, inquam, vt fecunda ſunt mala, peperit aliud, idque multum atrocius, vexationem Chriſtianorum publicam crudeliſſimamque. Sic enim Tacitus eodem XV. lib. cap. XLIV *non ope humana non largitionibus principis aut deum placamentis, decedebat infamia, quin iuſſum incendium crederetur. Ergo abolendo rumori Nero ſubdidit reos, & quæſitiſſimis pœnis adfecit, quos per flagitia inuiſos vulgus Chriſtianos appellabat. Auctor nominis eius Chriſtus, qui Tiberio imperante per procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio adfectus erat. Repreſſaque in præſens exitiabilis ſuperſtitio rurſus erumpebat, non modo per Iudæam, originem huius mali, ſed per vrbem etiam, quo cuncta vndique atrocia aut pudenda confluunt celebranturque. Igitur primo correpti, qui fatebantur: deinde indicio illo-*

rum

Digitized by Google

um multitudo ingens, haud perinde in crimine incen-dii, quam odio humani generis conuicti ſunt.

XIX. Quid apertius, quam Neronem ſubſtituiſſe eos incendii, qui rei non erant? Hæc eſt illa gloria Chriſtianorum, quod prima ipſarum perſecutio orta ſuerit ex innocentia. Primus enim Nero ex Romanis principibus, qui igne, ferro, ludibrio in Chriſtianos ſæuit, eorumque *ingentem multitudinem*, vt Tacitus ait, ſine probato crimine interfecit. Vnde eſt quod Tertullianus Apolog. cap. v. Neronem *dedicatorem damnationis* Chriſtianorum vocat, cuius infamis malitia abunde reos excuſet atque abſoluat. *Conſulite*, inquit, *commentarios veſtros: illic reperietis, Neronem in hanc ſectam, cum maxime Romæ orientem, Cæſariano gladio ferociſſe. Sed tali dedicatore damnationis noſtræ etiam gloriamur. Qui enim ſcit illum, intelligere poteſt, non niſi grande bonum a Nerone damnatum.*

XX. Duo Tacitus, cordatus cetera ſcriptor, ſed deorum cultui adſuetus, obiecit Chriſtianis, primum *per flagitia inuiſos eſſe:* deinde, *exitiabilem ſuperſtitionem* fouere. A flagitiis abſoluit Plinius, æqualis Taciti & amicus, epiſt. xcvii ad Traianum. Superſtitio eſt falſa religio, ſeu quæ videtur falſa eſſe: nec mirum, paganis ſuperſtitionem ritus Chriſtianos viſos eſſe: quia cum deorum cultu, cui addicti omnes erant, minime conueniebant. Nec Tacito tantum ita dicta eſt noſtra religio, ſed aliis etiam eiusdem gregis paganorum. Suetonius cap. xvi *adflicti ſupplicis Chriſtiani, genus hominum ſuperſtitionis nouæ ac maleficæ.* Et vetus inſcriptio ex Dio-

 cle-

Digitized by Google

cletiani æuo apud Gruterum pag. 280. SVPERSTITIONE CHRIST. VBIQ. DELETA. Sane ita ſolet eſſe, vt ſanctiſſima myſteria noſtra videantur iis, qui diuinitus non ſunt illuminati, non modo *ſuperſtitio*, verum etiam, vt cum Apoſtolo loquamur, *μωρία*, *ſtultitia*. Ad hæc Tacitus *exitiabilem* illam, quam putat, ſuperſtitionem vocat, & Suetonius *maleficam*, quod deorum cultoribus Chriſtiani apparebant extreme impii, quia id, quod per tot ſæcula ſacroſanctum a gentibus erat habitum, negabant & irridebant. Innata hominibus eſt opinio, ſaltem a pueris adſcita, ſuetam maiorum religionem, non poſſe erroneam dici aut cenſeri falſam. *Inuiſos*, addit Tacitus, fuiſſe, quod vtique eſt credibile, quia & ritibus diſſentiebant a paganis, & flagitiorum criminationibus expoſiti erant. Exſecranda enim fuerunt, quæ Chriſtianis obiiciebantur, a Minucio Felice copioſe refutata. Inuiſi ergo erant, ſed immerito ſuo, culpa ethnicorum, qui res chriſtianas ignorabant, & maleuolentia præpediti, nolebant veriora inueſtigare.

XXI. Pergit Tacitus: *Pereuntibus addita ludibria, vt ferarum tergis contecti laniatu canum interirent.* Venatio ludicra in deliciis Romanorum erat, vt feras vndique quæſitas canibus obiectarent, aut ſi validiores eſſent, venabulo ferirent, aut damnatos cum illis committerent. Hic vero ſceleratum eſt ludibrium, quod peſſimus imperatorum excogitauit, vt non ſimpliciter vorandos aut agitandos obiectaret, ſed ferarum pellibus contectos, quo largiorem riſum ſpectatoribus concitaret. Cetera non inſuetum fuit

inſe-

Digitized by Google

nſequenti tempore, Chriſtianos, vt exoſum genus 1ominum & ab omnibus damnatum, beſtiis in ſpectaculis obiicere. Tertullianus Apolog. cap. XL. *Si Tiberis adſcendit ad mœnia, ſi Nilus non adſcendit in arua, ſi cælum ſtetit, ſi terra mouit, ſi fames, ſi lues, ſtatim* CHRISTIANOS AD LEONEM. Et Prudentius hymno Eulaliæ verſu 117

Aut laniabere membra feris.

Sed hoc commune cum aliis damnatis ſupplicium, in quo Neronis malitia non adquieuit, nec ſatiata fuit, niſi noua addita illuſione, vt miſeri Chriſtiani, ferarum pellibus contecti, inſtar beſtiarum dilacerarentur a canibus in eos irritatis.

XXII. Aliud nefandum ludibrium ita profert Tacitus: *aut crucibus adfixi, aut flammandi, atque vbi defeciſſet dies, in vſum nocturni luminis vrerentur. Hortos ſuos ei ſpectaculo Nero obtulerat.* O facinus abominandum! ex quo ingenium Neronis, natum ad ſæuitiam, clare intelligitur. Amœnitatis cauſſa plantati ſunt horti: hic vero abuſus eſt ad deteſtandam crudelitatem, quæ ſumma ei voluptas erat, ſumma amœnitas, cruces, patibula, buſta in loco florum atque arborum intueri. Deteſtabilius ſcelus eſt, vt flammandi in vſum nocturni luminis vrerentur. Nouum ſupplicii genus, non autem primo forſan torquendis Chriſtianis adinuentum. Iuuenalis ſatyra I verſu 155 ad hunc morem videtur reſpexiſſe:

Pone Tigellinum, tæda lucebis in illa,
Qua ſtantes ardent, qui fixo gutture fumant.

Vbi vetus ſcholiaſtes *Tigellinum ſi læſeris* (Neronis amicum) *viuus ardebis: quemadmodum in munere*

Digitized by Google

Neronis viui arſerant, de quibus ille iuſſerat cereos fieri, vt lucerent ſpectatoribus, quum fixa eſſent illis guttura. Huc etiam pertinere videtur illa *tunica moleſta*, de qua idem Iuuenalis ſatyra VIII verſu 235

Auſi quod liceat tunica punire moleſta.

Vbi itidem Scholiaſtes: TVNICA, *veſtis ex charta facta, pice inlita, in qua ignibus pœna addicti ardere ſolent.* Et ad dictum locum ſatyra I, *Nero maleficos homines papyro & cera ſuperueſtiebat, & ſic ad ignem admoueri iubebat, vt arderent.*

XXIII. Quod vero *flammandi* Tacito dicuntur, ea vox nonnullis crucem fixit, vt vel cum Sulpicio Seuero, qui Tacitum expreſſit, *flamma vſti*, vel aliter legere mallent. Sed ſalua res eſt, & Sulpicius aliis quoque ſuperadditis interpolauit in hoc loco Tacitum. Manu ſcripti codices vulgatam lectionem tuentur, præſertim Florentinus antiquiſſimus: Rychianus autem *flammati*. Et alibi Tacitus hoc verbo vſus eſt, ſed *incitandi* notione: Catullus autem proprie de Nuptiis Pelei verſu 291 *flammatus Phaethon*.

XXIV. Quanta fuerit Neronis perſecutio, oſtendit Tacitus: *multitudo ingens odio humani generis conuicti ſunt.* Certum de vrbanis, ſiue in vrbe peremptis, ſeu ad vrbem. An vero longius extra vrbem manauerit malum per Italiam, aut prouincias etiam, dubitari omnino poteſt. Negat plane Henricus Dodwellus Cyprianica Diſſertatione XI ſectione XIII, quia cauſſa, ſiue prætextus vexationis intra vrbem ſubſtiterit, vrbis videlicet incendium; deſitque teſtimonium antiquitatis, quo excurſio illius perſecutio-

cutionis confirmetur. De prouinciis videtur probabile, quod Dodwellus dixit: an vero nec in ſuburbanis regionibus Italiæ idem malum propagari cœperit, adfirmare quidem non poſſumus, neque vero negare; quia morbus capitis ſe latius diffundit; & ab aula & metropoli exemplum petunt ciuitates, quod imitentur, præſertim quia Tacitus dixit, Chriſtianos *haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis conuictos eſſe.*

XXV. Præcipuus inter Chriſtianos, quos Nero interfecit, eſt apoſtolus Paulus, qui ipſe præuidit ſuum exitum, & de eo vaticinatus fuit II Timoth. IV, 6. quamquam de anno non certo conſtat, quum dubium ſit, fueritne Paulus abſolutus prima captiuitate, & in Græciam aliasque regiones reuerſus fuerit, (quod Ludouicus Cappellus Apoſtolica Hiſtoria videtur multis approbaſſe) & poſt annos aliquod Romam deductus denuo, ſupplicium ibidem ſubierit; an poſt biennium captiuitatis primæ Neronis gladio fuerit percuſſus: quod aliis videtur probabilius.

XXVI. Difficilior quæſtio de *Petri* eſt ſupplicio, an Romæ tum etiam a Nerone cruci adfixus fuerit. Adfirmat chorus eccleſiaſticorum patrum & hiſtoricorum; nec vero deſunt rationes aliis, vt negent, numquam Petrum Romam veniſſe, aut in occidente prædicaſſe euangelium. Vrgent primo Lucæ ſilentium in Actibus, vbi non deerat mentionis faciendæ occaſio: &, qui minora memorauit de diſcipulis & adiutoribus apoſtolorum, cur, quod caput rei Chriſtianæ foret, tacitus præteriiſſet? Deinde

ſilet

ſilet Paulus ad Romanos epiſtola, quæ tamen ex plurium calculo poſt Petri in vrbem aduentum ſcripta eſſet. Ad hæc Paulus cum Petro ſortitus gentes acceperat; Petrus Iudæos, *Galat.* II, 7. *ſeq.* At vero pauci in occidente Iudæi, plurimi in oriente. Nec in epiſtolis Paulinis Roma datis præſentiæ Petri eſt mentio habita. Diſſenſus etiam maximus de tempore profectionis Petri eſt, qui ſane per multos annos in Palæſtina manſit *Act.* xv, & Paulus poſt xiv annos a conuerſione ſui Hieroſolymis eumdem inuenit. *Galat.* II, 1. qui ergo xxv annis, vt vulgaris eſt opinio, Romæ ſediſſe pudandus eſt? Tandem Clemens, quem Petri ſucceſſorem dicunt, I ad Corinth. epiſtola cap. v de Paulo plura memorat: de Petri morte breuiſſime, nec profectionem in occidentem, nec locum martyrii deſignans.

XXVII. Qui adfirmant Petrum Romæ fuiſſe, vtuntur teſtimoniis *Papiæ* & *Clementis Alexandrini* apud Euſebium lib. I H. E. cap. xv; deinde *Irenæi* lib. III. cap. I; *Tertulliani* de Baptiſmo cap. IV; de Præſcript. cap. XXVI; *Cypriani* Epiſt. LIX ad Cornelium pag. 135. Poſteriores, qui hos ſecuti ſunt, ſilemus. Nihilominus exercitii cauſſa priorem ſententiam tuebimur.

XXVIII. Denique de pœna Neronis, & exitu turpiſſima vita digniſſimo aliquid dicendum reſtat. Petrus Cunæus Orat. x de Nerone: *Quum deos homineſque teſtes ac vindices facinorum timeret, eo ſe perductum ſenſit, vt non liceret illi mutare mores. Perſeuerandum fuit, nec ad meliora patebat regreſſus. Scelera enim ſceleribus tuenda erant. Infelicis-*

ciſſimus autem eſt, cui iam eſſe malo neceſſe eſt: iam enim libertatem amiſit. Recte. Vt enim philoſophi *ſummum bonum* ſtatuunt, quod id actuoſa virtute eiusque conſtantia conſiſtit: ſic etiam eſt *ſummum malum*, quod opponitur bono, idque conſuetudo inueterata male agendi, quæ vix vmquam dediſci poteſt, vt ad virtutem remigretur, etſi ſentiatur, a quanto bono, & in quantum malum ſit decurſio facta. Et ipſe ſenſus ille pœna eſt, quæ torquet malorum conſcientia, vt, quod Perſius de tyrannis dixit ſat. III verſus 38.

Virtutem videant, intabeſcantque relicta.

Exſecrabilis ſic Nero, damnatusque a ſenatu, vt, furca capiti inſerta, per publicum duceretur nudus, & virgis vſque ad mortem cæderetur; fugit in liberti ſuburbanum, ibique, ne retraheretur ab equitibus, iuuante ſeruo trepidum conatum, gladio ſe interfecit. Sed maior ignominia, æternique cruciatus ſunt, quos ex morte adiit, & perpetuo ferre adactus eſt & adigetur ſine fine aut intermiſſione.

ADDITAMENTA.

I. Numerus *decem* atrociorum perſecutionum non ita certus & definitus eſt, vt nec reſtringi ad minorem poſſit: neque vero cum Hen. Dodwello facimus, qui Diſſert. XI cap. VIII *paucitatem martyrum* ex eo conſtare putat, quod Melito Sardianus apud Euſeb. lib. IV H. E. cap. XXVI, & Tertullianus Apolog. cap. V tantum (*μόνοι* Melito) Neronis & Domitiani mentionem faciant: & Lactantius de

Mort.

Mort. perſec. cap. III quinque ſolum principes in perſecutoribus ante Diocletianum numeret. Fuerunt omnino plures, & aliæ cauſſæ ſubſunt, quare Lactantius quosdam præterierit.

II. Nero in illis primus eſt & *dedicator*, vt Tertullianus dixit. Qui in Iudæa præceſſerant furores, aut tumultuarii fuerunt, vt *Act.* VI, VII: aut breuiores, & in paucos, vt *Act.* XII. Claudii Cæſaris expulſio *Act.* XVIII, 2 incruenta fuit: de qua etiam Suetonius cap. XXV *Iudaeos, impulſore Chreſto aſſidue tumultuantes, Roma expulit:* qui vt errat in *Chreſti* vocabulo, originem illius genuinam ignorans; ita grauius peccat *impulſoris* criminoſo verbo. Videtur autem certamina Iudæorum cum Chriſtianis denotaſſe.

DISSERTATIO X.
DE
MAGIS EX ORIENTE STELLA DVCE BETHLEHEMVM PROFECTIS,
habita An. 1704.

OMnes gentes, præter Eberi poſteros, diuinæ reuelationis lumen, vetumque DEI cultum perdidiſſe, & ignorantiæ tenebris circa diuinas res immerſos fuiſſe, antequam myſterium τῆς εὐσεβείας, hoc eſt, Euan-

uangelium per terrarum orbem vbique adnunciare-
ur; divinæ & profanæ, vt notum omnibus eſt,
iſtoriæ confirmant. in hoc vero miranda eſt Dei
enignitas & miſericordia, quod deſertoribus hiſce
ui non omnem lucem abſtulerit, ſed, quæ ex na-
ura reſultat, & menti hominis eſt indita, relique-
it, quamquam etiam debiliorem, quam ipſa ante
uerat. Hanc non omnes æqualiter excoluerunt,
ed orientis primum populi, a quibus Aegyptii vi-
lentur accepiſſe, ab Aegyptiis Græci, & per hos
einde diffuſa in occidentem & ſeptemtrionem. Vt
ero primi fuerunt Orientales, qui ſapientiam exco-
erent, ita huius ſtudii gloria, quamuis communi-
ata cum aliis nationibus; illis inuentoribus per plu-
a ſæcula, quaſi propria illorum eſſet, vindicata fu-
: & attributa. Salomonis mirifica & admiranda Sa-
ientia 1 Reg. IV, conim. 30 deſcribitur ita, vt
omparetur cum ſapientia Orientalium & Aegyptio-
um. Orientis autem populos Scriptura ſacra re-
pectu Palæſtinæ ita vocat, qui erant Arabes & Chal-
æi & Perſæ: Aegyptus autem & pars Arabiæ in
uſtrum vergunt, ſi cum Sancta Terra compo-
antur.

II. Orientalium Sapientia potiſſimum in Chaldæa,
bi nata fuerat, & Perſide vicina, tamquam in pro-
ria ſede ac domicilio per longa tempora videtur per-
itiſſe, quamquam & vlteriores, vt Indi, a citerio-
ibus edocti, philoſophiam coluiſſe perhibeantur:
uod poſtea grauium auctorum teſtimoniis demon-
raturi ſumus. Iam ad id ſine longiore præloquio
dgredimur, quod inſtituti præſentis eſt, de Magis
ex

ex oriente Bethlehemum profectis inquirere, quinam fuerint, & cuiates, ac cuius dignitatis & profeſſionis, quo inſtinctu, & quo duce iter ingreſſi fuerint, quantum viæ fuerint emenſi; &, quod ipſi ſtellam laudant, de hac etiam diſpicere noſtrum erit! etiam de donis, quæ recenti Iudæorum Regi dicuntur Magi attuliſſe.

III. Antiquum nomen *Magorum* eſt; quo ſapientem veteres aut ſacerdotem ſignificauerunt: abuſione deinde factum, vt Magia in malam partem acciperetur, & veneficii notionem indueret, perinde vt *tyranni* & *latronis* vocabula honeſtiora prius fuerunt; & ipſi *philoſophiæ* nomini ex abuſu aliquid adhæſit, Coloſſ. II, 8, vt tamen prima vocis notio & verus vſus etiam maneret; quod itidem in vocabulo *Magi* accidit, idque ambiguum permanſit, vt bonæ malæque ſignificationis eſſet. Abſit autem, qui Chriſtum adoraturi venerant, vt veneficos & incantatores credamus: prima & melior huius vocis notio nobis in hac hiſtoria valeat, quam plurimi etiam & fide digni auctores comprobant.

IV. A vocabulorum interpretibus initium faciemus. Suidas, *Μάγοι παρὰ Πέρσαις οἱ φιλόσοφοι καὶ φιλόθεοι.* Et Heſychius, *Μάγον τὸν θεοσεβῆ καὶ θεολόγον, καὶ ἱερέα οἱ Πέρσαι οὕτως λέγουσι.* Hoc ex hiſtoricis, immo etiam ex patribus Eccleſiæ hi Grammatici hauſerunt. Ex multis pauca, quæ ſufficere poſſint, teſtimonia proferemus. Aelianus lib IV Hiſtor. Variæ cap. XX Democritum Abderitam ſcientiæ conquirendæ cauſſa Orientem peragraſſe tradit, veniſſeque primum ad Chaldæos Babylo-

bylonem, καὶ πρὸς τοὺς Μάγους, & *ad Magos*, & *ad Sophiſtas Indorum*. Vbi itineris ratio oſtendit Perſas eſſe quia medii erant inter Indos & Chaldæos. Et ſi quis in ſacra noſtra hiſtoria ſanctiores teſtes ex Eccleſia audire malit, hos quoque poſſumus producere. Clemens Alexandrinus lib. I Stromat. pag. 305 Φιλοσοφία πολυωφελές τι χρῆμα, πάλαι μὲν ἤκμασε παρὰ βαρβάροις, κατὰ τὰ ἔθνη διαλάμψασα. Ὕστερον δὲ καὶ εἰς Ἕλληνας κατῆλθεν. προέστησαν δ' αὐτῆς Αἰγυπτίων τε οἱ προφῆται: καὶ Ἀσσυρίων οἱ Χαλδαῖοι, καὶ Γαλατῶν οἱ Δρυΐδαι, καὶ Σαμαναῖοι Βάκτρων, καὶ Κελτῶν οἱ φιλοσοφήσαντες, καὶ Περσῶν οἱ Μάγοι. Οἳ μέν γε καὶ Σωτῆρος προεμήνυσαν τὴν γένεσιν, ἀστέρος αὐτοῖς καθηγουμένου εἰς τὴν Ἰουδαίαν ἀφικνούμενοι γῆν. *Philoſophia res quedam valde vtilis, olim quidem floruit apud Barbaros, per gentes reſplendens: poſtea autem venit etiam ad Græcos. Ei autem præfuerunt & Aegyptiorum Prophetæ & Aſſyriorum Chaldæi, & Gallorum Druidæ, & Samanæi Bactrorum, & Celtarum qui philoſophati ſunt & Perſarum Magi, qui quidem Seruatoris quoque noſtri ortum ſignificauerunt, ſtella eos præcedente venientes in Iudæam.* Et Cyrillus Alexandr. lib. IV aduerſus Iulianum p. 133 ἐφιλοσόφησαν καὶ παρ' Αἰγυπτίοις οἱ κεκλημένοι Προφῆται. καὶ μὲν καὶ Ἀσσυρίων Χαλδαῖοι, καὶ Γαλατῶν οἱ Δρυΐδαι, καὶ ἐκ Βάκτρων τῶν Περσικῶν Σαμαναῖοι, καὶ Κελτῶν ὀλίγοι, καὶ παρὰ Πέρσαις οἱ Μάγοι, καὶ παρ' Ἰνδοῖς οἱ Γυμνοσοφισταί. *Philoſophati ſunt apud Aegyptios, qui prophetæ dicebantur. Quinetiam Aſſyriorum ſunt Chaldæi, Gallorum Drui-*

dæ, & Bactrorum Perſicorum Samanæi, & Celtarum non pauci, & apud Perſas Magi & apud Indos Gimnoſophiſtæ. Quis non videt his teſtimoniis conuictus, ſapientes ſeu philoſophos Perſarum fuiſſe magos, quia ab his grauiſſimis auctoribus in ordine ſapientum Orientis referuntur. His non piget oratorem etiam, eumque ſumma auctoritate, Ciceronem ex lib. I de Diuin. cap. XXIII adiungere. *Cyro*, inquit, *Magi dixerunt (quod genus ſapientum & doctorum habebatur in Perſis) portendi*, cetera.

V. Ita autem Magi erant philoſophi Perſarum, vt etiam cura omnis ſacrorum penes illos eſſet. Ammian. Marcellinus lib. XXIII cap. XXII quum de origine Magorum inde a Zoroaſtris temporibus dixiſſet, ſubdit: *Huius originis apud veteres numerus erat exilis, eiusque myniſteriis Perſicæ poteſtates in rebus faciendis diuinis ſollemniter vtebantur: eratque piaculum aras adire vel hoſtiam contrectare, antequam Magus conceptis precationibus libamenta diffunderet precurſoria. Verum aucti paullatim in amplitudinem gentis ſolidæ conceſſerunt & nomen.* Qui ſapientiores ceteris hoc ordine fuerunt, Regum quoque filiis inſtituendis formandisque adhibeantur. Cic. dicto I de Diuin. cap. XLI *in Perſis augurantur & diuinant Magi: qui congregantur in fano commentandi cauſſa, atque inter ſe colloquendi; nec quisquam rex Perſarum poteſt eſſe, qui non ante Magorum diſciplinam ſcientiamque perceperit.* Et Plato in Alcib. I. p. 222. Magos vocat βασιλέιους παιδαγωγὺς, qui ſint Περσῶν ὁι ἄριςοι, vt μαγέιαν doceans Zoroaſtri: ἔςι δὲ τῦτο θεῶν θεραπεία, *eſt autem*

autem hæc cultus diuinus. διδάσκει δὲ καὶ τὰ βασιλικὰ, *docet etiam* (Magus) *regnandi prudentiam.* Quod Apuleius Apolog. interpretatur: *inter prima regalia* (magia) *docetur.* Ex quo non difficile eſt iudicare, quem aditum ad aulam quondam Magi habuerint, quum regnum Perſicum poſt Cambyſis mortem occuparent.

VI. Ex his nobilioribus Magis, non ex illa numeroſa turba, quam modo ex Ammiano cognouimus, putamus etiam illos fuiſſe, qui nouum Iudæorum Regem adorandi cauſſa acceſſerunt; quod munera ipſorum ſplendidiſſima, quæ attulerunt, quæ non niſi ſummorum erant hominum, perſuadent. De hoc genere, loco iam dicto, Apuleius: *non vlli temere inter Perſas conceſſum eſt Magum eſſe; haud magis, quam regnare.* Quod tam paucitatem eorum, quam inſignem præſtantiam & auctoritatem arguit. Quum ergo Magorum patria *Perſis* fuerit, vt ex Cicerone, Cyrillo, Clemente, Suida, Heſychio iam percepimus; non videtur dubitandum eſſe, Magos Chriſtum adorantes etiam ex Perſide in Palæſtinam, longo quamuis itinere, aduenisſe. Quod licet ſanctiſſimi Patres, modo laudatus Clemens, & Chryſoſtomus, & Theodorus Tarſenſis, quorum verba infra producturi ſumus; nec non Latini poëtæ, Prudentius & Iuuencus aliique confirmarint; tamen non deſunt, qui id in dubium vocent, veteres & recentes, quorum ſententiam ita propoſuit Hugo Grotius in Matth. cap. II. *Perplacet mihi,* inquit, *vetuſtiſſima Chriſtianorum, atque inter eos Iuſtini Martyris ac Tertulliani ſententia, quam &*

Digitized by Google

Epiphanius ſequitur, ab Arabia veniſſe hos ſapientes. Eam enim Iudæi, vt ſibi ab ortu adſitam, hoc *nomine* (*ἀνατολῶν*) *vulgo adpellabant, vt videre eſt Gen.* X, 30. XXV, *6. 18. Iob. 1, 3. Iudic.* VI, *3. 1. Reg.* IV, *30. Eſa.* XI, *14. Ierem.* XLIX, 28. Addit Taciti teſtimonium ex lib. V Hiſtor. cap. VI Iudææ deſcriptione: *Terra fineſque, qua ad orientem vergunt, Arabia terminantur.*

VII. Specioſa quidem videntur, quæ Grotius de Magorum patria dixit: ſi vero penitus inſpiciuntur, debiliora illius argumenta ſunt, quam vt nos de iam propoſita ſententia dimoueant. Primum prouocabat ad antiquiſſimos Patres, Iuſtinum Martyrem & Tertullianum. Verum eſt, Iuſtinum aliquoties hos Magos ex Arabia arceſſere: in Dialogo cum Tryphone p. 303, vbi ter in hac hiſtoria vocat *τοὺς ἀπὸ Ἀραβίας Μάγους*, & p. 305. *ὑπὸ τῶν Ἀραβίας Μάγων*, & p. 330. *οἱ ἀπὸ Ἀραβίας ἐλθόντες Μάγοι*, ſed optimus Martyr ſæpe alibi in hiſtoria & geographia offendit, & in hanc opinionem, quod ex pagina 302. apparet, ingreſſus eſt ob ſiniſtram verborum Eſaiæ in interpretationem cap. VIII, 4. vbi Immanuel occupaturus dicitur חיל. *δύναμιν*, robur & fortitudinem Damaſci & prædam Samariæ, quod ipſe putat impletum in his Magis fuiſſe, quia Damaſcus aliquando a Syria diremta in poteſtate regis Arabiæ Petrææ fuit. Adiuuat Tertullianus aduerſus Iudæos cap. IX, itidem hunc Eſaiæ locum de magis Chriſto munera adferentibus interpretatus. *Maneant*, inquit, *Orientales illi magi infantiam Chriſto recentem auro & ture munerantes, & acceperit*

perit infans virtutem Damaſci ſine prœlio & armis. Nam orientis virtutem, id eſt vires, auro & odoribus pollere ſolitam, certum eſt. Addit ex Pſal. LXXII. 15. *Dabitur illi de auro Arabiæ.* Idem (forſan ex Eſaiæ LX. 6.) *Reges Arabum & Saba munera adferent illi. Nam,* pergit, *& Magos reges fere habuit Oriens, & Damaſcus Arabiæ retro putabatur, antequam transſcripta eſſet in Syrophœnicen ex diſtinctione Syriarum.* Vides quanta ambage Magos ex Arabia ducat, vt Eſaiæ locum de Damaſco illis applicet. Quam vero aliena omnia? Damaſcus recta in ſeptemtrionem ab Hieroſolymis & Bethlehemo vergit: Magi vero venerunt ex oriente. Loca Pſalmi & Prophetæ non de Arabia Iudæis Orientali agunt, ſed de Arabia Felice, שבא *Saba* ibidem dicta, cuius regina Matth. XII, 42. *βασίλισσα νότου, regina auſtri,* non orientis, dicitur. Alibi ipſe Tertullianus lib. I. adv. Marcion. cap. XII. *Perſarum Magos,* non Arabum vocat, & cum Aegyptiorum Hierophantis, & Indorum Gymnoſophiſtis conſueta diſtributione componit. Quod vero etiam ad Epiphanium a Grotio prouocabatur, nihil eo proficitur, quia ἐν Συντόμῳ ſeu Compendio Fidei cap. VIII, Magos ex *Magodia* Arabiæ regione deducit, quæ nemini vmquam audita fuit, aut cognita: etiam huc locum Eſaiæ VIII, 4, inuito propheta, trahit, vt appareat, priores; Iuſtinum & Tertullianum ſecutum eſſe. Cetera loca Scripturæ, a Grotio adducta, ſi de Arabia explicanda ſunt, & quidem in plaga orientali ſita; ad illam Arabiam pertinent, quæ

Digitized by Google

Deſerta appellatur, Iudææque ab ortu eſt obiecta de cuius philoſophis vel nihil vel raro aliquis cognouerit: de Perſarum autem Magis, vt ſupra diximus, fere ſcriptores omnes tradiderunt.

VIII. Leuiora ſunt cetera Hugonis argumenta, quam vt iis nos trahat in ſententiam. Habuiſſe, ait, & Arabiam ſuos ſapientes, idque exemplo amicorum Iobi probare vult, & Pythagoræ, qui ad Arabes diſcendi cauſſa profectus eſſet. Etiam Plinium meminiſſe *Magorum Arabiæ*, & Ptolemæum in Arabia poſuiſſe *Magorum ſinum.* At exempla ex Iobi æuo, & Pythagoræ, antiquiora ſunt, quam vt inde ad ſeculum Auguſti & Herodis argumentari liceat. Multæ interea conuerſiones rerum, motum & ipſarum gentium fuerunt. Porphyrius, ad quem provocat, in Vita Pythagoræ poſt principium tradit quidem, Pythagoram ad Aegyptios veniſſe, καὶ πρὸς Ἄραβας καὶ Χαλδαίους καὶ Ἑβραίους, παρ᾽ ὧν καὶ τὴν περὶ ὀνείρων γνῶσιν ἠκριβώσατο, *etiam ad Arabes & Chaldaeos & Ebraeos, apud quos ſomniorum interpretationem didicerit:* nihil autem ſingulare tribuit Arabibus, quamuis dicat cum Rege Arabum συνεῖναι, *conuerſatum eſſe*, quod via per Arabiam ferebat, cum ex Aegypto vel Syria in Chaldæos proficiſceretur. Plinii Magos Arabas nondum inuenimus, nec ipſe Grotius locum, vbi deſcribantur, adſignauit: vt tutius ſit certiusque cum Caſaubono hac in parte facere, Exercitatione II in Baronii annales p. 135. dicenti: *Magos Arabum, quod meminerim, nullus ſcriptor Graecus, nullus Latinus commemorat.* Ptolemæi Magorum ſinus in Arabia Felice eſt, & Perſici ſinus pars, ſi non oppi-

oppidum huius nominis, eidem ſinui adpoſitum, vt numeri longitudinis & latitudinis lib. VI cap. VII videntur non dubie probare. Quod vero etiam ad munera Magorum prouocat, quæ, vt ait, *Arabica ſint, non Perſica;* nihil vir ſummus agit, quia Arabiam Deſertam cum Felice, longiſſime in aliam plagam recedente, confundit. Solam Deſertam Iudæa ab ortu habet; Felicem & turiferam a meridie. Nec ita inopes fuerunt Perſæ, vt munera, quæ Magi attulerunt, Arabica potius quam Perſica cenſeri debuerint. Notiſſima enim eſt Perſarum opulentia, vt vel ex ſolo Alexandri Macedonis bello Perſico luculente conſtat.

IX. Quare potius ex Perſide, quam Arabia illos Magos in Iudæam veniſſe putamus, non tantum rationibus ducti, verum etiam auctoritate non minore. quam qua nitebatur Grotius. Validum enim argumentum eſt, Magorum nomen & inſtituta fuiſſe propria Perſarum, vt ſupra teſtimoniis variorum dignorumque fide fuit demonſtratum adeo, vt ſi Magum adpellamus, Perſam ſignificemus hominem. Deinde, cum patriam ſuam *ἀνατολὴν, Orientem* Matth. II appellabant, remotiorem aliquam & ignotam Iudæis terram ſignificarunt: Arabes autem inepte dicturos fuiſſe Hieroſolymitanis, ſe venire *ἀπὸ ἀνατολῶν,* quia Arabia orientalis, Iudæis & nota fuit & finitima. Patrum auctoritati non minores opponimus Chryſoſtomum & Clementem Alexandrinum. Huius verba ſupra ſect. IV attulimus: ille Homil. VII in Matthæum clare dixit, *ἀπὸ Περσίδος ἐλθόντες οἱ Μάγοι, ex Perſide venerunt Magi.* Suffragatur Theodorus Tarſenſis epiſcopus, cuius excerpta Photius pa-

triarcha ex codice CCXXIII bibliothecæ ſuæ nobis ſeruauit. *ἐμφανίζεται*, inquit, *ὁ τεχθεὶς Πέρσαις πρὸ τῶν ἄλλων ἐθνῶν ὁ Δεσπότης ἑαυτὸν δεικνύς* *manifeſtatur natus* (Rex Meſſias) *Perſis prius, quam aliis gentibus ſe Dominus oſtendit.* Accidunt Chriſtianorum poetæ veteres. Prudentius Hymno Epiphaniæ

En Perſici ex orbis ſinu,
Sed vnde ſumit ianuam,
Cernunt periti interpretes.
Regale vexillum Magi.

& Iuuencus, maior Prudentio, ex ſæculo Conſtantini, in Matthæi expoſitione metrica:

Gens eſt vlterior, ſurgenti conſcia ſoli,
Aſtrorum ſollers ortusque obitusque notare:
Huius primores nomen tenuere Magorum.
Hinc lecti proceres Solymos per longa viarum
Deueniunt regemque adeunt, orantque doceri.
cetera.

Quis non videt longinquiorem, quam Arabia eſt, deſcribi regionem? & ne dubites Perſas intelligi, mox ſubdidit hunc verſum:

Tunc iubet Herodes Perſas pertendere greſſum.

ſcilicet Bethlehemum verſus. Sed hæc ſatis ſint de patria Magorum: ad inſtituta illorum & profeſſionem explicandam progrediendum eſt.

X. Supra diximus, ſapientes Perſarum fuiſſe, qui Magi adpellabantur: nec tantum philoſophos & ſcrutatores naturæ, ſed rebus ſacris etiam præpoſitos, & quæ cultus diuini erant, curantes. Præter illa, quæ ſupra producta ſunt teſtimonia, etiam Porphy-

phyrium aduocamus, in Vita Pythagoræ ſub initium dicentem, Magos docuiſſe περὶ τὰς τῶν θεῶν ἁγιστείας κ̀ τὰ λοιπὰ τῶν περὶ τὸν βίον ἐπιτηδευμάτων, hoc eſt *diuinum cultum; & moralem philoſophiam.* Laertius procemio, τοὺς Μάγους, περὶ θεραπείας θεῶν διατρίβειν, *Magos deorum cultu occupari.* An vero etiam aſtronomia? vtique. Ideo enim per ſtellam Deus Homo factus ſe ipſis manifeſtauit. Aſtrorum quidem ſcientia, vt inuenta fuit a Chaldæis, ita apud ipſos maxime exercita: de quibus Cicero lib. I. de Diuin. cap. I. *In Aſſyriorum natione Chaldai, non ex artis, ſed ex gentis vocabulo nominati, diuturna obſeruatione ſiderum ſcientiam putantur effeciſſe, vt prædici poſſet, quid cuique eventurum & quo quique fato natus eſſet.* Non autem hæc ars Babyloniæ finibus contineri potuit, vt ne in alias quoque gentes & in vicinos Perſas proferretur. Et propter hoc ipſum ſtudium Deus per ſtellam ſe illis manifeſtauit, cum potuiſſet per angelum aut per vocem de cælo miſſam idem ſignificare. Nam præclare cenſet Chryſoſtomus dicta Homilia VI, in Matth. pag. 68. πάντα ἐκεῖνα ἀφεὶς ὁ θεὸς, διὰ τῶν συνήθων αὐτοὺς καλεῖ σφόδρα συγκαταβαίνων, καὶ δείκνυσιν ἄστρον μέγα καὶ ἐξηλλαγμένον. *Omnes reuelandi modos alios reliquit Deus: per id, quod familiare ipſis & conſuetum erat ſtudium, vocat eos, valde condeſcendens, & oſtendit aſtrum magnum & multo diſcrepans* (a ſtellis ordinariis.)

XI. De Magorum diſciplina dicto loco Porphyrius ac Diogenes dicebant περὶ τὰς τῶν θεῶν ἁγιστείας, ſiue θεραπείας *circa deorum cultum* occupatos

Digitized by Google

eſſe. Vnde in quæſtionem venit, an plures deos coluerint, aut idola habuerint more ceterarum gentium, quibus diuinos deferrent honores & religioſam venerationem. Plurimi cenſent non eximendos eſſe e numero ceterorum idololatrarum, præſertim quod dicuntur *Ignem*, etiam *Solem*, pro numine coluiſſe. Clemens Alexandrinus Protreptico ad gentes p. 43. Περσῶν οἱ Μάγοι τὸ πῦρ τετιμήκασι, καὶ τῶν τὴν Ἀσίαν κατοικούντων πολλοί, *Perſarum Magi ignem coluerunt, & plerique Aſiam incolentes.* Saxea quidem & lignea idola illas gentes non habuiſſe, fatetur Clemens: ſed ex Dione, vetuſto ſcriptore, addit, populos illos, Perſas, Medos, Magos, θεῶν ἀγάλματα μόνα τὸ πῦρ καὶ ὕδωρ νομίζοντας, *Deorum ſimulacra ſola putare ignem & aquam.* Et Herodotus lib. III cap. XVI Πέρσαι θεὸν νομίζουσι εἶναι τὸ πῦρ. *Perſæ Deum ignem eſſe putant.* & Strabo lib. XV p. 503. de Perſis: τιμῶσι καὶ ἥλιον, ὃν καλοῦσι Μίθραν καὶ σελήνην, καὶ ἀφροδίτην, καὶ πῦρ, καὶ γῆν, καὶ ἀνέμους, καὶ ὕδωρ, *colunt etiam Solem, quem Mithram* vocant: *& Lunam, & Venerem, & ignem, & terram, & ventos, & aquam.* Et Iuſtinus lib. I. cap. I: *Solem Perſæ vnum Deum eſſe credunt: & equos eidem Deo ſacratos ferunt.*

XII. Quamquam vero hæc ita tradantur ab iam laudatis, & aliis pluribus ſcriptorum; tamen non deſunt, qui id, ſi non negatum eant, excuſent tamen & Perſas ab idololatria abſoluant. Quartus nunc annus eſt, quum vir clariſſimus Thomas Hyde Hiſtoriam Religionis veterum Perſarum eorumque Magorum Oxonii in lucem edidit, cuius eruditiſſimi libri

Digitized by Google

bri cap. I. VI & XXI præcipue id agit, vt Perſas a primis diſperſatum gentium temporibus vnum numen coluiſſe, & a multitudine deorum ac idololatria abhorruiſſe, ex ipſis Perſarum antiquiſſimis libris & monumentis euincat: ideoque cap. XXXI quæſtionem proponit, cur Deus Perſarum plus lucis, quam ethnicis aliis, concefferit, vt a multitudine & abſurditate deorum ſibi cauerent, eaque ſentirent crederentque, quæ proprius ad religionem Iſraelitarum accederent. Reſpondet autem, ſoli quidem Deo notam eſſe huius rei cauſſam: ſi quid tamen pie coniicere liceat, reuelationem nati LIBERATORIS hominum huic genti præ cunctis ceteris mirabiliter factam, aliquid in Perſis ſignificare, quod ſecus habuerit in ceteris populis ab Iudæorum religione diſſeparatis. Sane non Græcos nec Romanos illo tempore Deus dignatus fuit, vt natum mundi SERVATOREM illis adnuntiaret: quod quia ſolis Perſis contigit, vtique aliquid in illis ſingulare videtur oſtendere. Quod vero de igne, de Sole ſiue Mithra, aut de aliis etiam elementis ex variis ſcriptoribus obiectum fuit; id non de ſummo & diuino cultu, quem vni & æterno & inuiſibili Deo tribuant, ſed de reuerentia minore, quæ creatis etiam rebus conferri poſſit, tam ex libris veterum Perſarum, quam ſermone hodiernorum, qui Magorum religionem in Oriente tueantur, interpretatus eſt: ſiue, vt ipſe loquitur cap. I, inter πυροδουλείαν & πυρολατρείαν diſtinguit: illam in Perſis obtinere concedens; hanc pernegans in illis inueniri. Elementa autem, ignem præſertim, illorum

præ-

præſtantiſſimum, reuereri & honorare ideo, quia ex ipſis ſint omnia, & de Deo clariſſime teſtentur.

XIII. Non integer annus exierat, a quo ex Oxonienſi theatro hæc Perſicæ religionis editio prodierat, quum Romæ Philippus a Turre, Foroiulienſis, Monumenta veteris Antii, librum eruditiſſimum, eodem anno CIϽ IϽCC vulgaret, in cuius parte altera, quæ de Mithra agit, cap. II, e conſpectu Amſtelodamenſis Diarii certior factus de nouo opere eiusque auctore, maximopere contendit, qui vulgarem & adhuc creditam de Perſarum cultu opinionem tueatur. *Neſcio,* inquit, *quid vir doctus* (Th. Hyde) *ſit prolaturus: at ſcio equidem diſertis verbis Heſychium tradidiſſe, Mithram Deum habitum apud Perſas, & profecto non vulgarem, ſed ſupremum & maximum, idque non apud vulgus tantummodo & recenti religione, ſed antiquisſimo tempore, quo ſcilicet Zoroaſter, primus Perſarum magiſter, Mithræ cultum induxit.* Auctoritate vtitur præter Heſychii, cui Μίθρης ὁ πρῶτος ἐν Πέρσαις θεὸς, *Mithres eſt primus in Perſis Deus:* etiam Porphyrii, Iuſtini, Herodoti, Chryſoſtomi, Curtii, & Origenis, qui omnes vno ore tradant, ignem a Perſis pro Deo cultum fuiſſe, quidam etiam Mithram in diuino illo cenſu ponant.

XIV. Non difficile fuit clariſſimo Hyde huiusmodi obiectiones præuidere, & ſupra adduximus, quid ad ipſam rem reſponderit. Auctoritati autem, qua nititur nobiliſſimus a Turre, generatim reſpondet, Græcos Latinosque minus cognitum habuiſſe ſtatum religionis Perſicæ, circa quem ipſis Perſarum ſcriptoribus fides maior, quam peregrinis longisſimeque re-

motis

Digitized by Google

motis habenda ſit. Præcipuam partem ipſorum religionis in pyræis eſſe, id eſt, templis, quibus ignis perpetuus ſeruetur, qui ſacer ſit, nec a vulgari igne, ſi caſu exſtinguatur, poſſit reparari. Ignem autem illum pro Deo coli, ſtrenue ipſos pernegare.

XV. Non noſtrum eſt inter hos claros viros tantas lites componere: nec vero negamus puriores ceteris paganis Perſas fuiſſe, temperantes ſibi a multitudine deorum, quibus Græcia & Roma abundabant; etiam a cultu ſimulacrorum ex ligno, ſaxo aut metallo factorum. Potius miramur cæleſtem benignitatem, qua Magi Perſici ex gentibus primi diuinitus adducti ſunt ad Chriſtum, eumque non minus fide, quam muneribus oblatis venerati ſunt. Ad alia quæ reſtant de Magis illorumque ſidere dicenda proceſſum facimus.

XVI. Nouitate ſtellæ inductos Magos, vt tam longum iter, quærendi noui regis cauſſa, ingrederentur, diuino Evangeliſtæ teſtimonio indubitatum eſt. Qualis autem fuerit ſtella, quæ ſignificauerit, tantam ſalutem humano generi adlatam eſſe; non facile quisquam mortalium definiet. Impietas eſt, ordinariam fuiſſe ſtellam dicere, aut talem inter ſe poſitionem aſtrorum, quam genethliacorum ſuperſtitio obſeruat: quippe nihil in natura eſt, quod tantum myſterium, angelis etiam, antequam fieret, abſconditum, ſignificaret. Extra ordinem ſtellarum in cœlo fulgentium hoc Magorum ſidus reputandum eſſe Chryſoſtomus Homil. VI, & Patres ceteri eccleſiæ adnotauerunt. Illi ὐδὲ ἀςὴρ, ἀλλὰ δύναμίς τις ἀόρατος εἰς ταύ-

την

Digitized by Google

τὴν μετασχηματισθεῖσαν τὴν ὄψιν, non ſtella (fuit) *ſed virtus aliqua inuiſibilis in hanc figuram transformata.* Et Tarſenſis Theodorus prædicto loco: *non ſtella vna ex multis, ſed δύναμις θειοτέρα, diuinior poteſtas* ſiue *virtus.* Vnde eſt, quod angelum quidam ſub hac forma latuiſſe crediderunt. Scriptura ſacra *ἀστέρα, ſtellam* vocat, non angelum: ſtellam ergo putamus fuiſſe, ſed novam, inuſitatam, & extraordinariam.

XVII. De tempore exortæ ſtellæ non vna ſcriptorum eſt ſententia. Nicephorus Calliſtus lib. I cap. XIII, neſcio ex qua traditione, ſcripſit, ſtellam biennio ante, quam naſceretur Chriſtus, exortam eſſe. Quod vero nemo antiquiorum biennii huius antegreſſi mentionem habet, vt fictam rem dimittimus ac præterimus. Alii cum ipſo partu Virginis hanc ortam ſtellam eſſe recte quidem iudicant; in eo autem, quod exacto inde biennio Magi in Iudæam adueniſſent, ſecus nobis, quam res eſt, ſentire videntur. Hos inter Epiphanius eſt, qui Hæreſi XXX cap. XXIX dicit *μετὰ δύο ἐτῶν χρόνον, poſt tempus biennii* a natiuitate veniſſe ad Herodem, eique hoc tempus definiiſſe, qui id circo bimulos & teneriores interfecerit. Idem tradit Hæreſi LI cap. IX. Non autem ex tarditate ſupplicii pro aduentus Magorum tarditate certa concluſio elicitur, quum varia interuenire potuerint, quæ tyranni iracundiam morarentur, qui ſæpe accuſatus crudelitatis apud Auguſtum fuit, ſe vero calliditate ſemper liberauit, (cuius fortaſſis etiam illa prorogatio infanticidii fuit) & eloquentia Damaſceni Nicolai. M. Antonius Sabellicus tomo

II En-

Digitized by Google

11 Enneade VII lib. I de hac mora ita tradit: *Decretum erat regi, quod a Magis fuiſſet deceptus, omnes pueros nuperrime ortos perdere. Ceterum Ariſtobulo & Alexandro filiis eum ſæuitia apud Auguſtum accuſantibus, tamdiu deſtinatum ſcelus diſtulit, quoad ſit Roma reuerſus. Tum primum omnium, a quibus fuerat oppugnatus, & cum quibus in gratiam parum ſincera fide redierat, in Cæſarea laqueo necauit. Inde ad puerorum cædem conuerſus, qui eo fuerant biennio nati (tantum fere temporis ab Chriſti ortu intercesſerat) ex compoſito trucidat homo ad ſæuitiam natus.* Sunt quidem in hiſce Sabellici verbis, quæ caſtigationem mereantur, nec chronologiam eius, nec ordinem tragœdiæ, in filiis Herodis actæ, per omnia approbamus: nec vero res ipſa videtur eſſe de nihilo, quum Ioſephus vincula & cædem Antipatri, maximi natu filii, proxime ante vltimum Herodis morbum lib. XVII cap. VII, VIII & IX, deſcripſerit.

XVIII. Vnde autem ſciuerint hi Magi, ſtellam nouam, quam in Perſia viderant, Regis Iudæorum portendere natiuitatem, difficilior quæſtio eſt, quam vt priſci recentesque interpretes conuenire in illa potuerint. Inde vt ſe expedirent, multi ſanctorum Patrum crediderunt, ſtellam præcesſiſſe Magos per totum iter, nec prius diſparuiſſe, quam appropinquaſſent Hieroſolymis. Sic Chryſoſtomus Homil. VI. in Matth. p. 66. ἕως Παλαιστίνης ὁδὸν ἐφαίνετο (ὁ ἀστὴρ) χειραγωγῶν, *vsque ad Palæſtinam apparuit hæc ſtella Magis tanquam dux itineris*: quum vero in vrbem veniſſent, dicit, ſtellam fuiſſe abſconditam: quæ rurſus apparuit, quum Bethlehemum inde proficiſ-

ſiciſcerentur. Et Epiphanius, ſiue quisquis auctor eſt libri de Laudibus B. Virginis p. 299, *Μάγοι ἀπὸ ἀνατολῶν ὑπὸ ἀστέρος φωτεινοῦ καταλαμπόμενοι, καὶ ὁδηγούμενοι, Magi ex oriente a claro ſidere inluſtrati & per viam ducti.* Et pauois interiectis: *ὁ ἀστὴρ ὁ τῶν Μάγων ὁδηγός, ſtella Magorum in via ductor.* Idem auctor dicit ſtellam non prius occultatam fuiſſe, quam Magi fuerint *τὴν πόλιν Ἱερουσαλὴμ καταλαβόντες, urbem Hieroſolymam adſecuti.* Quod ſi ita fuit, vt hi crediderunt, nihil difficultatis propoſita habet quæſtio, quia, præeunte cæleſti duce, aberrare de via haud potuerunt. Quum vero nihil de hoc ductu per totum iter Scriptura ſacra tradat, ſed Magi tantum dixerint: *Vidimus ſtellam eius ἐν ἀνατολῇ in oriente*, non in via; minus probabilis hæc ſententia aliis multis atque etiam nobis videtur, quia præter Scripturæ reuelationem conficta eſt.

XIX. Alii ad Bileami de ſtella ex Iacob proceſſura vaticinationem referunt, quaſi vatis Bileami doctrina per tot ſæcula in Oriente conſeruata fuerit. Sic Hieronymus in Matth. II, 1, *Ad confuſionem Iudæorum, vt natiuitatem Chriſti a gentibus diſcerent, oritur in oriente ſtella: quam futuram Balaami, cuius ſucceſſores erant, vaticinio nouerant. Lege Numerorum librum.* Eadem tradit Baſilius Serm. in Natali Domini, recordatione veteris hiſtoriæ de Balcam, ex ſtella Iudæorum Regem recens natum cognouiſſe. Theodorus quoque Tarſenſis loco ſupradicto tradit, Magos accepiſſe à Chaldæis, ſtellam

ſigni-

Digitized by Google

ſignificaturam eſſe natiuitatem τῦ κοινῦ Σωτῆρος, *Saluatoris omnium:* Chaldæis autem illam prædictionem Baleamum tradidiſſe. Sentiunt quod res eſt, quicumque non ex naturæ ſagacitate, ſed ex diuina reuelatione hoc myſterium deducunt. An vero Perſæ ex Bileami ſchola hoc habuerint, id eſt quod vehementer dubitamus. Non dicam, quam difficile ſit traditionem huiusmodi per tot ſæcula propagari; longe Bileam a Perſis abfuit domicilium habens in Meſopotamia prope Euphratem. Neque is ex Moabitide in patriam reuertit, ſed quum adhuc hæreret peregrinus in illa gente, aut vicina & Moabitis permixta gente Midianitarum orientalium, ab Iſraelitis interfectus fuit: vt Numer. XXXI & Ioſ. XIII eſt relatum. Nullam ergo in Chaldæa inſtituit ſcholam, quæ propagari vsque in Perſas, & per tam longa conſeruari tempora potuerit. Aliam vero rationem, huic non plane diſſimilem, minus vero longinquam, ſequemus tutius, ſi credamus, ex ſchola Danielis, qui in Perſide vivit cum Ciro, ortum eſſe quidquid de futuro Iudæorum, & totius orbis rege Magi Perſarum præcognouerint. Quo illa vetus fama referenda eſt, eſſe in fatis, vt eo tempore ex Iudæis oriturus ſit, qui rerum per terrarum orbem potiretur: quam Suetonius Veſpaſiano cap. IV *veterem & conſtantem opinionem* dicit, quæ *per orientem percrebuiſſet.* Corroborata fuit per alios Iudæos in Babylonica captiuitate, qua diſperſi vsque in Perſidis fines fuerunt, ſaltem Suſianæ. Sed quoquo modo perducti Magi in Iudæam ſunt, diuinus tamen is modus fuit, nec ſine reuelatione aut ſingulari inſtinctu Dei

Digitized by Google

tam longum iter adorandi pueri cauſſa ingreſſuri fuiſſent, & tot pericula & incommoditates viarum toleraturi. Neque mihi videtur ſufficere, quod ex Theodoti excerptis, Clementi Alexandr. adnexis, p. 800. traditur, ſtellam oſtendiſſe inſignem regem, & quidem θεοσεβῶν. Tunc autem Ἰουδαῖοι μόνοι διαβόητοι ἦσαν ἐπὶ θεοσεβείᾳ, *Iudaeos ſolos ſingularis pietatis famam habuiſſe.* Verius Chryſoſtomus ſub initium Homil. VIII, τί οὖν τὸ πεῖσαν αὐτοὺς, *quid ergo illis* (Magis) *perſuaſit, domum & patriam relinquere, & tantam inire viam?* τοῦτο δὲ ἦν ὅ τε ἀστὴρ, καὶ ἡ παρὰ τοῦ Θεοῦ γενομένη τῇ διανοίᾳ αὐτῶν ἔλλαμψις; *Hoc & ſtella fecit, & a Deo donata menti ipſorum illuminatio.*

XX. Longum iter omnes fatentur, qui ex Perſia hos Magos deducunt. Via autem, quam tenuerint per tot regiones profecti, definiri non poteſt, niſi quod ex citeriore progreſſi Perſide, vbi Suſa ſunt, per Babyloniam ipſis proficiſcendum fuit. Vbi autem traiecerint Euphratem, & num aſperiorem Arabiam circuierint, tacente ſacra hiſtoria, nemo explicabit. Viae longitudo ſecundum Ptolemaei numeros, ſi a Suſis, citima Perſarum vrbe, quae memorabilis fuit, ſumatur, eſt XVIII graduum pro longitudinis Suſorum ab Hieroſolymis differentia: ſinguli autem gradus mediae latitudinis harum vrbium circiter XII milliaria noſtra cum dimidio conficiunt: quae ſi cum XVIII multiplicantur, pro diſtantia vtriusque vrbis CCXXV milliaria proueniunt, quantum Magi ſpatium intra menſem, praeſertim dromedariis camelis pro more gentis vſi, emetiri commode potuerunt.

XXI. Magos hos non quidem prima, quae ſincerior

rior erat, ſed ſubſequens antiquitas, quæ iam cœperat in ſuperſtitiones declinare, *reges* fuiſſe credidit. Ambroſius in ſermone XII in die Epiphaniæ, *Illi Magi*, inquit, *tres reges eſſe dicuntur, & tria munera, aurum, tus & myrrham obtulerunt*. Creuit ſuperſtitio ætate poſteriori adeo, vt etiam nomina horum regum, quos crediderant, conficta fuiſſe legamus. Pſeudo Dextri Chronicon anno LXX: *In Arabia Felice, ciuitate Seſſania Adrumentorum, martyrium ſanctorum regum trium Magorum Gaſparis, Balthaſaris & Melchioris, qui Chriſtum adorarunt*. Sed apage nugas & fabulas, quas nec diuina Matthæi hiſtoria, nec priorum ſæculorum eccleſiaſtica traditio agnouit. Fuiſſe ſummos viros, & in aula etiam conſpicuos, vt erant præſtantiſſimi Magorum, facile largimur: reges fuiſſe aut illorum nomina ac numerum innotuiſſe, pernegamus.

XXII. Munera tandem Magorum inſpicienda ſunt, *Aurum, Tus, Myrrham* attulerunt, non tam conſueto ſuæ gentis more, quam ex myſterio, & diuino quodam inſtinctu. Chryſoſtomus Homil. VIII eamdem cauſſam eligendorum munerum & longinquæ profeſſionis ἔλλαμψιν *illuminationem* a Deo ipſorum mentibus infuſam, nominauit. Non autem omnes eodem modo myſterium interpretantur. Ipſe ibidem Chryſoſtomus myrrham æque ac tus demonſtrandæ diuinitati applicat. Ceteri pleriq; ita diſtinguunt, vt auro regiam Infantis dignitatem, ture diuinitatem, myrrha mortalem, quam adſumſit, naturam ſignificauerint. Ita auctor de laudibus Mariæ, qui vulgo Epi-

Digitized by Google

phanius creditur: *obtulerunt munera aurum, tus, myrrham:* χρυσὸν μὲν ὡς βασιλεῖ, λίβανον δὲ ὡς θεῷ καὶ σμύρναν ὡς θνητῷ ἵνα τὸν ἐνταφιασμὸν μηνύσωσιν, *aurum quidem, vt regi, tus, tamquam Deo: myrrham, tamquam mortali, vt ſepulturam eius ſignificarent.* Et Ambroſius lib. I de Fide cap. II *Vnum Deum Magi crediderunt, & aurum, tus & myrrham ſupplices ad Christi cunabula detulerunt: auro Regem fatentes; ſacrificium Dei; myrrha eſt ſepultura.* Prudentius hymno Epiphaniæ,

Regem Deumque adnunciant.
Theſaurus & fragrans odor,
Turis Sabæi: at myrrheus.
Puluis ſepulcrum prædocet.

Sedulius lib. II. Paſchalis carminis v. 95

Aurea naſcenti fuderunt munera Regi,
Tura dedere Deo, myrrham tribuere ſepulcro.

ADDITAMENTA.

I. RErum, quas diſputauimus, chronologiam contexere, res ſummæ difficultatis eſt. Deſunt enim in breui hiſtoria, quæ tempora diſcernant: nec licet ea ingenio ſupplere, quod ita dubitationes augentur magis quam tolluntur.

II. Euſebius, quem Latino conuerſum nobis Hieronymus reliquit, vt XLII Auguſti anno CHRISTVM natum refert, ita anno XLV lanienam Bethlehemiticam; ſequenti Herodis mortem adſignat.

III. Laxior eſt Epiphanius, XLII Auguſti annum componens cum Herodis XXXIII: eiusdem regis anno

XXXV

xxxv fugam in Aegyptum adſcribens: & xxxvii, Herodis mortem.

IV. Recentes chronologi biennio comprehendunt partum Virginis, & fugam in Aegyptum, & lanienam puerorum, & Herodis ipſius mortem. Vide *Scaligeri* & *Vſſerii* rationes. Atque ita breui tempore infanticidio Herodes ſuperfuit, & breuis mora Salvatoris in Aegypto.

V. Mirum videri poteſt, Ioſephum lanienam puerorum ſiluiſſe. Nec vero id dolo putamus factum eſſe, ſed negligentiore rerum perſcrutatione, quia in Herodis rebus, quod ipſe non diffitetur, Nicolaum Damaſcenum, amicum Herodis, ſecutus eſt, cui id ſolemne erat, vt in hiſtoria de Herode, quæ indecora erant, prætermitteret. v. gr. tacet, ſepulcrum Dauidis recluſiſſe: de quo Ioſephus Antiquit. xvi cap. xi, ὁ Νικόλαος, ὁ κατ᾽ αὐτὸν ἱστορικογράφος, οὐ μὴν μέμνηται ὅτι κατῆλθεν, οὐκ εὐπρεπῆ τὴν πρᾶξιν ἐπιστάμενος *Nicolaus hiſtoricus illius temporis non memorauit, quod* (Herodes) *deſcenderit* in ſepulcrum illud) *præter decorum id factum exiſtimans.*

DISSERTATIO XI.

De

GERMANICO CÆSARE TIBERII F. AVGVSTI NEP.

habita, Anno 1704.

GErmaniæ antiquitates ſcrutantibus ipſum nomen *Germanici Cæſaris* inſigne lumen præfert ad res maximas inueniendas, quas Romani in Germania feliciter geſſiſſe referuntur. Fuit quidem id cognomentum Druſo Neroni poſt mortem ſenatus conſulto datum, ſed ea conditione, vt in filios etiam propagaretur, ſiue, vt Dio Caſſius lib. LV poſt principium dixit, Γερμανικὸς ἰῶν παίδων ἐπονομασθεὶς, id eſt, Druſus cum filiis *Germanicus* appellaretur. Mos enim Romanorum fuit, magnis ducibus poſt victoriam cognomen ex devicta gente dare, quemadmodum Africanorum Scipionum, Metellorum Numidici, Macedonici, Cretici; Scipionis Aſiatici; Seruilii Iſaurici exempla documento ſunt. Non autem id primum ex Germanica gente cognomen erat, quod ex Germania victori Druſo poſt fata, & ſuperſtitibus filiis adiectum fuit, ſed antea etiam ob eiusdem generis victorias Octauiano Auguſto tributum in nummis eſt, a decimo conſulatu eius percuſſis, cum hac inſcriptione IMP. CAES. AVGVSTVS GERMAN. Nam eiusdem nummi ex vndecimo & decimo quarto conſulatu præſcriptum habent GERMANIA CAPTA. Nec in Druſorum familia id nomen exſpirauit, ſed Vitellius etiam, quod Germanicianis exercitibus præfectus fuerat, *cognomen Germanici delatum ab vniuerſis*, vt Sueton. cap. IIX tradit, *cupide recepit*: & Domitianus, eodem auctore cap. XIII, *poſt duos triumphos Germanici cognomine adſumto Septembrem menſem & Octobrem ex appellationibus ſuis Germanicum Domitianumque transnominauit.*

II. Non

II. Non autem vlli horum nomen *Germanici* ita proprium fuit, vt ſolitarium etiam ſuum principem in hiſtoriis & proſa oratione deſignet; vti fuit Germanico Cæſaris, Druſi Germanici filio, Caii Cæſaris, qui poſt Tiberium imperauit, patri. Tacitus enim & Suetonius, vt de Græcis taceam, ſimpliciter illum *Germanicum* ſine illo nomine appellant, nec par vbique eſt ratio Claudii Cæſaris & Caii Caligulæ, quamquam ille frater huius Germanici; hic Filius eiusdem eſſet. Ius quidem æquale ex S. C. habebant propter Druſum Germanicum, illius Patrem, huius auum: raro autem admodum obſeruatum in hiſtoriis; ſæpius in nummis, Claudii, inſcripto TI. CLAVD CAESAR AVG. GERM. P. M. P, TR. P. Et Caligulæ nummis, C. CAESAR AVG. GERM. P. M. TR. POT. Et alio eiusdem C. CAESAR AVG. GERMANICVS PON. MAX. TR. POT. S. C.

III. Sed ad Germanicum proprie dictum reuertamur, cuius plenum ex adoptione nomen itidem ex nummis repetendum eſt, in quibus dicitur GERMANICVS CAESAR TI. AVG. F. DIV. AVG. N. hoc eſt, *Tiberii Filius Auguſti Diui Nepos*. Illud vero memorabile, quod huius principis viuentis nulla numiſmata reperiantur. Quæ enim nomen eius referunt, vel ſub Claudio fratre cuſa ſunt, vel ſub filio Caligula, & poſt ea ſub aliis etiam repetita. quod etiam peritiſſimus antiquitatis Io. Vaillantius in Nummis Imperatorum obſeruauit. De adoleſcentia eius ante adoptionem parum conſtat ex hiſtoriis. Neronis Druſi, qui priuignus Auguſti Cæſaris erat, filium fuiſſe, cum alii, tum Suetonius principio Caligulæ teſtis eſt probatus. Mater fuit Antonia minor, Marci Antonii & Octaviæ,

Digitized by Google

Auguſti ſororis, filia. Sic genere Auguſto coniunctus, quia ſororis nepos erat: & quod etiam priuigni filius, non dubitatur de recta educatione, quoniam indoles eius præſtantiſſima *ſub fauſtis penetralibus* Auguſti Cæſaris, vt Horatius de patre dixit lib. IV Ode IV, enutrita fuit. Natus erat viceſimo octavo Auguſti anno, & cum Auguſtus moreretur, ipſe quoque annum viceſimum octauum agebat. Hæc colliguntur ex Suetonii dicto loco, vbi annum trigeſimum quartum egiſſe Germanicum dicit, cum in Syria exſtingueretur. Annus autem mortis ex Tacito & Dione non ignotus eſt.

IV. Tantam autem ſpem in ingenio eius Auguſtus habebat, vt, cum Caius & Lucius Cæſares, quos adoptauerat Auguſtus, intra triennium periiſſent, Auguſtus dubitauerit, huncne potius, an Tiberium ſibi deſtinaret ſucceſſorem. Et hoc quoque Suetonius Caligula cap. IV docet. *Suarum*, inquit, *virtutum fructum* (Germanicus) *uberrimum tulit, ſic probatus & dilectus a ſuis, vt Auguſtus diu cunctatus, an ſibi ſucceſſorem deſtinaret, adoptandum Tiberio dederit.* Hoc vero ita eſt capiendum, vt Auguſtus quidem, Liuiæ vxori obnoxius, eius filium Tiberium tandem adoptaret, ſed ea conditione, vt Tiberius prius Germanicum adoptaret, quamquam Tiberio iam filius natus ex coniuge Vipſania Agrippina erat, qui Druſus fuit nominatus. Suetonius Tiberio cap. XV *Caio & Lucio intra triennium defunctis, adoptatur* (Tiberius) *ſimul cum fratre eorum M. Agrippa; coactus prius ipſe Germanicum, fratris ſui filium, adoptare.* Et hoc eſt,

quod

quod in nummis antea legebamus *Tiberii filius*, *Auguſti nepos*, puta adoptionis lege. Quod vero Tiberius tum filium habuerit, teſtatur Dio lib. LV. p. 557 τὸν Γερμανικὸν οἱ τὸν ἀδελφιδοῦν καίτοι καὶ αὐτῷ υἱὸν ἔχοντι ἐσεποίησε, *Germanicum fratris filium ei*, (Tiberio) *quamquam filium habenti*, (Auguſtus) *adoptandum dedit*. Scilicet diffiſus Tiberii ingenio Auguſtus, omni modo voluit Germanicum etiam ad imperium admoueri. Adoptionis annus a Velleio Paterculo proditus eſt lib. II cap. CIII *Aelio Cato & Sentio Saturnino conſulibus*. Ex quo apparet duodeuiginti annos natum Germanicum fuiſſe, cum a Tiberio adoptaretur, Druſus autem Tiberii tum puer erat. Minorem enim fuiſſe Germanico, ex Taciti Annali II. cap. XLIII conſtat, vbi Tiberius Germanicum periculis & inſidiis obiecturus, in ſenatu dixit, *nec poſſe motum Orientem niſi Germanici ſapientia componi. nam ſuam ætatem vergere, Druſi nondum ſatis adoleuiſſe*.

V. De genere hactenus & adoptione: proximum, vt ingenium eius & ſtudia cognoſcamus. Et in his facem præfert Sueton. Cal. CIII præter corporis formam egregiam, *ingenium* ei tribuens *in vtroque eloquentiæ doctrinæque genere præcellens*. Quodnam ſit illud *vtrumque genus* requiris? an eloquentiæ & doctrinæ? non placet, quia ita coniunguntur, vt ſeparati & diuerſa fieri non poſſint. An ſolutæ eloquentiæ & ligatæ? hoc propius videri poſſit ad fidem eſſe. Sed verior Auguſtini Babelonii interpretatio, qui *vtrumque genus* eloquen-

Digitized by Google

tiæ & doctrinæ ad Græcas Latinasque litteras refert: quod vtrumque etiam Suetonius confirmauit, dum ibidem dicit *oraſſe cauſſas triumphalem*, quod Latinam oſtendit eloquentiam; &, *inter cetera ſtudiorum monumenta reliquiſſe & comœdias Græcas*. Neque hæc ſola illius ſtudia fuiſſe credendum eſt; ſed pro ingenii præſtantia & Romanorum conſuetudine philoſophiam etiam complexus, necnon iuris Romani ſcientiam, quibus ſtudiorum generibus ita erudiebatur Romanorum iuuentus, vt primas partes eloquentiæ darent pro maximo illius vſu, quem iis temporibus non Romæ modo, ſed in prouinciis & ipſis caſtris habuit: ſecundæ partes iuris ciuilis erant; tertiæ, philoſophiæ; quem ordinem ſcientiarum in Seruii Sulpicii, conſultorum iuris ſuo tempore principis, exemplo Tullius docet de Clar. Orat. cap. XLI. Hæc primaria Romanorum erant ſtudia. Alia, quibus hæc adiuuantur vel præparantur, in quibus & hiſtoria eſt, iam breuitatis cauſſa non attingimus.

VI. Ingenii quoque elegantiam poetice, principe viro non indignum ſtudium, qua cumprimis Germanicus Cæſar excelluit, commonſtrat: cui propterea Ouidius non ſolum Faſtorum libros dedicauit, ſed primam etiam libri ſecundi ex Ponto epiſtolarum ad ipſum miſit; Poeſeos autem facultatem lib. IV epiſt. VIII in ipſo his verſibus laudauit:

Si quid adhuc viui, Cæſar Germanice, noſtro
Reſtat in ingenio, ſeruiet omne tibi.
Non potes officium vatis contemnere, vates:
Iudicio pretium res habet iſta tuo.

Quod

Digitized by Google

Quod niſi te nomen tantum ad maiora vocaſſet,
Gloria Pieridum ſumma futurus eras,
Sed dare materiam nobis, quam carmina mauis:
Nec tamen ex toto deſerere illa potes.

Habet enim poeſis hoc proprium, vt non tantum exemplis & ſententiis illuſtriſſimis doceat, ſed ſuauitate ſua quoque ita ſui cultores adficiat, vt, ſi vere illam guſtauerint, non poſſint, quantiscumque etiam rebus admoti, totam deſerere, aut animo in illam fieri alieno.

VII. An vero etiam translatio illa Arateorum, quæ exſtat, & Cæſaris Germanici nomen præfert, huius noſtri ſit Germanici, quæſtio eſt inter eruditisſimos viros agitata. Aiunt Ioſephus Scaliger ad Manilii librum I. v. 15, Caſpar Barthius Aducrſar. lib. I. cap. VIII: Hugo Grotius in notis ad Aratea: Olaus Borrichius de Poetis Diſſertationibus. Mouet hos conſenſio librorum, qui *Germanici* nomen præſcriptum habent, nec enim, vt ſupra oſtendimus, illorum qui hoc cognomine vſi ſunt, facile aliquis ſimpliciter Germanicus appellatus reperitur. Accedit nitor ac elegantia ipſius carminis, quantum translatione ex Græco fieri poteſt, non indigna Auguſti æuo, neque Germanici ingenio. Contra vir doctisſimus Ianus Rutgerſius lib. II. Var. Lect. cap. IX totus in eo eſt, vt Latinam hanc carminis Aratei interpretationem Germanico, Tiberii adoptiuo filio, abiudicatam ad Domitianum Veſpaſiani filium, qui & ipſe *Germanici* cognomen amauit, referendum eſſe cenſeat. Argumento nititur haud contemnendo, in proœmio principem, qui pacem tueatur, ſalutari, quem auctor

geni-

genitorem vocet, ſeque eius *natum*, quod de Auguſto intelligi nequeat, cuius nepos adoptione Germanicus fuerit, non filius. Nec ad Tiberium referri poſſe, quia auctor id carmen *primitias ſtudiorum* vocet, quod cum induſtria Germanici minime conueniat, qui duodetriginta annos natus erat, cum Auguſto Tiberius ſuccederet. Sed quid prohibet ipſos verſus relegere, ex quibus hæ rationes depromptæ ſunt?

Ab Ioue principium magno deduxit Aratus
Carminis; at nobis genitor tu maximus auctor:
Te veneror, tibi ſacra fero, doctique laboris
Primitias, probat ipſe Deum rectorque ſatorque.
Quantum etenim poſſent anni certiſſima ſigna,
Qua Sol ardentem Cancrum rapidiſſimus ambit,
Diuerſasque ſecat metas gelidi Capricorni,
Quaue Aries & Libra æquant diuortia lucis.
Si non parta quies, te præſide, puppibus æquor,
Cultorique daret terras, procul arma ſilerent.

Et interiectis paucis:

Hæc ego dum lætis conor prædicere Muſis,
Pax tua, tuque adſis nato, numenque ſecundes.

Immo addit laudatus Rutgerſius in eodem Phænomen in libro ſub finem ferme auctorem de Auguſto loqui tamquam vita iam defuncto:

Hic, Auguſte, tuum genitali corpore numen
Attonitas inter gentes, patriamque pauentum
In cælum tulit & maternis reddidit aſtris.

VIII. Poſtquam ſic demonſtrauit, neque Auguſto convenire, neque Tiberio, quæ auctor de ſuo principe loquatur; alium Germanicum auctorem quærit,

Digitized by Google

iem in Domitiano inuenire, ſibi firmiter perſuadet. uius enim pater Veſpaſianus, domita Iudæorum ente, æque pacatum orbem, vt antea Auguſtus rebat: & Domitianus Germanici quoque nomen ffectauit, vt Sueton. cap. XIII refert: & Quintilias lib. x cap. I *Germanicum auguſtum* appellat, & artialis ſæpe ſimpliciter *Germanicum*, lib. v epiammate II & XX, lib. VII epig. LX, lib. IIX epig. IV, & VI, ceteris. Eundem etiam Domitianum poeticæ peram dediſſe ex Quintiliani dicto loco probat, vbi *aximum poetarum* vocat, quod tamen adulatione on caret: etiam ex Val. Flacco, qui lib. I. verſ. 12. eſpaſianum alloquitur

——— ——— verſam proles tua panget Idumen,
(Namque poteſt) Solymo nigrantem pulvere fratrem
Spargentemque faces, & in omni turre furentem.

IX. Sic bene rationes de Domitiano conſtarent, ſi de ſtudiis eius, ſaltem poſtquam Cæſar factus eſt Auguſti filius, dubitare liceat. Tacitus enim de o refert lib. IV Hiſt. cap. II, quum nomen ſedeme Cæſaris accepiſſet, non honeſtis ſtudiis, *ſed ſtuis & adulteriis filium principis egiſſe.* Et Agrico- vita cap. VII, *ex paterna fortuna tantum vſurſſe licentiam.* Quid? quod extremo illo, quem kimus, libro quarto *ſtudium litterarum & amorem rminum ſimulaſſe* dicit: quod Suetonius confirmat ita eius cap. II. *Simulauit*, inquit, *& ipſe mire deſtiam: inprimisque poeticæ ſtudium, tam inſuen antea ſibi, quam poſtea ſpretum & abiectum.*

Ita-

Itaque non omnino fruſtra ſunt, qui de Domitiano Arateorum auctore dubitant. Certior poeſis Germanici prioris, de quo non poſſumus nobis temperare, quin ſupra ex Ouidio recitatis eiusdem poetæ teſtimonium aliud ex procemio Faſtorum libri I adiiciamus. Germanico enim illos Faſtos dedicatos eſſe ſupra diximus. Vtrumque autem & proſæ & vorſæ orationis facultatem in ipſo ita laudat;

Quæ ſit enim culti facundia ſenſimus oris,
Ciuica pro trepidis quum tulit arma reis.
Scimus &, ad noſtras quum ſe tulit impetus artes,
Ingenii currant flumina quanta tui.

Non decidimus controuerſiam, quamquam in Rutgerſii partem propendemus, moti alia viri ſummi Ger. Io. Voſſii auctoritate, qui de Poetis Latinis libro in Domitiano dicit, *Arateam translationem Domitiani eſſe vix dubitandum, qui Germanici nomen a victa gente meruit.* Sed ex hoc ipſo nomine nouum nobis dubium oboritur. Carmen enim ſcriptum viuo parente, ſed antequam ipſe rerum potiretur, non vſus eſt Germanici nomine, vti ex nummis demonſtrari poteſt. Per ſex enim vel ſeptem conſulatus inſcribuntur hoc modo, CAESAR. AVG. F. DOMITIANVS COS. II (aut maiore numero) PRINCEPS IVVENTVTIS. Sic etenim in ſeptem prioribus conſulatibus reperimus.

X. A ſtudiis ad mores & virtutes Germanici admirandas progredimur, quia nexum cum litterarum diſciplinis habent; &, ſi non omnes, ex magna tamen parte ab illis ortum atque incrementum ſuum habuiſſe non dubitamus. Litterarum enim ſtudia emol-

emolliunt mores, virtutes accendunt, alunt, augent & conſeruant. *Virtutes* intelligimus cum priſcis ſcriptoribus, quantas homo natura ſua & ſanæ rationis lumine comparare ſibi poteſt, quæ etiam in *εὐνομία* ſeu cum lege naturæ, quæ & ipſa a Deo eſt, conuenientia conſiſtunt. Nam & alieni quidem a diuinioribus ſacris *τὰ τοῦ νόμου* faciunt, & honeſtatis amore delectantur, licet eo, quo alii, auxilio cæleſti & maiore inſtructi non perueniant. Suetonius Calig. cap. III *Omnes Germanici corporis animique virtutes, & quantus nemini cuiquam, contigiſſe ſatis conſtat, formam & fortitudinem egregiam: ingenium in vtroque eloquentiæ doctrinæque genere præcellens: beneuolentiam ſingularem: conciliandæque hominum gratiæ ac promerendi amoris mirum & efficax ſtudium.* Et Ioſephus lib. XVIII cap. VIII C. Cæſarem, ait, gratioſum apud populum fuiſſe, antequam ad imperium perueniret, *κατὰ τὴν Γερμανικοῦ πατρὸς ἀρετὴν, propter patris Germanici virtutem.* Maxime autem in eo laudat *εὐςάθειαν τρόπου καὶ δεξιότητα τοῦ ὁμιλεῖν, morum modeſtiam & comitatem conuerſandi,* qua *ἀνεπαχθῶς, ſine offenſa* vixerit cum omnibus. Hæ ſunt homileticæ illæ virtutes, quæ ſingularem prudentiam & moderationem requirunt: aliquid etiam ex natura & ingenio accipiunt. Quod etiam Dio Caſſius lib. LVII de ipſo iudicauit, *κάλλιςος μὲν,* dicens, *τὸ σῶμα, ἄριςος δὲ τὴν ψυχὴν ἔφυ fuit* (Germanicus) *& corporis forma præſtantiſſimus, & animi bonis natura optimus,* quia *ἔφυ,* talis *natus erat.* Vtique enim natura multum ad conformationem morum confert, qui ſanguinis aliorumque

que

Digitized by Google

que humorum conditionem ac qualitatem primo impetu ſequuntur, &, ſi illorum bona temperies a natura eſt, minus in vitia, quam alii, propendent: quod *bonitatem naturæ* Tacitus in Agricola cap. IV dixit. *Arcebat eum*, inquit, *ab illecebris peccantium præter ipſius bonam integramque naturam, quod ſtatim paruus ſedem ac magiſtram ſtudiorum Maſſiliam habuerit.* Quibus duo ad virtutis generationem requirit, temperamentum bene mixtum & deinde inſtitutionem, præſertim eo in loco factam, vbi minus exemplis animus ad peccandum inuitetur. Neutrum defuit noſtro Germanico, in quo præter naturam, Auguſti Cæſaris diſciplina & contubernium fructus tulit egregios. Nam excelſo loco natus παιδείᾳ, vt idem Dio tradit, id conſecutus eſt, vt πρᾳότατός τε καὶ σωφρονέστατος *mitiſſimus & modeſtiſſimus* fieret, & tamen in bello etiam fortiſſimus.

XI. Has laudes de ipſo congeſſimus, auctoribus iis, qui longe poſt ipſius ætatem ſcripſerunt, nihilque dederunt gratiæ illius, & nihil quoque ab ipſo & poſteris eius ſperauerunt. Laudauit Tiberium Velleius, Domitianum Martialis, ſed vterque viuentem, & a quibus ſperabant commoda & adulationis mercedem. Ex quibus apparet, quantum fidei habendum eidem Paterculo ſit, cum lib. II cap. CXXV Germanicum pleraque *ignaue* dixit egiſſe. Portenti inſtar eſt & contra omnium fidem ac conſenſionem, tanto duci ignauiam obiectare, qui fortiſſime non minus quam prudentiſſime ſua egit omnia: ideoque vir ſummo ingenio Io. Henr. Bœclerus ſublata litte-

Digitized by Google

ra cenſebat *gnaue* legendum eſſe, quod quidem cum rebus Germanici bene conuenit, non autem cum ceteris verbis & contextu Paterculi. Non ergo dubitamus ita ſcripſiſſe Velleium, vt Tiberio ſuo placeret, qui inuidebat Germanici virtutibus. Res illius geſtæ, quas iam adgreſſuri ſumus, animi magnitudinem eius declarabunt potius, quam timiditatem aut ignauiam.

XII. Tacitus annal. I cap. XXXIII conſentit Dioni, Ioſepho, Tranquillo; *ciuile*, inquit, *ingenium, mira comitas*, puta in Germanico. Dio lib. LVII pag. 615 exemplo illuſtrat clariſſimo, quod nihil adfuerit ei πρὸς τὸν Δροῦσον ἐπίφθονον, *nulla in Druſum fratrem* (qui naturalis filius Tiberii erat) *inuidia vel æmulatio*. Quod ſane difficile inter tantos iuuentutis principes, ætate diſpares & conditione, quod maiora reſtant non prætereunda, fides, iuſtitia, conſtantia. Auguſto mortuo, plures exercitus recuſabant Tiberium, exoptabant ſibi Germanicum imperatorem, quod ita ad Rhenum excubantes vehementisſime vrgebant, vt & vi illum cogere tentarent. Suetonius Tiberio cap. XXV *Germaniciani quidem etiam principem* (Tiberium) *detrectabant, non a ſe datum: ſummaque vi Germanicum, qui tum iis praeerat, ad capeſſendam rempublicam perurgebant, quamquam obſirmate reſiſtentem.* Et Caligulæ Vita cap. IV *Legiones uniuerſas Tiberium pertinaciſſime recuſantes, & ſibi* (Germanico) *ſummam reipublicæ deferentes incertum conſtantia an pietate maiori compeſcuit.* Tacitus lib. I cap. XXXV *clami-*

Digitized by Google

taſſe dicit, *moriturum ſe potius quam fidem exuere.* Casſius dicto loco tradidit, non ſemel, ſed πολλάκις, *ſæpe* oblatum ipſi imperium eſſe. Miranda igitur ſumma eius fides ac continentia, quum, quod alii vi & armis adfectant ac ſibi rapiunt, hic toties oblatum recuſauit. In quo poſtea ſui ſimilem Verginium Rufum habuit, de quo Plinius lib. II epiſt. I & lib. VI epiſt. X conſulatur. Nec milites tantum hunc ſibi imperatorem popoſcerunt, ſed togati etiam idem ſentiebant, idem optabant: Germanicus autem (Taciti verba ſunt cap. XXXIV) *quanto ſummæ ſpei propior, tanto impenſius pro Tiberio niti* (cœpit.)

XIII. Res eius præclarisſime geſtas nunc conſiderare adgrediemur: quarum aliæ Auguſto geſtæ ſunt ſuperſtite, aliæ dominante Tiberio. Hic ex Germanico bello, vbi pax confiebat ſine prœlio, ſolo terrore, in Dalmatiam profectus, vt & ibi res turbatas pacaret, viſus Auguſto eſt trahere bellum, quo diutius cum imperio eſſet. Idcirco ſubmiſit ex quæſtura Germanicum cum nouis copiis, qui hoſtes caſtra oppugnantes reiecit, Macæos, Dalmaticam gentem, ſubegit. Hæc Dio lib. LV pag. 569 & 570. Inſequente anno iterum Tiberius cum Germanico in Dalmatas miſſus, ille Anderium prope Salonas; hic Ardubam, munitiſſimum caſtellum, expugnauit. Quibus amisſis hoſtes ſe dediderunt, & pacem impetrarunt. Qua victoria, quam Germanicus ipſe Auguſto primus celerrimo itinere nunciauit, imperatorium nomen, tam Auguſto quam Tiberio auctum fuit, & triumphus decretus: Germanico νικηθήρια

τιμαὶ,

τιμαὶ, *ſigna triumphalia*, quod idem Dio lib. LV pag. 582 refert. Proximo anno cum Tiberio profectus εἰς Κελτικὴν *in Celticam*, quæ hoc loco non Gallia eſt (hæc enim dudum parebat Romanis) ſed Germania, quia Germani etiam ſunt Celticæ originis; &, vaſtatis aliquot gentibus, ſine prœlio vicerunt, quod barbari præ metu ad interiora refugerant. Cum Romam reuertiſſet Germanicus, conſul factus eſt, Auguſto commendante, tametſi præturam nondum geſſerat. Collega eius C. Capito: ſed ὑπερεδίκησε Germanicus, & ſuperiores partes tenuit, quod eodem libro Dio adnotauit. Morti vicinus Auguſtus in Galliam Germaniamque ablegauerat, vt his regionibus præeſſet, ibi cenſum ageret: cui dum intentus eſt, nuntium accepit, exceſſiſſe Auguſtum, & eodem tempore rebellare exercitum inferioris Germaniæ, & nec legatum audire, nec tribunos; centuriones autem interfeciſſe. Quo celerrime, vt motum ſedaret, nec ſine periculo ſuo profectus eſt. Tacitus annali I cap. XXXI *duo apud ripam Rheni exercitus erant. cui nomen ſuperiori, ſub C. Silio legato; inferiorem A. Cæcina curabat: regimen ſummæ rei penes Germanicum, agendo Galliarum cenſui tum intentum.*

XIV. Germanicus ſeditioſas legiones prudentia ſingulari ſedat atque eloquentia tranquillat, luſtrat exercitum, centuriatum agit, & novos in interfectorum locum ſubſtituit, & impetum ex ſeditione in hoſtes vertit, Auguſti morte & militum diſcordia ferociores factos. Primum in Marſos monit, eosque improuiſo opprimit, & quinquaginta millium ſpa-

tium ferro flammisque vaſtat. Exciuit ea cædes Bructeros, Tubantes, Vſipetes, qui ſaltus, per quos regreſſus Romanis erat, inſederunt. Germanicus vero, quum inſidias ſenſit, ſuos exhortatus, voce magna, *hoc illud tempus oblitterandæ ſeditionis*, clamitabat; *pergerent, properarent, culpam in decus verterent.* Quibus verbis tamquam aculeo ſtimulavit militum animos, vt in hoſtes ruerent, eosque cæderent, reliquosque fugarent profligarentque longiſſime. Quibus Romæ auditis triumphus Germanico decretus manente bello, quod non facile vlli imperatorum vmquam contigerat. Hæc Tacitus lib. I cap. XLII ſeq. & cap. L, LII, LV.

XV. Sed plus gloriæ fatis deſtinatum Germanico fuit. Nondum enim maturo anno, hoc eſt veris initio, in Cattos exercitum eduxit, & per veſtigia paterna ſuper Taunum montem legiones rapit, &, Atrana fluuio traiecto, Mattium, caput Cattorum, capit & incendit. Fuerat animus Cheruſcis iuuare Cattos, ſed exterruit Cæcina, legatus Germanici, huc illuc ferens arma: & Marſos, congredi auſos, proſpero prœlio cohibuit. Hinc varie flexum agmen, & pluribus locis hoſtes cædens, ad fines Bructerorum venit, & ad ſaltum Teutoburgienſem, vbi ſexto a Varj clade anno oſſa inſepultarum legionum inuenit, eaque, pietatis adfectu motus, tumulo cæſpite exſtructo condidit. Arminius princeps Germanorum ad interiora recedens inſequentem Cæcinam circumuenit quidem, & multa damna Romanis intulit, qui vero virtutis ſuæ & ducis Germanici memores, ingenti ſtrage edita, perruperunt,

& in

Digitized by Google

k in fugam coniecerunt Arminium. Hæc Tacitus
odem libro primo a cap. LV ad LXI, LXV, LXVIII.

XVI. Tertio anno, quamuis iam ſciret, ſe a Ti-
erio reuocari ab adſuetis legionibus, quod virtu-
em eius, & qui illam comitabatur, populi fauo-
em metueret; maximam & mirandam in Germanos
xpeditionem, quo tropæa ſua conſummaret, ſuſce-
it. Nam ex Batauorum inſula in Oceanum vectus
giones ad Amiſiam expoſuit, iisque Viſurgim tra-
ectis, vicit glorioſe, tropæa erexit, reduxitque ſu-
s Oceano ad Rhenum in priora caſtra. Magnum
oc argumentum poetis & declamatoribus, quod
eneca pater ſuaſoria prima cum Alexandri M. na-
igatione comparat, & fragmento Pedonis Albino-
ani, quod ipſe nobis ſeruauit, mirifice illuſtrat.
emo, inquit, *tanto ſpiritu dicere, quanto Pedo,*
ui nauigante Germanico dixit,

Iampridem poſt terga diem ſolemque relictum,
Iampridem notis extorres finibus orbis
Per non conceſſas audaces ire tenebras,
Heſperii metas extremaque litora mundi.
Nunc illum, pigris immania monſtra ſub vndis
Qui ferat, Oceanum, qui ſæuas vndique priſtes
Aequoreosque canes ratibus conſurgere prenſis,
cetera.

auigauerat & Iulius Oceanum, ſed anguſtum aut
tius fretum Oceani Britannicum: parauerat viam
ter Germanici Druſiana foſſa, Salam faciens na-
gabilem; ſed non longe ille progreſſus: filius au-
n in vaſtum ſe mare, quem Oceanum Germani-
m vocamus, ſe commiſit, & feliciter nauigauit,

 quam.

Digitized by Google

quamuis in reditu tempeſtate adflictus, ſaluas tamen naues diſperſas recepit. Hæc ex Annali II Taciti cap. VIII ſeq. vſque ad XVIII, quo & cap. XIX ita refert: *miles in loco prælii Tiberium* (cuius auſpiciis gerebatur,) *imperatorem ſalutauit, ſtruxitque aggerem, & in modum tropæorum arma, ſubſcriptis victarum gentium nominibus, impoſuit. haud perinde Germanos vulnera, luctus, excidia, quam ea ſpecies dolore & ira adfecit.* Et cap. XXII *laudatis pro concione victoribus, Cæſar congeriem armorum ſtruit ſuperbo cum titulo:* DEBELLATIS INTER RHENVM ALBIMQVE NATIONIBVS EA MONIMENTA MARTI ET IOVI ET AVGVSTO SACRAVISSE. *De ſe nihil addidit, metu inuidiæ, an ratus conſcientiam facti ſatis eſſe.*

XVII. Sic Germanicus, quamquam id nomen a patre non accepiſſet, tamen virtute ſua meruit, vt *Germanicus* cognominaretur: ſuoque exemplo demonſtrauit, nobilitatem a maioribus acceptam non magnopere laudandam eſſe, niſi ille, qui accepit, ſuis illam virtutibus conſeruet atque augeat. Ipſum hoc nomen vel cognomen acerbum fuit maioribus noſtris, qui æquales Germanico aut non longe inferiores fuerunt, quod victoriam Romanis, ipſis ſuam cladem in memoriam vocabat. Poſterioribus autem & nobis ipſis lætum illud ac iucundum nomen eſt, quia ingenti vtilitate penſatum memorat, ſi quod damnum ex bello fuit. Salutaris enim Romanorum victoria Germanis, qua feritate exuti ad meliorem vitam & compoſitos mores imitatione Romanorum perducti ſunt. Tot enim præſidia & caſtella,

lla, tot in hanc gentem deductæ coloniæ quid a-
id contulerunt, quàm vt barbari nón in ripa ſo-
m, ſed etiam penitus, & in ipſis coloniis commer-
im cum Romanis & morum ſocietatem metu poſi-
inierint: vt Tacitus de Germ. mor. refert cap.
l. I. Niſi enim Germani fuiſſent victi ab Romanis,
prisca barbarie & moribus incultis perſtaturi o-
nino fuiſſent.

XVIII. Curſum gloriæ, & fortunæ Germanici,
uidia & metus Tiberii ſufflaminauit, a quo fru-
ra ille precatus eſt, vt vel vnum annum efficien-
is cœptis ſe obire permitteret. Sed negauit Tibe-
us alia atque alia cauſſatus, cui parendum erat, &
editus in Italiam inſtituendus. Mirum quo plauſu
e gratulatione exceptus fuerit, vt quoties ad muni-
ipium adveniret, vel inde diſcederet, præ turba oc-
urrentium proſequentiumque nonnumquam pæne
iſcrimen vitæ inierit. Cum Romam adproperaſ-
et, vniuerſæ prætorianæ cohortes obuiam prodie-
unt; quamuis duæ tantum iuſſæ fuerant exire: po-
uli autem Romani, omnisque ordinis atque ætatis
ngens multitudo ad viceſimum vſque lapidem ſe ef-
udit. Tanta præmia magnam virtutem conſequun-
ur. Vide Tac. annal. II cap. XXVI, Sueton. Cal.
ap. IV.

XIX. Geminus honor ei habitus fuit Romæ, tri-
mphus & arcus triumphalis. De vtroque Tacitus
ap. XLI lib. II. *Fine*, inquit, *anni arcus propter
edem Saturni ob recepta ſigna, cum Varo amiſſa, du-
ctu Germanici, auſpiciis Tiberii dicatur.* Ingens glo-
ria, ſigna amiſſa recipere, vt Virgil. lib. VI v. 825

Adſpice Torquatum & referentem ſigna Camillum: & Auguſtus a Parthis recepito Marco Craſſo adempta, quod poſt alios etiam Eutropius lib. VII cap. V refert. De Germanico quoque Dio Caſſius lib. LVII pag. 614. καὶ τὰ σημεῖα τὰ στρατιωτικὰ ἀνεκομίσατο, *etiam militaria ſigna* (cum Varo amiſſa) *recepit*. Confirmat elegantiſſimus nummus ſenatus conſulto cuſus, in quo figura currus triumphalis cum victore ſuperſtante, cui adſcriptum GERMANICVS CAESAR. In aduerſa ſtat imperator habitu militari, ſiniſtra aquilam, militare ſignum, tenens, eique adſcriptum eſt, SIGNIS RECEPT. DEVICTIS GERM.

XX. De triumpho idem Tacitus dicto loco: *C. Cælio & L. Pomponio COSS. Germanicus Cæſar ante diem ſeptimum Cal. Iun. de Angriuariis, Cheruſcis Cattisque, quæque aliæ nationes vſque ad Albim colunt; vecta ſpolia, captiui, ſimulacra montium, fluminum, præliorum: bellumque quia conficere prohibitus erat, pro confecto accipiebatur. Augebat intuentium viſus eximia ſpecies illius, currusque quinque liberis onuſtus.* Integra verba adſcripſimus, quia apparatum & pompam triumphalem egregie nobis repræſentant. Quod vltimo etiam de liberis dicebatur, non extra morem fuit Romanorum filios cum patribus triumphare. Val. Maximus lib. V cap. X de Aemilio Paullo: *duos ei fortuna filios abſtulit, quorum alter triumphum patris funere ſuo quartum ante diem præceſſit: alter in triumphali curru conſpectus, poſt diem tertium exſpirauit.* Strabo lib. VII poſt initium de captiuis

ante

ante currum ductis multa diſſerit, eosque nominatim recenſet. Nos tantum hoc ex illo repetimus, fuiſſe *τῶν ἐπιφανεϛάτων ἀνδρῶν σώματα καὶ γυναικῶν, nobiliſſimos viros feminasque.* Quod vero Suetonius ſupra dixit (Cal. cap. III) *orauit cauſſas etiam triumphalis* (ſic enim cum Beroaldo & Grutero legimus ex MSS. non *triumphales*, quales nullas cauſſas nouimus) id de ſuperiori tempore poſt accepta ſigna triumphalia ex Dalmatico bello, interpretamur. Poſt triumphum enim ſtatim ad res Orientis componendas extruſus fuit a Tiberio, vt conſulatum ſecundum, cuius prætextu etiam ex Germania euocatus fuerat, non Romæ, ſed Nicopoli in Græcia inierit.

XXI. Iuuenis Germanicus tantam gloriam meruit, quaſi feſtinarent fata in iuuentute conſumere, cui longior ætas, iuuante Tiberii inuidia, negabatur. Miſſus itaque poſt triumphum ad ordinandum Orientem, quamquam nec ipſum, nec prudentiores alios fugiebat, propterea fieri, vt procul a ſueto exercitu, in diſiunctiſſima regione periculis, aut, ſi hæc euaſiſſet, inſidiis, exponeretur. Ad has Cn. Piſo, homo ferox, cum vxore Plancina, femina miſcendis venenis idonea, in Syriam miſſus ad regendam prouinciam. Germanicus per Dalmatiam, Græciam, Aſiam profectus, in Syriam tandem venit, multis contumeliis Piſonis atque Plancinæ obnoxius, quas tamen moderato animo, quod principe illos niti non neſciebat, pertulit. Inde in Armeniam profectus nouum illi genti regem dedit, diademate ei in vrbe Artaxatis impoſito. Quoquo ibat ſummis exceptus eſt honoribus,

Digitized by Google

ribus, cultus a Nabatæo rege, a Parthico Artabanno etiam legatione & donis honoratus. Sequenti anno in Aegyptum excurrit reipublicæ cauſſa, vt de frumento proſpiceret; ſed non minus etiam cognoſcendæ antiquitatis. Omnibus luſtratis, etiam Nilo nauigato, quum reuertiſſet in Syriam, valetudine proditum eſt manifeſtius, inſidiis ipſum & veneno lenito impetitum fuiſſe. Signa quoque veneficii & incantationum in ſolo & parietibus, vbi degebat Germanicus, reperta ſunt. Amicis igitur valedixit, & vltionem, ſed iuſtam, & accuſationis forma inſtituendam, mandauit: vxorem autem Agrippinam, generoſam feminam & Auguſti Cæſaris neptem, per memoriam ſui & communes liberos orauit, ſæuienti fortunæ ſubmitteret animum, neu regreſſa in vrbem, æmulatione potentiæ validiores irritaret. Nec multo poſt exſtinctus eſt ingenti luctu prouinciæ & circumiacentium populorum. Hæc ex Taciti annal. II a cap. LIII vsque ad LXXII.

XXII. Quo vero propius Germanicum fata vrgebant, eo clarior eius fama, amore omnium teſtata & comprobata, eminebat. Poſtquam enim valetudo eius Romæ nuntiata fuit, dolor, ira, queſtus erumpebant, ideo in extremas terras relegatum, ideo Piſoni permiſſam prouinciam, hoc egiſſe ſecretos Auguſtæ cum Plancina ſermones, diſplicere regnantibus ciuilia filiorum ingenia, & quæ his ſimilia erant. Quid quæritis? attonita & mæſta ciuitas ſequentes nuntios opperiebatur, quia ex Germanici ſalute ſuam libe-

ratio-

rationem, oppreſſa a Tiberio, vnice ſperabat. Et cum incertis auctoribus conualuiſſe percrebeſceret, paſſim cum luminibus & victimis in Capitolium concurſum eſt, vt vota pro ſalute reſtituta redderentur. Sed breui poſt triſtior nuntius, deceſſiſſe adferens, hanc lætitiam deiecit, & tantum viciſſim induxit mærorem ac publicum luctum, vt neque ſolatiis vllis neque edictis inhiberi potuerit. Nec minor tumultus Antiochiæ fuit, vbi die, quo obierat, lapidata ſunt templa, ſubuerſæ deûm aræ, lares a quibusdam familiares in publicum abiecti: hæc omnia ex impatientia doloris, quaſi cum diis expoſtularent, quod tam vtilem, tam neceſſarium reipublicæ virum mori permiſiſſent. Quod impie quidem factum, tamen magnitudinem amoris, quo Germanicum omnes proſequebantur, declarat. Hæc Tacitus cap. LXXXII Suetonius Cal. cap. V & VI.

XXIIII. Sed maiora ſunt ornamenta atque præconia poſt mortem eius inſecuta. Decretum, vt nomen eius Saliari carmine caneretur; & ludos Circenſes eburna effigies præiret. Additi arcus Romæ, ad Rhenum, in monte Syriæ Amano cum inſcriptione rerum geſtarum, ac mortem ob rem publicam obiiſſe, quod quanti æſtimatum fuerit, ex Ciceronis Philippica de morte Seruii Sulpicii, in legatione ad Antonium exſtincti conſtare poteſt. Statuarum & imaginum, locorumque, in quibus poſitæ, haud facile quis numerum inierit. Præclara hæc & eximia; ſed tamen nobis alia videntur maiora. Cenſuit etiam ſenatus vt clypeus auro & amplitudine inſignis inter eloquentium doctorumque virorum imagines

ei tri-

Digitized by Google

ei tribueretur. Quod inuide quidem Tiberius inhibuit, vt tamen veram laudem idem vel inuitus enuntiarit: *eloquentiam fortuna non diſcerni, & ſatis illuſtre, ſi veteres inter ſcriptores haberetur.* Quo ingenium ſingulare & incomparabile, ſummamque induſtriam & excellentem doctrinam cum bellica virtute & aliis ad regendam rempublicam neceſſariis coniunctam teſtatus eſt. Hæc ex Taciti cap. LXXXIII.

XXIV. Hæc de Germanico Cæſare diſputata, præter notitiam rerum Germanicarum conquirendam, quæ prima nobis intentio erat, etiam propterea ſunt, vt ſub exemplo demonſtretur, quantum natura hominis ſibi relicta, & extra eccleſiam conſtituta, in præclaris ſtudiis, & moribus bene componendis poſſit efficere. Quamquam enim lumen, naturæ relictum, eſt debile, nec ad diuinas res ac myſteria adſurgere & penetrare poteſt: huius tamen qui ductum ſequuntur, diſcrimen honeſti atque turpis nouerunt, & pectus ſcientiis variarum & vtilium rerum implere poſſunt, & magnos fructus ad rempublicam adferre. Habent etiam hujus generis exempla eorumque meditatio id commodi, vt bonis incitamento ſint; malis & ignauis pudori. Bonos, Chriſtianos iuuenes intelligimus, qui his exemplis excitati, vltra progrediantur, & plus faciant in rerum cognitione ac virtutis ſtudio, quam quod vident alienos a fœderibus Dei, natura ſua perfeciſſe. Mali ſunt itidem ex iſto ordine adoleſcentes, qui Chriſti nomen præ ſe ferunt, non autem ſecundum nomen illud viuunt, obſcenis immerſi voluptatibus, & vitam ſicut pecora tranſigentes: quos omnino pudeat, nec eo quidem in-

ter

ter Chriſtianos ſe adſpiraſſe, tam diuinis inſtructos adminiculis, quo alii naturæ duce, induſtria ſua & animi moderatione peruenerint: Deinde idem Germanici exemplum illuſtri documento ſtudiorum eſt inſtituendorum, præſertim eius, quod primum & præſtantiſſimum ab Romanis cenſebatur, hoc eſt eloquentiæ, cuius maximos fructus etiam inter arma cepit, dum ſeditioſas Germaniæ inferioris legiones, quæ nulla ratione, nullaque vi ad officium reuocari poterant, ſola oratione, cuius ſummam Tacitus Annali I cap. XLII (minores alias tacere liceat) permouit, vt auctores ſeditionis ipſi punirent, & vltro poſtmodum ac conſtanter facerent, quæ ſui erant officii.

XXV. Eſt & illud magnificum in Germanici exemplo, quod illo luculentiſſime comprobatus, falſam eſſe multorum opinionem, qua credunt, litterarum ſtudia emollire animum & ineptum ad res fortiter gerendas reddere. Quin potius accendunt, & extimulant, quia tot heroum & virorum fortium exempla commonſtrant. Adiuuant etiam non mediocriter, dum præcepta & conſilia gerendarum rerum ſuppeditant. Nec negligendum eſt in Germanico, aut ſine laude dimittendum ſtudium poeticæ, quo omnis elegantior litteratura comprehenditur. Hoc enim adeo magna ingenia non dedecet, vt illo tam ad ſui culturam & oblectationem, quam ad res maximas non tantum excitentur, quam ſubleuata prouehantur.

XXVI. Quod ad exitum attinet Germanici, triſtis quidem ille fuit, & indignus eius virtute atque meritis, vt ipſe de ſe & ſuo exemplo cum Aenea dicere

cere potuerit, *virtutem diſcite ex me, fortunam ex aliis*: Sed quæ fortunæ defuerunt, gloriæ immortalitate, poſt fata etiam perpetuo ipſum comitante, largiſſime penſata ſunt.

DISSERTATIO XII.
DE
POETIS SCHOLAE PVBLICAE VTILIORIBVS,
habita An. 1706.

SUnt fata, vt aliarum rerum, ſic etiam ſtudiorum liberalium, & literarum, vt nunc floreant & caput extollant ac fructus ferant reipublicæ ſalubres: alio tempore, quæ hominum eſt negligentia, marceſcant & intereant. Mutari penitus vix poſſunt quæ conſuetudine ſunt inveterata; obſtandum tamen & corrigendum, quantum fieri induſtria poteſt, vt mos antiquus ſtudiorum, cuius obliuio prona ad barbariem via eſt, reſtituatur. A Græcis originem habet quidquid per tot ſæcula digeſtæ ac bene cultæ eruditionis fuit; a Græcis in Romanos; ab his per orbem diffuſum Romanum eſt. Græcos ergo fontes adeamus, ſi velimus puriorem lympham doctrinæ ſapientiæque haurire.

II. Hos fontes omnium primi *Poetæ* monſtrarunt, antiquiſſimi inter ſcriptores Græciæ, antequam ſolu-

ſoluta oratione virtutis præcepta in poſteros transmitterentur. In his magna nomina ſunt *Homerus* & *Heſiodus*, quibus neſcitur, an antiquiores ſint; etiam ita perfecti, quamlibet primi, vt poſteriores eos ſuperare nequaquam, adſequi pauci potuerint. Hinc in ſcholis hi tam Græcis, quam Romanis proponebantur adoleſcentibus, adeo, vt Cicero etiam ediſcendum Heſiodum iuniori Leptæ, amici filio, ſuadeat lib. VI epiſt. XIX.

III. De Homero paſſim conſtat. Plinius lib. II, ep. XIV. *ab Homero* dicit *adoleſcentulos in ſcholis auſpicari.* Auguſtinus Confeſſionum lib. I, cap. XIV. *Homerus mihi amarus erat puero, credo etiam Græcis pueris Virgilius ita ſit, cum eum ſic diſcere coguntur, vt ego illum.* Atque ita etiam, cum litteræ poſt diuturnam barbariem renaſcerentur, fuit, & Græca æque ac Latina, & prope magis, in Italia, Gallia, Germania & ceteris regionibus exculta, & Homerus maxime ac Heſiodus adoleſcentiæ in ſcholis commendati ſunt.

IV. Neſcimus autem, quo malo fato factum ſit, vt Græcitatis ſtudium noſtris temporibus pæne ſepultum iaceat, & a plurimis, qui docti videri volunt, datum ſit obliuioni. Adiectæ nouæ diſciplinæ, nec vtiles omnes, ſed multæ πάρεργοι, quibus iuueniles animi occupantur: inductæ linguæ exoticæ, quæ veteres colonas expellunt, ſedem ipſæ inuadunt, vt ægre in anguſto ſe loco Latina conſeruet.

V. Hi mores ſunt ſæculi noſtri, quos diffidimus ita emendari poſſe, vt in priſtinum reſtituantur omnia. Sic enim eſt, vt nobis plura diſcenda ſint, quam

olim

olim vel Græcis vel Romanis: quod illis vna, his duæ linguæ ſufficiebant, & tamen vtrobique vnius ſermo erat patrius & quaſi adgnatus. In tanta rerum multitudine ne quid pereat, & detrimentum capiat rès litteraria, Græca æque atque cetera ad breuitatem ſunt reducenda. Quod qua via iniri poſſit, in *poeſi* tantum iam oſtendemus, vt de ceteris ad eundem etiam modum iudicari poſſit. A Græcis incipiemus, & ſi ſpatii ac temporis feret ratio adiiciemus etiam de Latinis.

VI. Compendioſior diſciplinæ modus eſt, ſi cum linguis res diſcantur, neutræ tradantur ſolæ aut ſeparatim; vt vna, quod aiunt, fidelia duo ſimul parietes dealbentur. Id ſi vsquam commode fieri poteſt, in poetarum poteſt lectione, vnde ordiri conſtituimus, quia veteres inde exorſi ſunt. Difficilior quidem ligatus ſermo, quam ſolutus eſt: verum tanto etiam ſuauior, vt trahat tenellos animos, mireque adficiat: etiam ita memoriam adiuuet, vt & facilius adprehendat, & tenacius, quæ accepit, conſeruet. Bonus auctor Homerus eſt, bonus etiam Heſiodus, nec ſine fructu vterque in ſcholis bene conſtitutis fuerunt explicati. Quod vero, creſcente numero diſcendorum, feſtinatione opus eſt, & delectu optimorum; ille vero diffuſior ſuis fabulis, quam vt tempore ſcholis deſtinato percurri poſſit; hic breuior quidem, ſed argumento tali, vt rem magis familiarem doceat, quam quod ad interiorem adducit eruditionem; iccirco viſum nobis faciendum fuit, vt

it, vt alios in horum locum commendemus, qui & breuitate ſua expediri facile, & vbertate rerum prodeſſe multum, nec minus carminis rationem, quam principes illi poetarum, docere poſſint.

VII. Cum vero vniuerſum hoc contineatur cælo atque terra, quid vtilius iuuentuti, quid neceſſarium magis, quam vtriusque noſſe faciem? quarum illa immutabilis eſt, vt condita primum fuit a Deo; hæc, præter naturæ diuiſiones per climata, montes, maria, amnes factas, etiam hominum arbitrio in regna, imperia, regiones & vrbes varie eſt diſtributa. In vtroque potentiam Dei & admirandam prouidentiam cognoſcimus; vtroque etiam ad diuinæ laudis gloriam concelebrandam excitamur. Ad hoc duo Græcorum poetæ vſui ſunt, in cælo ſpeculando *Aratus*; in terra dimetienda *Periegeta Dionyſius*. Vterque breuitate diſertus, elegantia iucundus, vbertate rerum dignitateque commodiſſimus eſt. De vtroque agemus diſtincte, primum de Arato, deinde etiam de Dionyſio.

VIII. ARATVS cæleſtium ſcriptor, patria Cilix Solenſis fuit. Suidas de eo: Ἄρατος Σολεὺς τῆς Κιλικίας, *Aratus Solenſis ex Cilicia.* Et anonymus auctor Vitæ Arati, Ἄρατος ἐκ Σόλων τῆς Κιλικίας - - - ἔστι δὲ ἡ νῦν Πομπηϊούπολις, *Aratus ex Solis Ciliciæ eſt, quæ nunc Pompeiopolis vocatur.* Latine *Solæ*, Græcorum more, & *Soli* vrbs nuncupata antequam Pompeius piratas, qui non indigni conſeruatione videbantur, in illam deduceret. Pomponius Mela lib. I cap. XIII *Cydnus per Tarſum exit. Deinde vrbs eſt olim a Rhodiis Argi-*

uisque, poſt piratis Pompeio adſignante poſſeſſa; nunc Pompeiopolis, tunc Solæ. Et Curtius lib. III cap. VII *Iamque Alexander, viribus corporis receptis, ad vrbem Solos peruenerat.* A qua ciuitate quod *ſolœciſmum* dictum vulgo putant, quia coloni Græcam puritatem haud ſeruaſſent; mirum fortaſſe videri poteſt, qui Aratus Solenſis tam pure ac ornate ſcripſerit. Verum minime certum eſt, a quibus Solis, vel vnde σολοικίζειν & σολοικισμὸς dicatur, cum etiam in Cypro vrbs eodem fuerit nomine. Strabo lib. XIV pag. 456 de hoc verbo dubitabundus εἴτ' ἀπὸ Σόλων, εἴτ' ἄλλως τοῦ ὀνόματος τούτου πεπλασμένου, *aut ab vrbe Solis, aut aliunde hoc nomen formatum eſt.* nec Suidas eſt certior: Σόλοι, inquit, Κιλικίας πόλις καὶ Κύπρου, ἀφ' ὧν ὁ σολοικισμός *Soli Ciliciæ vrbs & Cypri, a quibus* (ab alterutra) *ſolœciſmus dicitur.* Sed eſto a Ciliciæ vrbe hoc ſermonis vitium adpellari; id tamen nihil Arato noſtro derogabit, quia diſciplina & induſtria corriguntur, quæ in vulgo praua ſunt & vitioſa. Præceptore enim vſus eſt, vt Suidas refert, Menecrate Epheſio grammatico: etiam, quod in Vita legitur, Athenis verſatus, ſectator adſiduus philoſophi fuit Perſæi, cum quo etiam in Macedoniam ad regem Antigonum Gonatam, Demetrii Poliorcetæ filium, venit, apud quem ætatem reliquam εὐδοκιμήσας, *clarus & laudatus* conſumſit. Ex quo etiam ætas illius cognoſcitur, quia rex ille Antigonus æqualis Ptolemæo Philadelpho, Aegyptio regi, fuit. Regnare vterque cœperunt circa olympiadem CXXIV aut inſequentem. In Chronico etiam Euſe-

bii

Digitized by Google

bii, quod Hieronymus vertit, ad olympiadem CXXVII adſcriptum eſt, *Aratus cognoſcitur*.

IX. Scripſit multa, quæ Suidas recenſet, e quibus ſola Φαινόμενα καὶ Διοσημεῖα, id eſt *Aſtronomica & Prognoſtica* ſuperſunt, & illa quidem tantæ admirationis, vt in iis vel vertendis vel interpretandis excellentiſſima ingenia certauerint, nam & argumentum illuſtre eſt, & verborum ſuauitas elegantiſſima. Itidem Suidas: τὰ Φαινόμενα, ὧν θαυμάσιος ἡ εἰσβολὴ, καὶ ὁ ζῆλος Ὁμηρικὸς, *Phaenomena, quorum admirabile eſt exordium, & æmulatio Homerica*: quamuis quorumdam iudicio μᾶλλον, *magis* Heſiodi imitator dicatur, vt in Vita eſt. Sic optimos æmulatus, & ipſe factus eſt optimus.

X. Innumeri pæne dicuntur eſſe, qui Græca in Aratum ſcholia compoſuerint, e quibus vero nihil, quod ſciamus, præter *Theonis Alexandrini* interpretationem clariſſimam, eſt reliquum. Nec minus commendant illum interpretes Latini, quorum princeps M. Cicero fuit, cuius fragmenta Hugo Grotius ſupplere non infeliciter conatus eſt. Alter tranſlator, non minus clarus, Ouidius videtur, cuius verſus aliquos ex *Phaenomenis* Lactantius produxit lib. I cap. V: alios Probus Grammaticus in Virg. Georg. I verſ. 138, quos etiam ex *Phaenomenis* Ouidii depromtos dicit: eruditi autem ex Ouidii tranſlatione Aratea eſſe perſuaſum habent. Vix enim dubitare poteſt, qui a Probo citatus verſus cum Græcis Arati 256 ſeq. contulerit:

Ἀγχι δέ οἱ σκαιῆς ἐπιγουνίδος ἤλιθα πᾶσαι
Πληϊάδες φορέονται. - - - -

Επτάποροι δὴ ταί γε μετ' ἀνθρώπȣς ὑδέονται,
Εξ οἶαί περ ἐοῦσαι ἐπόψιαι ὀφθαλμοῖσιν.
Pleiades ante genu ſeptem radiare feruntur.
Sex tantum adparent: ſub opaca ſeptima nube eſt.

XI. Integriores interpretes Arateorum ſuperſunt *Germanicus Cæſar* & *Feſtus Auienus*: ille, quo illuſtrior, eo minus certum quis fuerit, poſtquam Ianus Rutgerſius receptam de eo ſententiam in dubium vocauit, aut aliorſum tranſtulit. Hic enim lib. II Var. Lect. cap. IX Aratea illa carmina latine conuerſa, Germanico Druſi filio, Auguſti per adoptionem nepoti, abnegata, Domitiano filio Veſpaſiani, quietiam Germanicus cognominatus fit, vnice it vindicatum: cuius rationes quod de Germanico diſſertatione adlatæ ſunt, iam ſufficiet quædam proferre, quæ vir nobiliſſimus Caſpar Barthius Aduerſar. lib. X cap. XXI Rutgerſianæ opinioni oppoſuit. Primum eſt, *Germanici* nomen, quamuis multis datum fuerit, ob victoriam, non tamen ita alicui hæſiſſe, vt ſimpliciter & abſolute apud poſteros ſeros etiam ſeruatum fuerit quia plerisque tantum viuentibus adhæſit, & Domitiano quidem ex adulatione magis, quam vera de Germanis victoria. Quis enim credet, Lactantium Chriſtianum ſcriptorem, ſua ætate Domitianum *Germanici* nomine cenſuiſſe, cum lib. I cap. XXI verſus ex hac tranſlatione ad ferens, etiam lib V. cap. V. ſcripſit *Germanicus Cæſar in Arateo carmine?* Fuit honoris vocabulum *Germanicus*, quod impuriſſimo homini & hoſti Chriſtianorum, ob flagitia interfecto, nequaquam per tantum temporis interuallum apud poſteros, ſeruari potuit. Deinde quod Rutgerſius nomina *genitoris* verſu 2, & *nati*

ver-

verſu 16 obiicit, id Barthius non obſtare dicit, quo minus etiam de auo Auguſto & Germanico nepote per adfectatas & poëticas blanditias intelligi poſſit. Tandem ad illud, quod auctor carminis prope ſub finem de Auguſto tanquam mortuo loquatur,

Hic, Auguſte, tuum genitale corpore numen
Attonitas inter gentes patriamque pauentem
In cœlum tulit, & maternis intulit aſtris;

ad hæc, inquam, reſpondet idem Barthius, iſta verba minime Auguſtum denotare, ſed Iulium Cæſarem, ab Auguſto inter diuos relatum & conſecratum. Vnde *numen Auguſti* vocetur, & *materna aſtra* ad genus Iulii ex Venere deductum referantur: vt etiam Virgilius ecloga IX *Dionæi Cæſaris aſtrum* dixit. Hæc Rutgerſianæ ſententiæ opponi poſſunt. Per nos autem liceat, vtram quisque velit eligere: nos proniores eſſe in veterem fatemur, quia Druſi Germanici ſtudia poëtica teſtatiora ſunt quam Domitiani.

XII. De *Auieno*, poſterioris ætatis interprete vel paraphraſta Aratei carminis non eſt quod multa dicamus. Eſt & ipſum ſatis elegans ac comtum, & quæ fortaſſe obſcuriora videntur, adnotationibus Grotianis illuſtrantur. Genus Auieni illuſtre ex veteri inſcriptione apud Iac. Sponium in Miſcell. eruditæ Antiquit. p. 99. cognoſcitur: licet antiquior ipſa videatur inſcriptio eſſe.

XIII. Hæc de Latinis interpretibus, qui ſane multum auctoritatis & gloriæ Arato Græco homini adferunt: nihil vero illuſtrius illi contingere potuit, quam quod diuinus etiam Apoſtolus Act. XVII eiusdem verbis ad Athenienſes conuincendos vſus eſt.

Verba enim illa, *τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν*, hemiſtichium ſunt verſus quinti Aratei, de quo ipſe Paulus dicit eſſe ex poeta gentili deſumtum. Magna laus, in diuinis ſcripturis allegari, & probari, vt vel ſolam hanc ob cauſſam laudatiſſimus hic poeta in chriſtianas ſcholas recipi & explicari debeat, ac, quod dignum eſt, eueniat tandem, a vate Ouidio lib. I. Amor. eleg. xv prædictum.

Cum ſole & luna ſemper Aratus erit.

XIV. Alter Græcorum poetarum, iuuentuti præ ceteris commendandus, eſt DIONYSIVS *Periegeta*, variis cognominibus, præter illud a *περιηγήσει*, ſiue *orbis enarratione*, vt opuſculum eius vocatur, deſumtum, in multis libris *Afer*, in aliis *Alexandrinus*, ab aliis *Characenus* a patria appellatus; de quibus nihil certi ante poteſt conſtitui, quam de vera eius patria, aut ætate potius, vnde illa facilius inuenitur, aliquid compertum fuerit. Tres ſunt inſignes de ætate huius Dionyſii ſententiæ, & aliis ſub Auguſto, aliis ſub Marco & Lucio Antoninis, itidem aliis ſub Seuero & filiis videtur floruiſſe. Hos enim ſeligunt imperatores, quia ipſe verſu 355 Romam vocat

- - - *ἐμῶν μέγαν οἶκον ἀνάκτων*,

meorum magnam domum regum: quo plures ſua ætate vna imperaſſe, vel regia auctoritate fuiſſe, ſignificat. Nam bene ibi Euſtathius, vetus ſcholiaſtes, ex plurali *ἀνάκτων*, Dionyſium *οὐκ ἐπὶ τῶν ὑπάτων, ἀλλ' ἐπὶ τῶν αὐτοκρατόρων*, *non ſub conſulibus ſed ſub imperatoribus* floruiſſe colligit. Quod vero diuerſis temporibus plures vel ſimul imperarunt, vel ſaltem ſpem adſcendendi

dendi ad auguſtam dignitatem habuerunt; tres ante dictas ſententias breuiter pro ſpatii ratione inter ſe committemus, quænam illarum probabilior ſit, & quæ minus fidei mereatur, ex antiquis monumentis & ipſorum, qui quamque tuentur, rationibus diſquiſituri.

XV. Ioſephus Scaliger in Euſebium animaduerſionibus pag. 228. ſub Seuero eiusque filiis ſcripſiſſe Dionyſium contendit, quia Seuerus etiam filios Getam & Antoninum Caracallam ſuperſtes Imperio deſtinaverat. Vrget pluralem ἀνάκτων, de quo iam diximus; addit victoriam Parthicam, ex qua cognomen *Parthici* Seuero accreuerit, eoque refert verſus Dionyſii 1051 ſeq. quibus *rex Auſonius* dicitur Parthos manſueſeciſſe. Græca verba infra damus ſectione XVIII & XX. Quod vero alia ſigna poſterioris æui non adfert, & ſtilus poetæ videtur antiquior; non multos hic ſectatores inuenit, præſertim, quod non deſunt ex imperatoribus priores, quibus eadem ætatis argumenta accommodari poſſint.

XVI. Claudius Salmaſius in Solinum pag. 292. & Spartiani Seuer. cap. 15. ſtrenue pugnat, Dionyſii ἄνακτας eſſe Marcum Aurelium & Lucium Verum, ſimul auguſta poteſtate imperantes, diuos fratres in Iure Romano appellatos: cuius ratio præcipua eſt, quod Dionyſius verſu 209 *Naſamonum*, qui Africæ populus erat, euerſionis meminerit, quam ſub Domitiano factum eſſe ex Zonara in Domitiano probat. Specioſum, vt apparet, argumentum, quod etiam deinde plures ſecuti in Salmaſii iuerunt ſententiam, etiam vir clariſſimus, recentiſſimus editor Dionyſii.

Quamuis vero vtriusque ſententiæ iam expoſitæ patroni quidam de reliqua ſeu tertia ſcribant contemtius, quaſi iam de illa triumphaſſent: tamen qui modeſtiores ſunt, & rem, vt æquum eſt, examinant, non poenitenda eius argumenta eſſe facile poſſunt demonſtrare.

XVII. Primum Plinii verba ex lib. VI cap. XXVII expendi iubent, quæ de Charace, olim Alexandria Suſianæ, ad intimum ſinum Perſicum inter Tigrim & Eulæum ſito oppido ſcripſit. *Hoc in loco*, inquit, *genitum eſſe Dionyſium, terrarum orbis ſitus recentiſſimum auctorem, conſtat, quem ad commentanda omnia in orientem præmiſit diuus Auguſtus, ituro Armeniam ad Parthicas Arabicasque res maiore filio*, id eſt, Caio Cæſare, Agrippæ natura filio, Auguſti adoptione. Hic conuenit cum noſtro nomen *Dionyſius*: conuenit argumentum *ſitus terrarum orbis*: & quod Auguſtus eo vſus eſt, & a Plinio laudatur, procul dubio præſtantiſſimus Dionyſiorum fuit, qui in ſimili forſan re ac materia commentati ſunt. Sed quinam illi? Mileſius vel Herodoto antiquior eſt, quod ex *Suida* conſtat; vt huc minime referri poſſit. Philadelphenſis διὰ λέξεως ἀκυρολογίαν Διάκενος dictus Euſtathio referente, hoc eſt, *vanus & inanis*, nequaquam poteſt cum noſtro componi, minus cenſeri idem. Nec Samii τραχύτης, *aſperitas ſtili*, huc trahi poteſt, quia noſtri ſermo eſt ſuauiſſimus. Rhodius, ſiue idem eſt Samius, vt cum Suida Voſſius cenſet, ſiue diuerſus, a Tertulliano de Anima cap. XLVI memoratus, in alio argumento verſatus eſt, vt plerique ex iam denominatis. Corinthius quidem, Sui-

da dubitanter prodente, *οἰκουμένης περιήγησιν ἐπ' ἐπῶν, orbis enarrationem verſibus epicis* ſcripſit, ſed per ignobilitatem ſuam nequaquam noſtro conferendus, quem & ipſe Suidas a noſtro Periegeta diſtinctum eſſe voluit.

XVIII. Num ergo præter dictos alium fingemus, quem Plinius laudet? non ſunt cumulandæ res præter neceſſitatem, præſertim quod noſtro omnia, quæ Plinius ſcripſit, conueniunt. C. Cæſari additus, vel præmiſſus, vtique plures habuit *ἄνακτας*, Auguſtum & principes iuuentutis, Caium atque Lucium; aut hos ſolos, ſi inter *ἄνακτας* & *βασιλέα* cum Harpocratione velimus diſtinguere. Et quis Romanorum felicior fuit in Parthis terrore armorum, quod optimum genus victoriæ eſt, mitigandis, quam Auguſtus? vt quod Dionyſius verſu 1052 dixit,

Αὐσονίου βασιλῆος ἐπεπρήϋνεν ἀκωκή,

Auſonii regis arma (Parthos) *manſuefecerunt*, eidem vindicetur: quod etiam Euſtathius de Auguſto Cæſare interpretatus eſt.

XIX. Hic Euſtathius, vetus interpres Dionyſii, peritiſſimus rerum, & libros antiquos, nunc deperditos, adſidua lectione ſecutus, multam huic ſententiæ, quam vilipendunt alii, auctoritatem adfert, qui, circumſpectis omnibus, *κατά τινας, ſecundum quosdam* & rectius ſentientes, *ἐπὶ Αὐγούστου, ſub Auguſto* hunc Dionyſium fuiſſe ad verſum 355 commentatus eſt, & ad fidem faciendam eumdem verſum de Parthis in Romanos mitioribus factis, quem iam attulimus, etiam hoc loco allegavit. Neutra reliquarum

 ſen-

Digitized by Google

ſententiarum tam antiquum teſtimonium, quale Euſtathii eſt, quam hæc de Auguſtea Dionyſii ætate, proferre poteſt.

XX. Accedunt auctoritates clariſſimorum hominum nequaquam pœnitendæ. Gerardus Ioannes Voſſius, de Hiſtoricis Græcis (nam, quod Euſtathius proœmio dicit, οἱ παλαιοὶ τὸ παρὸν ποίημα ἱστορικὸν καλοῦσι, *veteres præſentem periegeſin poema hiſtoricum vocarunt*) accuratius omnia examinans in Plinii tandem teſtimonio de Auguſti temporibus adquieſcit. Henricus Valeſius ad Ammiani Marcellini lib. XIII pag. 373. Dionyſii ἄνακτας de Caio & Lucio Cæſaribus interpretatur. Ad verſus autem de Parthis manſuetioribus factis, dicit, *an de alio, quam Auguſto, intelligi poſſunt?* Doctiſſimus Italorum Henricus Noris in Piſanis Cenotaph. Diſſert. II cap. IX extr.: *Ipſe tamen arbitror voce ἀνάκτων Caium & Luciam Cæſares deſignari. Nam filii Regis ἄνακτες a Græcis dicuntur.* Non addit auctorem, qui vero poteſt Harpocration eſſe Lex. p. 37. οἱ μὲν υἱοὶ καὶ ἀδελφοὶ τοῦ βασιλέως καλοῦνται ἄνακτες, *Regis filii fratresque vocantur ἄνακτες.* Poſtea addit Cardinalis: *Idem Dionyſius loquens de Parthis, ait* (v. 1052.)

Αὐσονίου βασιλῆος ἐπεπτήϋνεν ἀκωκή.

Vnum hic Auguſtum intelligit, qui cum Aſiam perluſtrans, Tiberium cum legionibus A. V. 734. in Armeniam miſiſſet, tot armorum ſtrepitu tantum Phraati, Parthorum regi, terrorem incuſſit, ut, feritate ac odio in Romanos poſito, raptas Craſſo aquilas ac ſigna ad

Augu-

Digitized by Google

Auguſtum remiſerit, ac diuturniorem cum eodem pa-tem ſeruauerit. Hæc eminentisſimus Norſis.

XXI. At Salmaſius excidium obiicit Naſamonum ex Zonara, qui ſub Domitiano poſuit, cuius Dionyſius meminerit v. 209. Quamquam vero æquales Domitiano Suetonius & Tacitus nihil de eo bello tradiderunt, neque breuiaria hiſtoriæ Auguſtæ; nec Dio Casſius in ſeruatis a Xiphilino mentionem fecit: tamen de fide Zonaræ, qui optimos ſequi ſcriptores ſolet, minime dubitamus, quia prior etiam Euſebius in Chronico, Hieronymo interpretante, corrupte quidem, tamen vt emendari facile posſit, ad annum ſextum huius principis notauit: *Naſomontes & Daci dimicantes aduerſum Romanos victi.* An vero vna tantum calamitas Naſamonum fuit? gens impia & prædationibus adſueta omnium in ſe odium conuerterat. Eſto grauius punitam a Domitiano fuiſſe; an vero antea non puniri & adfligi potuit? Euſtathius, haud dubie ex veteri auctore, & tempus & cauſſam prodidit, quo Dionyſius videtur reſpexiſſe. Poſtquam enim de duce Romano interfecto dixerat, quod Zonaras ad Domitiani refert tempora; addit, *οἱ δέ φασιν αὐτοὺς καταπολεμηθῆναι συναγωνιζομένους τῷ Κάτωνι κατὰ τοῦ Καίσαρος, quidam dicunt bello oppreſſos, quod Catoni auxilium tuliſſent contra Ceſarem.* Non confinxit hoc Euſtathius, ſed auctores habuit, ex quibus referebat. Cato ſane per Naſamonas duxit copias ſuas, vt ex itinere eius a Plutarcho pag. 786. deſcripto, adparet. Lucanus illuſtrat lib. IX verſu 443

Sic

Sic cum toto commercia mundo
Naufragiis Naſamones habent, hac ire Catonem
Dura iubet virtus.

XXII. Addo tandem, quæ de Parthis Dionyſius ſcripſit verſu 1072, haud bene Antoninorum tempori conciliari poſſe. Dicit *Auſonium regem* Parthos manſuefeciſſe, vt mitiores ipſius poetæ ætate eſſent. Quis vero rex ille? aut præſens eſt, aut breui antecedens. Si qui anteceſſit, Traianus erit. at ſub Pio paratum bellum Marci & Veri tempore erupit, vt Capitolinus in Marco cap. VIII refert. Hinc nequaquam hoc tempore manſuetiores Parthi fuerunt, ſed hoſtes ferocisſimi. Sin præſens rex intelligitur, Lucius Verus quidem bello aduerſus Parthos præfuit, ſed communibus cum Marco auſpiciis: vnde etiam ambo de Parthis vno curru triumpharunt. Cur ergo non pluraliter loquitur poeta, vt antea? quod pro formula illorum temporum omnino erat neceſſarium. Auguſtus autem ita adoptauerat ſuos, vt nunc ἄνακτες ſimul, nunc ipſe ſolus βασιλεὺς, *imperator* dici posſit; non item Lucius Verus ſine Marco. Propterea, ſi de Auguſti temporibus deſcendere vellem, ad Seuerum potius, quam ad fratres Antoninos poetæ ætatem referrem. Nec, ſi ἄνακτας diſtinguimus a βασιλεῖ, *imperatore*, vt Harpocration fecit, quem vir maximus Henricus Noris ſequitur; locum poteſt ſententia de diuis fratribus inuenire, quia tum nulla diſtinctio, ſed omnimoda fuit æqualitas.

XXIII. Videant nunc, quibus lubido carpendi & ſugillandi eſt, qua fronte alios, tantis innixos ratio-

nibus

Digitized by Google

nibus ſine neceſſitate, & vbi ad rem ſuam nihil faciebat, nominatim perſtringant, quaſi *fruſtra* Dionyſium cum Plinio componant, & alterum ex altero in vicem illuſtrent. Quisquis liberi animo eſt, nec reprehendendi cupidine præuentus, ex his facile intelliget, non videndas rationes eſſe, quibus inducti veteres ac recentes cum Auguſto Dionyſium coniungant: nec *fruſtra* agere, qui ita ſentiunt: quin potius fruſtra, hoc eſt ſine cauſſa & occaſione, in recentisſima ſuperioris anni præfatione, quod non ſatis expenſum fuit, reiectum & damnatum eſt. Sed contemnimus hæc, non vindicamus: noſtris autem qui veram forſan cauſſam ignorant, nec ſententiæ noſtræ rationes plenius intelligunt, hoc erat demonſtrandum. Quilibet abundet ſenſu ſuo, quod facile ac lubentes patimur: ſinat vero etiam ſentire alios, quæ ſibi non improbabilia videntur.

XXIV. Pari libertate etiam de *patria* iudicari poteſt, & *Characenus* hic poeta ex Plinio cenſeri: etiam *Alexandrinus* ex eodem, quia Charax olim Alexandria fuit, Alexandri M. iuſſu trans Tigrim prope ſinum Perſicum condita. An vero etiam *Afer* cognominari poteſt vt in multis librorum titulis eſt? ſic Euſtathius, quem Plinii locus, tamquam Latini auctoris, fugit, ad verſ. 9 commentatur, ſed inualido argumento, quod in recenſu, & deſcriptione maiorum trium continentium *Africam* primo loco poſuerit; poſt demum Europam atque Aſiam: cuius rei cauſſæ aliæ ac ſingulares, niſi fortuito factum fuit, ſubeſſe potuerunt.

XXV. Tandem etiam de *interpretibus* dicendum nobis eſt breuiter. Dionyſii periegeſin latine verſi-

bus

bus hexametris *Rufus* ſeu *Rufius* (vt in inſcriptione eſt) *Feſtus Auienus* reddidit, de quo ſupra diximus, quia hic idem eſt qui Aratum poetam tranſtulit. Vtinam vero caſtigatior tranſlatio periegeſeos exſtaret! Videant, quibus facultas eſt vetuſtos codices inſpiciendi, & emendandi quæ praua & corrupta iam leguntur. Non enim hæc tam nitida eſt, quæ ad nos peruenit, quam eiusdem eſt verſio Aratea, qua, Olao Borrichio iudice, *facundius, nitidiusque, quam vel ipſe Tullius vel Cæſar Germanicus Arati phænomena Latino carmine reddidit.* De Cicerone non eſt mirum. Qui enim in vno genere excellunt nimirum, in aliis plerumque mediocres ſunt. Caſſius Seuerus apud Senecam præfatione lib. III. Excerpt. Controuerſ. p. 425 *Magna ingenia quando plus, quam in vno eminuerunt opere? Virgilium illa felicitas ingenii in oratione ſoluta reliquit: Ciceronem eloquentia ſua in carminibus deſtituit.* Sed pone ſuauiorem Auienum eſſe; nec vero propterea præferre velim, cui ſatis gloriæ eſt, ad antiquos propius accedere, quorum carminibus etſi forte ſuauitas deſit, inſunt tamen aliæ virtutes, ſuis laudibus minime fraudandæ.

XXVI. Altera verſio Dionyſianæ periegeſeos, & hæc quoque epico carmine, *Priſcianum* auctorem habet; vt libri præ ſe ferunt, ſatis feliciter ex Græco expreſſa, vt grammaticum auctoris ingenium appareat. Quidam tribuunt antiquiori Rhemnio Fannio, quod fortaſſe ex confuſione eſt, quia alia Rhemnii, vt de Ponderibus & Menſuris, a quibusdam tribuuntur Priſciano: ſed perperam, vt ait

Voſ-

Voſſius. Dionyſii interpretationem Auieno vindicant præter Voſſium etiam Salmaſius atque Boeckhius. Sed hæc quoque Dionyſii translatio renouatam faciem exigit, quæ optatur magis, quam expectatur.

XXVII. Hic ſunt illi duo poetæ, e quibus adoleſcentes cum ſtilo & metro Græco etiam *aſtrognoſiam & geographiam* breui tempore & intra ſcholarum circulos condiſcere poſſunt. Qui induſtriores ſunt, etiam Homerum euoluent, Heſiodum, vt breuiorem, perlegent, & alios addent, quiſque pro ingenio ſuo, ac temporis & aliorum ſtudiorum ratione. Qui ſacros poetas vel præferunt, vel aliis adiungunt, non illi quidem errant, nec vero in quouis, forſan titulo inescati, inueniunt, quo Græcitati diſcendæ conſulatur, cum illorum quidam ex ſæculo ſophiſtarum ſint, de induſtria obſcuri & difficulter intelligendi. Auctorem Dionyſiacorum, ſatis prolixi operis, qui & euangelium Ioannis, ſanctiſſimam materiam, ſtilo quo diximus, metrice ſed ſatis obſcure deſcripſit, non diffitemur, quin nouerimus. Alia ratio Latinorum poetarum eſt, etiam Chriſtianorum, de quibus nunc nobis eſt agendum.

XXVIII. LATINA POESIS multum facit ad culturam & conſeruationem ipſius linguæ; quod ab Ennii temporibus cognoſcimus, a quibus plus poetæ ad ornandam linguam attulerunt, quam oratores vel alii ſtudio addicti. Poetæ enim ſolliciti ſunt de epithetis, quæ congruant; de ſimilibus, & aptis deſcriptionibus; de veris ſynonymis, vnde copia verborum

Digitized by Google

rum; de accentu etiam, ſine quo vitioſa eſt pronunciatio, quæ ſingula latine loquendi ſcribendique facultati ſunt neceſſaria. Ad conſeruationem etiam poeſin contuliſſe; ex eo manifeſtum eſt, quia cum ſoluta oratio iam deficeret & pæne omnis exſtingueretur, poeſis gradu depelli non potuit, reſiſtens barbariei, etiam nitorem, ſi non priſtinum, tamen aliquem conſeruauit, cum iam barbari vndique Romanorum imperium invaſiſſent. Teſtes ſunt poetæ, qui poſt Honorii tempora ſcripſerunt, Cœlius Sedulius, Proſper Aquitanicus, Paulinus Petricorius, Sidonius Appollinaris, Alcimus Auitus, Venantius Fortunatus; debiles in proſa, aut obſcuri & perplexi; in metro felicioires & præſtantes, niſi quod, vt priores etiam Chriſtiani, non nunquam in ſyllabarum quantitate offendunt.

XXIX. Huius diuerſitatis cauſſa videtur eſſe, quod proſa oratione illis temporibus licentius ſcribebant & loquebantur, ſine imitatione veterum: metro autem ſcripturi magis ad poetarum lectionem adſtricti fuerunt: quo factum eſt, vt ligatæ orationis puritas, quam ſolutæ, diutius conſeruata ſit. Etſi enim vis ingenii eſt poetica facultas: tamen illa ſibi non ſufficit, niſi etiam lectio & imitatio antiquorum poetarum accedat. Sed hæc obiter: ad inſtitutum redimus, quod eſt oſtendere, quinam poetarum in ſcholis vtiliſſime explicari poſſit.

XXX. In Latinis poetis qui VIRGILIO præferatur, nullus eſt, ideoque Velleius Paterculus lib. II cap. XXXVI *principem carminum* eum dixit. Aemulus Homeri fuit, quam plurimis locis expreſſit, vt Scaliger

ger, pater in Critico demonſtrauit: etiam parem gloriam, ſaltem apud Latinos, adſecutus eſt. Silius Italicus lib. VIII verſ. 594.

Mantua Muſarum domus, atque ad ſidera cantu
Euecta Andino, & Smyrnais amula plectris.

Pro hoc Horatius, cum Athenas nauigaret, votum fecit lib. I oda III & hunc: toties Seneca in epiſtolis & alibi, integros ſæpe verſus producens; vt Græci Homerum, allegauit: principes etiam viri in ſermonibus eo vſi ſunt, vt eſt illud Tetrici, qui purpuram ſumſerat, ad Aurelianum imperatorem, apud Eutropium lib. IX cap. IX ex Aeneid. VI verſ. 365.

Eripe me bis, inuicte, malis.

In ſcholas etiam Latinas receptus fuit, Auguſtinus lib. I. Civ. Dei cap. III *Virgilium propterea paruuli legunt, vt videlicet poeta magnus omniumque præclariſſimus atque optimus teneris ebibitus annis non facili obliuione poſſit aboleri.* Hunc ergo in ſcholis retineri e re eſt litteraria.

XXXI. Quod vero ſupra, propter diſcendorum multitudinem, compendium in diſciplinis fieri voluimus, id etiam in Virgilio, vt & cæteris poetis locus pateat, ſuademus vt obſeruetur. *Ecloga* per breuitatem ſuam facile pertractari poſſunt, aut ſeligi caſtiores, quia inſunt etiam moribus non ſalubria. *Georgica*, ob argumentum noſtris ſtudiis non maxime neceſſarium, ad maius otium, aut priuatam induſtriam reſeruentur. Non male autem ſuis conſulit, qui excerpit inde præſtantiora, præcipue aſtronomica de ortu & occaſu ſtellarum poetico, quorum in libro primo ſunt egregia exempla. *Aeneidos* libri plures ſunt

Digitized by Google

quam vt ſpatium capiat ſcholaſticum. Ex his ergo explicentur primus, ſecundus, tertius, quibus Troianum bellum & origo Romanorum deſcribitur: quem nexum neſcire multum impedimenti tam Latinis quam Græcis legendis adfert; quartus propter amorem Didûs; & quintus propter inanes ludos & ſimilia transmitti poſſunt, aut excerpi: ſextus, ſeptimus, octauus, qui Aeneæ adpulſum ad Italiam, ſtatum inferorum, & initia belli cum Latinis habent, vtiles ſunt: reliqui ob tædioſam eiusdem belli protractionem, quam narrant, vel præteriri ſecure, vel ad tempus, quod conceſſum eſt, accommodari poſſunt.

XXXII. HORATIVS *Flaccus* tantus eſt in lyricis, quantus in heroico carmine Virgilius. Igitur *lyrica* illius ſunt ſcholæ neceſſaria: quasdam tamen odas eius, quod laſciuiores ſunt, conſultum eſt transiri. Epici autem eiusdem libri, quamuis præſtent argumento, nec careant acumine, tamen quia non ita ſuaues metro ſunt, vt lyrici, pro temporis ratione prætermitti poſſunt.

XXXIII. Quod vero *elegiacum genus* eſt ſuauiſſimum, & vſui maxime accommodatum, cum epicum copioſos verſus & longius argumentum requirat; OVIDII *libros triſtium* & *ex Ponto epiſtolas*, quia omnes hoc genere ſuperant, ſcholarum commendamus exercitationi. Amatoria remouenda ex manibus iuuentutis; Metamorphoſeos & Faſtorum libri euoluantur ad fabulas antiquitatesque cognoſcendas, toti non explicentur, quia etiam continent quæ moribus officiunt.

XXXIV. Hi ex aurea Auguſti ætate. Vt vero

ex

Digitized by Google

ex æuo etiam, quod inter Auguſtum & Traiani exceſſum fuit, aliquid cognoſcatur, Valerius Flaccus autem & Papinius Statius in minus grato argumento verſantur; & Martialis ſæpius obſcenus eſt; SILIVM ITALICVM, ſi non ad explicandum, (quod vix temporis admittet ratio) tamen ad euoluendum præcipue commendamus, quia multæ ſunt eius vtilitates. Nobile argumentum tractat, hiſtoriam belli II Punici: addit fictiones poeticas, quibus prope æqualis Lucanus deſtitutus eſt, in geographicis autem, per plures imperii Romani partes, non habet a quo ſuperetur: præterea mythologia & ſententiis abundat, vt opera, quæ in eo inſumitur, minime perdatur. Non ignoramus habere obtrectatores ſuos, ſicut alia ex parte non deſunt, qui admirentur. nam perpetuus imitator Virgilii eſt, quem quod ingenio adſequi non potuit, induſtria tamen propius acceſſit. Vide Plin. lib. III epiſt. VII.

XXXV. Quod vero dignum eſt in chriſtianis ſcholis chriſtianas antiquitates non ignorari, velimus ita diſtribui penſa atque tempora, vt ne *Aurelius* PRVDENTIVS ab illis excludatur. Libros *καθημερινῶν*, & *περὶ στεφάνων*, quod eccleſiæ veteris ſtatum & fata explicant, in ſcholas recipi & pium & ſalubre eſt. Varietas etiam carminis, per omnia prope genera decurrens, & illa vbique elegans, quod nec principes poetarum efficere potuerunt, magnopere in Prudentio laudanda eſt. Epici eius libri longiores, quam pro vſu ſcholarum videntur: qui autem adverſus Symmachum ſcripti ſunt, multum habent antiquitatum, &, quæ pagani Chriſtianis ob-

 iiciebant,

iiciebant, fortiter profligant, ideo etiam ſatis digni, vt, ſi non publice exponantur, tamen induſtriis ingeniis ad priuatam lectionem identidem commendentur.

XXXVI. Sed videor mihi magiſtros ſcholarum audire, qui conquerantur, poetarum lectionem cumulari, nec tantum temporis ſibi eſſe ad omnes, quos vtriusque linguæ laudauimus, vel curſim interpretandos. His reſpondemus, neque nobis hanc eſſe ſententiam, vt omnia ſimul & vna hebdomade tractentur, ſed temporis ſucceſſu nunc in hoc, nunc in alio auctore progreſſus fiat. v. gr. expoſito libro quodam Virgiliano, Ouidius per ſpatium temporis explicetur, aut Horatius committatur cum Prudentio. Sic anno vertente fiet, vt per plures poetas adoleſcentes acti, non poenitendam tum carminis, tum rerum illo contentarum cognitionem habeant. De induſtriis loquor praeceptoribus, quibus voluptas eſt ſuos inſtituere; & alacriter agunt omnia, etiam penſa & tempora prudenter diſpenſant. Qui autem laborem fugiunt, in ſuam rem, quam publicam, intentiores, aut pertæſi ſcholæ, maioris otii cauſſa munus ambiunt eccleſiaſticum; cum hiſce non agimus, indignis qui iuuentuti erudiendæ præficiantur. Nihil ſuademus, nihil præcipimus, quod non exemplo experti ſimus fieri poſſe, ac feliciter & bono cum ſucceſſu fieri.

XXXVII. Neglecta vera poeſi hodie multi *inſcriptiones*, vt nominantur, amant, & vel elegantiſſimo carmini præferunt, vocantes *poeſin politicam.* Tinnulæ ſunt, & prope rhythmos implent, ingenio cu-

iusque hominis non plane obtuſo natæ, & faciliores elaboratu, quam vel tenue carmen aut mediocre. Sed, ſi dicendum quod res eſt, vera & Latina poeſis his ſubnatis amittitur. Placent imperitis antiquæ Latinitatis: ſcribuntur ab iis, qui non valent ad carmen antiquo more ſcribendum. Romani innumeras inſcriptiones reliquerunt, a Grutero, Reineſio, Fabretto, aliisque collectas, ſed ne vnica in iis reperitur, quæ vel leuiſſimam ſimilitudinem illarum habeat, quas hodie adplauſu tanto admirantur. Abſtineant his ſcholæ, ne vtiliora ſtudia perdantur. Satis erit poſtea, ſi qui volunt, temporibus inſeruire.

XXXVIII. Tandem de *Teutonica poeſi*, quæ vbique hodie per Germaniam noſtram ſonat, aliquid pro ſcholis etiam dicendum eſt. Sunt, qui adoleſcentes ad patrii ſermonis culturam adducant magis atque prius, quam Latine ſcribere cœpiſſent, verum, vt nobis videtur, conſilio id fit præpoſtero. nam experientia, nobis multis exemplis perſpectiſſima, conſtat, qui primos annos in Germanicæ linguæ eloquentia vel carminibus impenderunt, eos numquam poſtea ad veram & ornatiorem latinitatem perduci potuiſſe. Noſtræ linguæ autem, quæ ſunt, quia ab incunabulis adhærent, ſemper addiſci poſſunt, & felicius diſcuntur, ſi ex Latina artem, vim, & ornatum orationis ſeu carminis prius didicerint. Quæ cauſſa fuit, vt Romani prius Græce, quam Latine declamarent, cuius rationem Cicero in Bruto cap. xc adfert, & ſuo exemplo confirmat. *Commentabar*, inquit, *declamitans* (*ſic enim nunc loquuntur*) *quotidie, faciebam multum etiam Latine, ſed Græce ſæ-*

Digitized by Google

pius, quod Græca oratio plura ornamenta ſuppeditans conſuetudinem ſimiliter Latine dicendi adferebat: Et Suetonius cap. 1 de claris Rhetoribus: *Cicero ad preturam vsque Græce declamauit,* hoc eſt, ad ætatis annum quadrageſimum. Græca enim Romanis lingua erat, quæ nobis Latina; Latina, quæ nobis Teutonica. Eſt omnino colenda lingua patria & ſolute atque metrice, quod horis ſubceſiuis fieri poteſt, ſed recte eſt colenda, hoc eſt, Græcorum Latinorumque, qui in vtraque arte excelluerunt, imitatione, vt vera indoles & virtutes carminis, de quo nunc ſolo agimus, intelligantur; vt princeps Teutonicæ poeſeos Martinus Opitius antiquos paſſim imitatus eſt, etiam integros libros Sophoclis, Senecæ, Theocriti conuertit, exemplo Virgilii, qui Homerum, Theocritum, Apollonium, alios, ita expreſſit: quod collatione illuſtris Scaliger in Critico luculente monſtravit. Si noſtri verſifices idem facerent, multæ vitarentur ineptiæ; ſed, vt taceam Græcos, quotusquisque hodie Latinos euoluit? Non enim in ſolis rhythmis aut turgidis verbis conſiſtit poeſis, ſed in virtute & habitu orationis.

DIS-

DISSERTATIO XIII.

De

SOLVTÆ ORATIONIS SCRIPTORIBVS SCHOLARVM VSVI PVBLICO COMMENDANDIS,

habita, Anno 1706.

SCholæ conſulimus, ſcholaſticis ſtudiis inſeruimus, vt felicius res litteraria, & inde publica etiam, proueniat, ſi teneris annis adoleſcentes recte formentur, & ad virtutem præclaris ſtudiis, quæ ſapientiæ & humanitatis ſunt, adducantur. Talis enim fructus hortorum ſunt, qualis cultus fuit arbuſcularum: qui quo fuit operoſior, eo maior etiam vbertas ampliorque prouentus conſequitur. Quod vero de *poetis* nuper, qui ſcholis vtiliores ſint, diſſeruimus; non alienum ab inſtituto erit, idem conſilii ad *ſcriptores proſæ orationis* etiam proferre, & deliberando inueſtigare; quinam ex tam multis ſolutæ orationis auctoribus ſint ſcholæ publicæ vtiliores, vt iis adſueti adoleſcentuli ſermonem purum & loqui & ſcribere condiſcant, nec in verbis modo eorumque ornatu obhæreſcant, ſed cum iis etiam res eodem tempore inueniant, quibus pectus impleatur, vt per omnem ætatem pro cuiusque munere ac officio

Digitized by Google

expromantur, quæ cum ſingulis, tum publico etiam, ſalubria ſint ac neceſſaria.

II. Amamus breuitatem, quia artum tempus eſt adoleſcentiæ, eoque multa vel perdiſcenda ſunt, vel ſi non capiat omnia, delibanda tamen, quæ plenius poſtea ſub alia diſciplina imbibantur. A *Latinis* incipimus, ſicut a Græcis Romani, quibus tam neceſſaria hæc lingua erat, quam noſtratibus eſt Latina. Subiungenda ſenſim *Græca*, ſine quibus nec Latina poſſunt conſiſtere. Multi auſpicium a *colloquiis* faciunt, quibus exponendis terunt pueritiam & detinent. Faciunt quidem ad promte loquendum colloquia, & captui puerorum accommodata ſunt; quod vero recentiores illorum auctores ſunt: dulcius pueri primos hauſtus, etiam purius, ex fonte ducunt, quam ex riuulis, qui ſæpe aliquid inquinatum trahunt. Alii *Terentii* fabulas pueris proponunt, vt puriſſimam inde ſermonis elegantiam a teneris annis ſibi adſuefaciant. Sunt illæ ſuaues verbis, ſunt elegantes, &, quamuis poeta ſit, tamen, vt genius comicorum eſt, ſolutæ orationi vbique ſimiliores ſunt, quam Carmini, & imitando quoque adhiberi ad proſam poſſunt, ſicut a multis adhibitæ ſunt, etiam ab ipſo Cicerone. Lib. VII epiſt. III ad Atticum, *ſecutus ſum Terentium, cuius fabellæ propter elegantiam ſermonis putabantur a C. Lælio ſcribi*: quaſi ſupra indolem Afri hominis eſſet tam pure ac ornate ſcribere. Sed longiores ſunt fabulæ eius, quam vt puerili ætate apprehendantur: periculoſiores adoleſcentiæ, quia quamuis caſte videatur ſcribere, tamen res ipſa turpis eſt, ſtuprum in fabellis ſingulis. Habemus

ius excerptas: ex iis præſtantiores formulas atque
itiones, quas qui iuuentuti proponunt, conſultius
is videntur agere, quam qui integras interpre-
ur comœdias. Sic enim fructu non carebit a-
ſcentia, quem ex Terentio ſperare ſibi poterat.

II. Si omnino pueris dandum eſt in quo ludere
electari poſſint, quod vero non tam ſtudiis ipſorum,
m moribus ſit ſalubre; ſuaſerimus, vt *Phædri* fa-
æ ætati primæ proponantur; quia breues ſunt, tenel-
adficiunt, & quod caput eſt, ita elegantes ac Lati-
vt magnorum hominum iudicio nemo ſit, qui ad
em Terentii puritatem propius, quam hic ipſe
ædrus, accedat. Poeta eſt & metro apertiore,
m comici; tamen ea ſimplicitate, quæ proſam vbi-
æmuletur, & omnia eius ad proſam, eodem etiam
orum pæne ordine, poſſint applicari. Reſecan-
tamen hic fabellæ quædam, quæ obſcenis verbis
antur, ſicut non deſunt huius auctoris libri du-
n, puerorum cauſſa, a ſanctioribus viris pruden-
ibusque caſtrati. Nec iactura fit, ſi duæ tresue
ulæ reſecentur, quia ſatis multæ manent, & ferme
res, quam pro ætatula, cui dicatas Phædri fabulas
ditisſimus quisque voluit.

V. Sed ad ſtructuram ſimul & membrorum con-
ionem eſt reſpiciendum, nec puerilis ætas in collo-
is & fabulis aut apologis relinquenda, ſed mature
ndum, vt nexum partium, qui abeſt ab diſruptis
formulis, cognoſcant, & propius ad periodum,
mquam ſine rhetorico artificio, quod adultiori
reſervatur, adducantur. Optimus in his & pri-
s magiſter eſt *Cicero*, cuius breuiores epiſtolæ, ad

Digitized by Google

vxorem Terentiam aliosque datæ, huic ætati cum primis conueniunt, quas præceptoris prudentia pro ſuorum captu ſeleget, deinde longiores addet, & quæ plus latinitatis habeant. Nec enim vmquam a ſcholaſtico ſtudio Ciceronis epiſtolas remotas velim, quia vera inde latinitas, & ad vſum ſtatim applicanda, perdiſcitur. Sed de his plura in ſecundo tertioque curſu dicturi ſumus.

V. Ciceroni *Cornelius Nepos* coniungendus eſt, ſcriptor purus, elegans, perſpicuus; & Ciceroni vt ætate æqualis, ita nec inferior nitore. Ex hoc etiam res petuntur, hiſtoria maxime Græca: cui etiam Latina Romanorum eſt addenda, quam nemo continua ſerie ab vrbe condita produxit longius, quam *Eutropius* ad Valentem breuiario, quippe plusquam vndecim ſæculorum memoriam perſpicua breuitate, nec vero nimis conciſa, complexus eſt. Non quidem ſtilo Nepoti aut aliis veteribus comparari poteſt, quod ætas illum in poſteriora tempora reiecerat; nec vero impurus eſt, nec labem admiſcet ſtilo, nec quidquam habet, quod ex antiquitate, argenteo ſaltem latinitatis ſæculo, defendi nequeat: quamquam propter res magis, quam propter verborum ſplendorem, a nobis commendatur. nihil enim proficit in ſcriptoribus *Latinis*, qui ignarus hiſtoriæ Romanæ eſt, quam hic auctor per tempora & vrbis annos accurate ac diligenter diſtribuit.

VI. Quod vero hoſpes in hiſtoriis, aliisque monimentis antiquis eſt, qui terrarum, marium, fluminum, & montium ignorat deſcriptionem; non inutile ſcholaſticis cenſemus, vt laudatis auctoribus Latinis etiam minoris molis iungatur *Geographus*, qualis

'omponius Mela eſt, orbis terrarum ſitum bre-
; per partes ſuas, nec ſtilo pœnitendo, ſed ter-
itis, ante oculos proponens. Aetate enim Pli-
n anteceſſit, qui multa ex eo, & prope verbis iiſ-
depromſit. Hic recipi in curſum poteſt, quod
ans quod breuis, & forſan menſtruo ſpatio abſol-
oteſt: periegeta Dionyſius, vt Græcus & poeta,
ltimum reſeruari.

'II. Præſagio facile, futuros multos eſſe, qui mi-
ur hanc ſtudiorum viam, longe ab recepto ſcho-
m vſu declinantem, & iccirco nouitate quaſi
ectam. Sit illa minus trita, ſit peregrina in no-
oris; appareat eis noua, qui aliorum inſtituta
iunt: habet illa tamen, quorum clariſſima au-
itate ſe tueatur. Vnum tantummodo, ſed ma-
iudicii virum & in hoc ſtudio diu multumque exer-
tum, Tanaquillum Fabrum adducemus, qui
tola XLI ap. Claudium Sarrauium ſcripſit:
nibi ſententiæ ius in re tam grauis momenti eſſet,
'enſerem: Debere nos a fabellis ſeu apologis au-
ari, ſtatim atque vel primulis linguæ Latinæ ele-
ıtis informati pueri fuerint, cœperintque ſentire
d ſit compoſitio; idque dico ſapientiſſimorum ho-
ıum totiusque antiquitatis auctoritate adductus.
autem re fiet maxime, vt teneros puerorum mo-
& adhuc εὐαγώγους mollire & ſubigere facilius:
ue vbi rite factum fuerit, & virtutis in iis qua-
n σκιαγραφία cœperit apparere, tum porro per-
dum erit alacrius, neque in his fabellis amplius
norandum: ſed exemplis ea erunt confirmanda &
ſtranda, quæ legendis apologis fuerint tradita. Id
autem

autem, vti opinor, perfici non poteſt commodius, quam ſi breuiſſimos quoſque hiſtoricos prælegamus, eoſque potiſſimum, qui res a primis Græciæ & Vrbis Romanæ temporibus perſcripſerint. Et quoniam abſque terrarum, maris, montium, fluminumque deſcriptione non eſt vt quiſquam ad veterum librorum, quibus omnis liberalis ſcientia atque humanitas continetur, cognitionem poſſit peruenire; maximum operæ pretium fore iudico, ſi ſcriptor aliquis pueris tradatur, qui illa omnia, ſi minus ἐς τὸ λεπτομερὲς καὶ δι᾽ ἀκριβείας, ἀλλὰ τύπῳ γε, vt aiunt, doceat. Ea autem omnia quinam e veteribus præſtiterunt rectius quam PHAEDRVS, APOLLODORVS, EVTROPIVS, CORNELIVS NEPOS, *&* POMPONIVS MELA? *qui libelli intra vnius anni curriculum, ſi qua modo adhibita diligentia fuerit, nullo potenunt negotio perlegi.* Hæc clariſſimus Tanaquillus.

VIIII. O quam felix prouentus litterarum foret, ſi ſcholarum magiſtri tam ſalubre conſilium ſequerentur! Si conſtrictum nimis videtur tempus annuum, ſumant biennium, aut plus etiam, quia alia quoque intra hoc ſpatium tradenda iuuentuti ſunt ſumme neceſſaria, *diuinæ* ſcilicet *inſtitutiones*, quæ ſenſum de Deo rectum & cæleſtibus rebus inſtillent, etiam ad mores honeſtos & Chriſtianis dignos a tenellis annis puerorum pectora inſtigent atque perducant; etiam *Græcæ linguæ* quædam *elementa*, quæ in altero curſu plenius docenda ſunt. Sic nihilominus adoleſcentes maturius proficient, quam vulgari more fit, quo tam ſalubribus præceptis ne decimo octauo ætatis

tis

Digitized by Google

ris anno imbuti ſunt, quibusdam plane per omne tempus ſcholaſticum deſtituti; rudes & inepti ad academicas expoſitiones propelluntur.

IX. Hoc ſi ita effectum fuerit, quam lætæ & egetis ſpes in ſequentes annos erit? quam facile fuerit, quia Romanæ Græcæque hiſtoriæ cum locorum poſitionibus non leuiter fuerunt cognitæ, *Ciceronis epiſtolas* nunc impenſius tractare, & quod plures earum libri ſunt, ſecundum, quartum, nonum, decimum, vndecimum, duodecimum, decimum quintum integros publice interpretari: è ceteris eligere vtiliores epiſtolas pro temporis, quod huic penſo datum eſt, ratione? Non enim illorum nobis placet conſuetudo, qui hoc epiſtolarum volumen, quæ ad diuerſos ſcriptæ ſunt, a capite ad calcem ſuis explicare præſumunt, non autem explicant vni cœtui, quia ſpatium morandi in ſcholis, tot quaternos prius quam abſoluantur epiſtolæ, finitur aut abrumpitur, & hic vnius tantum, ille duorum, raro alius trium librorum audiuit expoſitionem. Prudens præceptor calculum cum tempore ponat & ingeniis, & ordine neglecto præſtantiores epiſtolas eligat, & prætermiſſis aliis, aut tantum excerptis, quæ meliores tum ſtili cauſſa tum hiſtoriæ Ciceronianæ ſunt, communicet cum ſuis. Quid enim ſingularis eruditionis ex libro primo ad Lentulum diſcent adoleſcentes, vbi fere nihil, niſi de reductione regis Ptolemæi, agitur? quid ex tertio, qui plenus eſt tædioſæ contentionis, quam Cicero in prouinciam proficiſcens cum deceſſore habuit Appio? Quintus, ſeptimus habent aliquas inſignes, ſed & alias non paucas,

quæ

Digitized by Google

quæ prætermitti poſſunt. Octauus non eſt Ciceronis, ſed M. Cœlii totus: laudandæ tamen in eo ſunt quæ ad hiſtoriam faciunt, vt in primis eſt epiſtola xvi. Sic ſi recte tractatur Cicero, & imitatio vrgetur ſtrenue; diſcipulus breui tempore experietur, verum eſſe quod Fabius lib. x cap. 1 ſcripſit, *ille ſe profeciſſe ſciat, cui Cicero valde placebit.* Dum vero ſic epiſtolas ſecernimus, illarum veterem diſpoſitionem, non nouam Siberianam, qua ſine diſpendio Muſæ carere potuiſſent, intelligimus. Falſum enim eſt ſecundum tempora ſingulas ordinari poſſe, quod nec Tiro libertus, conſcius rerum patroni ſui potuit; in cuius ordine, quem adhuc eruditiſſimus quisque ſequitur, & integræ nationes, Galli, Itali, Belgæ, Britanni, aliique. Nec leue damnum, ſaltem impedimentum, in citationibus illa quorumdam nouitas rei litterariæ attulit.

X. Epiſtolis *Officia Ciceronis* in ſcholis plurimi coniungunt, ſed præpoſtero, vt nobis videtur, conſilio. Officia enim illa Naturæ ius comprehendunt, quod ſupra captum eſt ſcholaſticorum, atque ita in academiis demum, vbi ius illud explicatur, ſimul Officia interpretanda. Ideo etiam ipſe Cicero ad filium ea ſcripſit, non puerum, ſed quum Athenis ageret, & philoſophos aſſidue audiret. Et Lampridius in Alexandro Romano imperatore cap. xxx refert, *eum Latina quum legeret, non alia magis legiſſe quam de Officiis Ciceronis & de Republica.* Rebus enim agendis, quam ſcholarum vmbræ, magis illa conueniunt. Qui autem in vulgatis voluminibus cum Officiis compingi ſolent *de Senectute &*

te, & de Amicitia libelli, non inutiliter coniungi cum epiſtolis poſſunt. De Orationibus agemus poſtea.

XL. Sunt etiam alii hoc curſu adeundi, *hiſtorici* præſertim e quibus vt antiquiores ſunt *Iulius Cæſar*, & *Criſpus Salluſtius*; ita proxime ad æqualis Ciceronis accedunt elegantiam. Quæ ipſe Cæſar ſcripſit, pura & terſa ſunt omnia, etiam ea ſimplex in verbis proprietas, vt eius ratione non habeamus, qui cum illo conferri poſſit: ſequiora ſunt, quæ Hirtius vel Oppius, ſupplementi cauſſa, de bellis reliquis, a Cæſare geſtis, addidit. Coniungi cum Cæſare, aut ſi tempora anguſtiora ſunt, alternis vicibus *Salluſtius*, proponi poteſt, cuius Catilinario bello Ciceronis hiſtoria illuſtretur. Compoſitio eius & periodus verborum eſt elegans, in quo vere Atticum dicendi genus latine videas expreſſum, ideoque *Thucydidis æmulum* Velleius Paterculus lib. II cap. XXXVI dixit. Sunt quidem non nulla in Salluſtio, quæ notam mereantur nec temere trahenda ad imitationem, & Gellius icciroo *nouatorem verborum* lib. I cap. XV vocat: ſed pauca ſunt, quæ monente magiſtro facile deuitari poſſunt: ſi plura fuerunt, in deperditis fortaſſe libris fuerunt, vt nequaquam nos turbare poſſint. Seneca epiſt. CXIV quædam huius generis examinat, & *rara* in ipſo Salluſtio vocat, ſed in iis etiam ſunt, quæ fruſtra reprehendit, vtpote *bellum facere*, cuius nec Ciceronem neque Nepotem pœnituit, quamuis forſan Senecæ ætate id formulæ in deſuetudinem venerat. In ſermocinationibus

(ora-

Digitized by Google

(oratiunculas vocant) ipſis hiſtoriis directe inſertis, perſpicuus, & apertus eſt, vt vix in alio oratorium artificium tam lucide poſsis deprehendere. Et dignum Chriſtianis Scholis eſt, Chriſtianos ſcriptores non exſulare, e quibus pro hoc curſu ſatis ſit *Minucii Felicis* Octauius: Lactantius vt maior & copioſior in ſequentem reſervetur. In hanc claſſem etiam poetica diatribe incidit ex Ouidii Triſtibus ac Ponticis, & nonnullis Virgilianis inſtituenda, de quibus diximus alibi.

XII. Tertius curſus isque maior supereſt, quia greſſus ætate profecit, firmiorque factus ſpatium longius emetitur. Hic *Ciceronis Orationes* primum locum teneant, non promiſcuæ, ſed breuiores elegantioresque, in quibus præcipuæ ſunt pro Archia, vnde incipi poteſt, quia ſtudiis adoleſcentum eſt accommodatisſima; pro Marcello, quatuor Catilinariæ, pro lege Manilia, ad Quirites poſt reditum, pro Ligario. Tum longiores quædam poſſunt ſubmitti, pro Roſcio Amerino, Philippica ſecunda. Has putamus publicæ interpretationi ſufficere. Ceteræ minime reiiciuntur, ſed priuatæ commendantur induſtriæ. Et quia *Velleius Paterculus* ad oratoriam dictionem accedit, facile is quoque huic ſtudio adnecti poteſt, quia breuis eſt, ex quo hiſtoria quoque illuſtratur, in qua egregium cenſemus, licet in Tiberii rebus, quas incautus adiecit prioribus, in adulationis culpam delapſus ſit: quod fieri vix poteſt aliter, ſi principum res, præſertim maiorum, ſub quibus viuimus, ab iisque beneficia habemus, ſuſcipimus ſcribendas.

XIII. Vt

XIII. Vt vero luxurians ſeges ſecanda falce eſt, ne vim omnem in gramine effundat: ita ſæpe adoleſcentes, Ciceronis Aſiatico abuſi dicendi genere, in ſcribendo luxuriantur, & membra iuſto longiora, turgidas & ſuffarcinatas periodos faciunt: a quo vitio non felicius reuocantur, niſi *Plinianarum epiſtolarum* lectione, quarum conciſior ſtilus eſt, & cum acumine coniunctus; quo iudicium acuitur & excitatur. Sunt præterea fecundæ antiquitatibus Romanis, & plurimæ de ſtudiis agunt literariis, argumento ſcholis digniſſimo. Eligi ex his quoque poſſunt vtiliores, quæ publice illuſtrentur, ſi tempus fortaſſe interpretandis omnibus non ſufficiat. Nam huius curſus quoque eſt vberior Virgilii interpretatio & Horatii; & Prudentii, præſertim in Hymnis & Martyrum coronis. Quod etiam Ciceronis orationes pleræque in materia verſantur, quæ minus idonea ad imitandum eſt; recentior orator, qui ad noſtra tempora accommodetur, eſt adiungendus qui ſi ex multis eligendus vnus ſit, non videmus qui *Petro Cunæo* in hoc vſu præferendus ſit. Plures quidem Muretum laudant, & laudandus omnino eſt: cuius autem plurimæ orationes ad Pontificis R. curiam magis, quam ad ſtatum noſtræ reipublicæ, aut rem litterariam applicatæ ſunt: Cuneanæ autem ſunt ſtilo Attico conſcriptæ & id ſingulare habent, quod in notis noſtris oſtendimus, quomodo ex variis ſcriptoribus, poetis & proſaicis, ad ſtilum æquabilem oratio perduci poſſit. Eloquentia hodie, longis orationibus exercenda, in anguſtos terminos coacta eſt, Panegyricos puta ſeu laudes Principum, ac parentationes claris viris poſt funera dicatas: iccirco in parentationibus Cunæus facem præferre poteſt,

Digitized by Google

qui clariſſimis Batauorum academiæ profeſſoribus parentauit: in principum panegyricis, qui grandi ſtilo ſcribendi ſunt, & magno ore perſonandi, exemplum ex *veteribus panegyricis*, qui Traiano, Diocletiano, Maximiano, Conſtantino, Iuliano, Gratiano, Theodoſio dicti ſunt, petatur: in quibus etiam Eumenii de *reſtaurandis ſcholis* oratio, quam ad præſidem Galliæ ſub Conſtantio Chloro habuit, præ ceteris iuuentuti conmmendanda eſt. Neque *Lactantius*, Chriſtianus auctor elegantiſſimus, ab hac claſſe eſt excludendus.

XIV. Hæc de publicis lectionibus, quæ non omne ſtudium abſoluant, ſed modum oſtendant, magiſtro monſtrante, quo ſtudia priuata & domeſtica ſint inſtituenda, quia in vltimo ſcholarum curſu ætas multarum capax lectionum eſt. Fidelis & eruditus doctor ſuos ad *Ciceronis reliqua* perlegenda hortatur, ad oratorios libros & philoſophicos, etiam ad plures orationes & epiſtolas. Deinde *Liuius* legendus, qui maximam latinitati perfectionem adfert: poſt *Seneca* in epiſtolis & philoſophicis, vnde, quæ ad ἤθη καὶ πάθη *mores & adfectus*, in orationibus ſunt neceſſaria, petantur: præterea *Quintilianus* pro rhetorica inſtitutione, *Curtius*, *Iuſtinus*, *Florus*, *Suetonius* propter hiſtorias, etiam antiquitatum cauſſa, licet Flori ſtilus turgidior ſit & ſimilis poetico: ceteri autem idonei ſunt, præter hiſtorias, etiam latinitati corroborandæ. Etiam epiſtolæ recentiores priuato ſtudio relinquantur, ſiue *Pauli Manutii* ſint, ſiue *Mureti*, aut alius, qui in ſeculo illo Ciceronem vnice imitabantur, quorum nota nomina ſunt; *Bembi*, *Sadoleti*, *Longolii*, *Sacrati*, aut ſi quis ad paucitatem rem redigi malit, *Ioannis Pici*, Mirandulani principis.

XV. Claudat hanc ſcholarum ſcenam *Cornelius*, *itus*, ſcriptor grauis, acutus & magni iudicii, a-imus ad politicam prudentiam diſcendam: ſed vſus conciſiore, paucis verbis magna rerum nenta exprimit. Hunc vltimum facimus eorum, legi priuatim velimus, antequam ex ſcholis ſtudia cademiam proferantur, quibus ſi quis pectus paratum habet, magna vtique ex ſuperioribus di-inis, & breui tempore complecti poteſt.

XVI. Sed audio a multis obiici, non poſſe fieri, m multa horis ſcholæ definitis, vel extra ordi-publicæ inſtitutioni adiectis, explicentur: neque priuata induſtria, quos nominauimus, auctores ſcholæ ſpatium percurri, minus intelligi & ad n applicari. Verum non deeſt, quod iis re-ideatur, qui tam curte & breuiter de adoleſcen-ingeniis ſentiunt. Non enim mens noſtra eſt, omnia ſimul tractanda, ſimul legenda eſſe. Tem-bus penſa diuidantur, & vnum poſt alterum ſu-atur: & vbi maiora videntur, prætermitti quæ-; meliora retineri, legi, & ad vſum transferri unt, vt nihilominus adoleſcens ex ſingulis ali-l capiat, nec hoſpes in vniverſa litteratura ſit. a quouis hæc exſpectamus, ſed ab ingeniis præ-tioribus, ac probatæ induſtriæ, & quibus conti-nagiſtris vti eruditis, alacribus, qui exhortentur, io induſtriæ exemplo etiam præcedant. In igna-, ſtupidis, deliciosis omnia ſecus ſe habent. d multa? Tam id equidem ſcio perfici poſſe, m me ſcio viuere. re enim ipſa nobilioribus niis expertus fui, immo plura, quam dixi in non-

 nullis

Digitized by Google

nullis ſum expertus, qui *Gellium* quoque, *Cornelium Celſum*, & *Columellam* cum poetis poſterioribus *Claudiano* & *Auſonio* addiderunt. nihil enim eſt quod erecta indoles & induſtria in hoc ſtudiorum genere non poſſint efficere.

XVII. Tantum de Latinis: de *Græcis* ſtudiis pauca addimus. *Nouum Teſtamentum* per omnes curſus explicandum eſt; in primo, cum elementis linguæ, quædam Dicta, vt vocant, aut Euangeliorum, quæ ſacris diebus exponuntur, pericopæ: in altero, integri libri vel euangeliſtæ vel apoſtoli alicuius: in tertio totum Teſtamentum, eiusque ſtilus cum profano Græciſmo componendus, & vbi opus, illuſtrandus ex eodem eſt, etiam multis locis ex Ebraiſmo (qvi in hac claſſe non debet incognitus eſſe) quem Ioannes Vorſtius (ſecus ac Sebaſtianus Pfochenius ſenſit) in Nouo Teſtamento luculentiſſime demonſtrauit.

XVIII. Addendi igitur ſunt alii ſcriptores, e quibus purus Græciſmus cognoſcatur. Plerique ad id Iſocratis orationes quasdam, quidam Demoſthenis Olynthicas, plures Plutarchi de educatione puerorum, in ſcholis induxerunt. Purus in iis ſermo, & ſummum in orationibus artificium: non autem pro captu & patientia adoleſcentulorum. Quibus enim Græca eloquentia hodie cordi eſt, aut quando vtimur iuſta eius linguæ oratione? ægre latinarum vſus ſeruatur; Græcam ſi vel exercitii cauſſa componatur, nemo audiet, quod nemo aut pauciſſimi intelligunt. Argumentum etiam orationum iſtarum (ad Demonicum Iſocratis excepta) alienum a ſtudiis adoleſcentiæ eſt; & omnes longiores, quam vt patienter

in

in ſcholis audiantur, præſertim ſi explicatio vnius per annum & amplius, vt fieri ſolet, extrahatur. Etiam Plutarchi liber longior eſt, eiusque principium ipuerecundum, vt caſtis auribus ætatis ſcholaſticæ ſine offenſione proponi & explicari nequeat.

XIX. Quare malimus hiſtoricos in illorum locum adſumi, quia & materia eſt iucundior, & in varias diuiſa ſectiones, & ſtilo non admodum difficili conſcripta & elaborata. Pro ſecundo curſu videtur *Paanius*, Eutropii metaphraſtes, ſufficere, recentior quidem, terſus vero & veterum imitator: vt hiſtoria Romana, quæ numquam ſatis inculcari poteſt, etiam Græce percipiatur, & ſenſim adſueſcant adoloſcentes, ſtilum pure Græcum a ſacro eiusdem linguæ diſcernere. Vltimo curſui *Aeliani* Variæ hiſtoriæ, & *Herodianus*, poſſunt ſatisfacere, quia paruæ molis libri ſunt, & ſcholis iccirco aptiores. Veteres & præſtantiſſimi, Thucidides & Xenophon, & ſumptu & materiæ diffuſione ſcholarum indolem & captum ſupergrediuntur. Addi poſſunt propter eandem breuitatem *Scylax* Caryandenſis geographus, & *Procli Sphæra* aſtronomi, vt ex diſciplinis ſimul aliquid cum lingua & ſermone condiſcatur. Qui vero acriori ſunt ingenio, priuatim ad maiora poſſunt adduci, ad Apollodori mythologiam, quam minori ætati Tanaquillus commendabat, cui vero Hyginus poteſt ſufficere: ad uberiores hiſtoricos, Thucydidem & Xenophontem: etiam ad orationes quasdam Domeſthenis aut Lyſiæ aut Andocidis, vt de Græca eloquentia, quam Cicero imitatus eſt, diſcant iudicare. Sed omnia hæc pro temporis, ingeniorum, & induſtriæ ratione ſunt moderanda.

DIS-

DISSERTATIO XIV.
DE
S. PAVLI APOSTOLI
ROMANA CIVITATE,
habita An. 1706.

LOnge vſus ſcripturæ ſacræ patet nec omnis illa myſteriis, ſaluti æternæ neceſſariis (quamuis hæc præcipua illius cura eſt ac intentio) abſumitur; ſed in humanas etiam ſcientias & diſciplinas varias vtilitatem ſuam diffundit. Quis enim neſcit, quantum iuris æquique prudentia inde ſibi petat? quantum ſana & ſalubris philoſophia, vt profanorum errores coarguat? Vel ſola antiqua hiſtoria teſtis eſt, quæ ſine diuinis litteris neque ſuppleri, neque penitus explicari poteſt: & quia hiſtoriæ adnexa eſt morum, rituum, antiquitatumque notitia, hæc quoque cum primis gaudet ex diuinis etiam litteris illuſtrari, quia philologia ſæcularis, vt eccleſiæ patres vocant, ſacris accommodata literis, omnium ſtudiorum iucundiſſimum eſt, etiam vtiliſſimum. Quam rem, fortaſſe non omnibus credibilem, exemplo vt demonſtremus, illuſtre illud de *Apoſtoli Pauli Romana ciuitate* proponemus, vnde lucide apparebit, quid profanæ litteræ ad lectionem hiſtoriæ ſacræ adferant, & e contrario quantum ſacræ litteræ profanas etiam ritus & antiquitates illuſtrent.

II. Bis ſanctus Apoſtolus ad iura ciuitatis Romanæ prouocauit, primum Philippis in Macedonia ad

fines

fines Thraciæ, Actor. xvi, 37, iterum cap. xxii, 25; & vtroque loco aduerſus iniurias Romano ciue indignas, ſe defendit. Poſſunt enim Chriſtiani etiam, ſanctique homines, ciuili iure vti, eoque ſe aduerſus vim atque iniurias tueri, ne, ſi omnia in ſe admittant, omnia patiantur, ſalubre aliquod opus impediatur, ad quod, vt perficiant, a Deo erant deſtinati.

III. Sed penitus hunc locum inſpiciamus. A Philippo rege vrbs Philipporum condita, quam partem Thracia, quæ trans Strymonem ad Neſtum vsque fluuium eſt, ereptam Thracibus Macedoniæ ſuæ adiunxiſſet. Auguſtus Cæſar colonia auxit, id eſt veteribus incolis nouos colonos cum iure Italico, quod genus immunitatis eſt, addidit. Coloniam fuiſſe teſtis eſt Plinius lib. iv cap. xi *Intus Philippi, colonia.* Quod Auguſtus deduxerit, ex nummo Claudii perſpicitur, hanc epigraphen præferente: COL. AVG. IVL. PHILIPP. Subnotatum DIVVS AVG. Conditio coloniæ non ex infima ſorte erat, quæ, vt Vlpianus lege i Dig. de Cenſibus ſect. iv dixit, *nihil præter nomen habent coloniæ*: ſed ex nobiliori ordine, quod eodem Titulo I. C. Paullus lege viii ſect. viii confirmat: *In prouincia Macedonia Dyrracheni, Caſſandrenſes, Philippenſes, Dienſes, Stouenſes iuris Italici ſunt.*

IV. Ex his nunc diuini ſcriptoris verba facilius intelliguntur v. 12. *Inde venimus in Philippos*, ἥτις ἐςὶ πρώτη τῆς μερίδος τῆς Μακεδονίας πόλις κολώνια, *quæ eſt prima partis Macedoniæ vrbs colonia.* Dicitur prima dignitatis cauſſa, non ſitus ratione: hoc eſt princeps & primaria. Prius enim Paulus

Neapolim venerat, quæ etiam illius Macedoniæ erat; poſtea Philippos, quæ ſic in itinere illo non prima vrbs, ſed ſecunda Paulo fuerat. Colonia autem iuris Italici fuit, non ciuium Romanorum, immunitate tamen præter alia gaudens beneficia. Eiecto maligno ſpiritu ex ancilla, quam fatidicam coloni crediderunt, auctores beneficii in forum rapti accuſabantur apud *ἄρχοντας*, e quibus *ϛρατηγοὶ*, *ſtrategi* eos veſte ſpoliatos *ῥαβδίζεσθαι*, virgis cædi & coniici in carcerem iuſſerunt. Hugoni Grotio hi archontes & ſtrategi ſunt iidem, *duumuiri coloniæ*; nobis vero eatenus videntur diſtinguendi, vt *ἄρχοντες* iudicium totum ſint, qui in foro conſidebant, decuriones atque iudices: *ϛρατηγοὶ* autem *duumuiri*, qui quaſi conſules decurionibus præerant, & totum buleuterium dirigebant. *ϛρατηγοὶ* enim Latine *pretores* ſunt, quod nomen etiam in quasdam colonias adſumtum fuit. Cicero Agrar. II. cap. XXXIV *Quum in ceteris coloniis duumuiri appellentur, Capuæ ſe pretores appellari volebant.* Gloſſæ veteres: *ϛρατηγὸς*, *magiſtratus, duumuir.* Et *ϛρατηγία*, *magiſtratus, duumuiratus.* Alius vero in iisdem Gloſſis eſt *ϛρατηγὸς Ῥώμης prætor*: quo inter præturam Romanam & præturam coloniæ diſtinguitur.

V. Miraculo autem ex vinculis iam liberati erant, quum mane duumuiri illos liberos eſſe & abire permitterent. Tum vero diuinus Paulus negauit ſe, quaſi noxium hominem & merito cæſum, abiturum eſſe, ſeque ciuitatis iure aduerſus vim & acceptas tuetur iniurias, quod contra ius Romanorum ciuem Romanum & indemnatum, publice virgis cæſum in vincula

duriſ-

Digitized by Google

duriſſima coniecerint. His duumuiri terrefacti venerunt deprecatum, quos heri inſontes puniuerant, vt placide, vitandi tumultus cauſſa, ex vrbe migrarent. Tanta maieſtas Romani erat nominis. Lex Porcia erat, ad quam Paulus prouocabat, quæ, vt Cicero pro C. Rabirio cap. IIII dixit, *Porcia lex virgas ab omnium ciuium Romanorum corpore amouit:* eadem & vincula, & quæuis ſupplicia amouit, vt ex Verrina VII cap. LXIII manifeſtum eſt.

VI. Sed quæris, cur Paulus non antea prouocarit, quam cæderetur, vt Act. XXII, 25 fecit; ſaltem priusquam iniiceretur in carcerem? Ad poſterius Ioannes Chryſoſtomus reſpondet Homil. XXXVI in Acta p. 319 *θορύβου μεστὸς ὁ ἄνθρωπος ἦν καὶ ταραχῆς, καὶ οὐκ ἂν παρεδέξατο, tumultu ac turbatione plenus erat homo,* (præfectus carceri) *& non ſuſcepiſſet verba.* Eumdem tumultum in foro etiam obſtitiſſe, quo minus legem appellaret, haud quaquam eſt dubitandum. Sed tamen etiam alia ratio, eaque ſanctior videtur ſubfuiſſe, quam ita Guilielmus Eſtius in I Corinth. XI, 25 expoſuit: *non putauit Paulus, ſibi id faciendum* (vt Romanum ſe appellando euaderet) *niſi gloria Dei & ſalus eccleſiæ hoc videretur poſtulare. Nam utique Act.* XVI *virgis cædi ſe permiſit, nec Romanum ſe declarauit, niſi poſtera die, quando magiſtratus iubebat eum dimitti. Quod ſi initio ſe dixiſſet ciuem Romanum; non fuiſſet occaſio conuertendi ad fidem Chriſti, cuſtodem carceris cum tota domo.*

VII. Tandem quod Paulus v. 37. ſe *Ῥωμαίους, Romanos*, plurali numero, dixit indigno modo habi-

tos fuiſſe, quæritur an Silas, vna cum Paulo cæſus & in vincula coniectus, fuerit etiam Romanus ciuis? De Silæ ciuitate nihil conſtat: neque ciuem fuiſſe veroſimile eſt, quia eo tempore Romanum ius rarum in Aſia & oriente erat & difficile ad conſequendum. Ideoque Grotius *ſynecdochen* in voce Ῥωμαίους ineſſe dixit, qua ſæpe pluralis per ſingularem exponatur, vt Matth. XXVII. 44. Aut includit Paulus Silam, dum ſe ciuem appellauit, quia ambo innocentes, ambo indemnati ignominiam pœnalem paſſi fuerant. Sed hæc de priore loco Act. XVI: ante vero quam ad alterum, qui plenior eſt, progrediamur explicandum, de ciuitatis iure, eiusque prærogatiua & priuilegiis, diſtincte & ſingulariter agemus, vt expeditiores rationes ad ea, quæ reſtant explananda, habeamus.

VIII. Exactis regibus, ſub quibus non optimus ſtatus ciuitatis fuit, ſtatim aucta dignitas ciuium, præſertim quum conſulares faſces Poplicola Valerius accepiſſet. Ibi, quod Val. Maximus refert lib. IV cap. 1, fundamenta iacta legis Porciæ atque Semproniarum, quibus ſumma iura ciuitatis circummunita eſſe poſtea exiſtimatum fuit. Ampliati mox honores, plebeio magiſtratu inducto, qui cauſſam plebis contra patricios & ſenatum tueretur, etiam deinceps conſulari faſtigio cum plebe communicato. Sed initio anguſtis terminis Romana ciuitas continebatur, vix extra pomœria vrbis in vicinum agrum ſeſe proferens; Latinis quoque populis, ſeu habitatoribus Latii, excluſis: poſtea quibusdam oppidis, ſed

pau-

Digitized by Google

paucis, adſumtis antequam toti Latio lege Iulia ciuitas daretur.

IX. Multa ciuitatis iura aut præcipua recenſet Cicero II Agrar. cap. XXVII *Si me audire vultis, retinete iſtam poſſeſſionem gratiæ, libertatis, ſuffragiorum, dignitatis, vrbis, fori, ludorum, feſtorum dierum, ceterorumque omnium commodorum.* Non autem hæc ſunt omnia; ſed plura vtique referri poſſunt: teſtamentum facere; accipere ex teſtamento; cenſus Romanus; connubium inter ciues; togæ vſus; honores petere, capere, gerere; a vinculis, verberibus, ſuppliciis immunem eſſe, militare in legionibus, & alia.

X. Creſcente Romanorum potentia ius ciuitatis etiam magis atque magis per Latium Italiamque & colonias ſenſim ac particulatim propagatum fuit, nec forſan in ipſa vrbe omnibus datum communiter. *Ius* enim *Quiritium* ab iure *ciuitatis* diſtinguebatur, vt ex Plinii lib. X epiſtolis IV, & VI, & CV poteſt perſpici: & minus eſt *Quiritium* quam *ciuitatis*, quia illud priuata tantum iura tribuebat; hoc, præter illa, quoque publica. Vir illuſtriſſimus & ſummus patronus noſter, potentiſſimi Regis Boruſſiæ ad auguſtam Britanniarum Reginam Legatus ſplendidiſſimus EZECHIEL SPANHEMIVS in Orbe Romano, nuper Londini edito, p. 228. *Ea inter ius Quiritium & ius Romanæ ciuitatis diuerſitas, vt illud priuata & propria ciuium Romanorum iura, libertatis puta, connubiorum, patrium, legitimi dominii, hereditatis, vſucapionis, nexus, vulgo deſignaret; iure autem ciuitatis Romanæ, ſeu Romana ciui-*

ciuitate, publicum inſuper ius, puta ſuffragiorum, bonorum Romæ adipiſcendorum, cenſus, tributorum, vectigalium intelligatur. Valeant ergo, ſummopere nobis alioqui veneranda nomina, Buchnerus & pater Gronouius, qui aliter ſentiunt: τοῦ πάνυ Spanhemii iudicio primas damus, idque pro norma & regula habemus noſtra.

XI. Latium autem ſiue Latini populi, in quibus ipſa Roma ſita erat, quamuis Romæ poſt bella multa ſe dederant, non tamen ſtatim ius ciuitatis obtinuerunt, ſed prærogatiuam aliquam præ ceteris Italicis, qua ipſis aditus ad ciuitatem non ſimpliciter, ſed conditione certa patebat: quod tum illis temporibus, tum etiam poſt datam Latio integro ciuitatem *ius Latii veteris*, ſeu *Latinitas*, fuit appellatum, & multis etiam extra Italiam impertitum. Nota eſt formula Romana in exercitu recenſendo, qua *ciues*, *Latinos*, *ſocios* id eſt Italos, diſtinguebant. Salluſtius Iug. cap. XXXIX *ab ſociis & Latino nomine auxilia arceſſere.* Et cap. XL, *per homines nominis Latini & ſocios Italicos.* Et cap. XLII *per ſocios & nomen Latinum.* Et Liuius lib. XXII cap. LVII *quatuor ex his legiones, & mille equites effecti. item ad ſocios Latinumque nomen ex formula accipiendos mittunt.* Adde lib. XXXV cap. XX. Sub finem autem Socialis belli, ſiue Italici, lege Iulia (L. Iulii Cæſaris) Latio, vt diximus; & breui poſt tempore vniuerſæ Italiæ, data ciuitas eſt. Cicero pro Balbo cap. XXI *Ipſa denique Iulia, qua lege ciuitas eſt ſociis & Latinis data.* Atque hic ſtatus in Italia.

XII. In prouinciis, quæ ratio fuerit, quod propius

pios ad cauſſam noſtram, id eſt Pauli, prouincialis hominis, ciuitatem pertinet, nunc quoque inueſtigandum eſt. In prouincias Romani mores per victorias & colonias deducti ſunt. Coloniæ autem, nec in ipſa Italia, æqualis erant iuris & prærogatiuæ, ſed aliæ *Latinæ*, quæ iure Latii fruebantur, vt Bononia, *Liuius* xxxvii, *cap.* lvii; & Aquileia *lib.* xxxix *cap.* lv; aliæ *ciuium Romanorum*, vt Mutina, Parma, *ibidem*: aliæ, vt pleræque extra Italiam, *iuris Italici*, quod infra Latinitatem eſt, quemadmodum ex Digeſtorum titulo de Cenſibus manifeſtum eſt. Nec ciuium Romanorum coloniæ, vti dicebantur, plenum ius ciuitatis retinebant, ſed, vt Carolo Sigonio de Iure Italiæ lib. II cap. III videtur, & a laudatiſſimo Spanhemio Orb. Rom. p. 71 ſeq. luculentis teſtimoniis confirmatur, ſola iura Quiritium priuata illis relicta, publica ſuffragii, & honorum in vrbe gerendorum (niſi per ius Latii) penitus abiudicata, quod in coloniis extra Italiam fuit perpetuum; in Italia autem, poſt ius vniuerſæ datum, aliter.

XIII. Peregrinis multis Iulius Cæſar ſigillatim ciuitatem dedit ciuili bello, a cuius exemplo & æmulatione ciuitas extra Italiam propagari cœpit. Dio Caſſius lib. xliii p. 233 ed. Hanov. de præmiis, in Hiſpania poſt victoriam diſtributis: ἔδωκε μὲν χωρία, καὶ ἀτέλειαν, πολιτείαν τέ τισι, καὶ ἄλλοις ἀποίκοις τῶν Ῥωμαίων νομίζεσθαι, *aliis agros & immunitatem dedit, aliis ciuitatem, aliis vt eſſent coloni Romanorum.* Galliæ primores plerique etiam ciuitate circa tempora illa donati, ſine tamen

ſuffra-

ſuffragiis & iure petendi honores. Vide Tacit. *lib.* XI cap. XXIII, & ibi Lipſium. Integræ *Gaditanæ* ciuitati Cæſar Iulius ciuitatem dedit. Dio Caſſius lib. XLI p. 164. τοῖς Γαδειρεῦσι πολιτείαν ἅπασιν ἔδωκεν, *Gaditanis omnibus ciuitatem dedit:* etiam Gallis Transpadanis, quod idem pag. 170 hiſce expreſſit, τοῖς Γαλάταις τοῖς ἐντὸς τῶν Ἄλπεων ὑπὲρ τὸν Ἠριδανὸν οἰκοῦσι, τὴν πολιτείαν ἀπέδωκε, *Gallis Ciſalpinis, trans Padum habitantibus, ciuitatem dedit:* quum antea tantummodo ius Latinitatis a Strabone Pompeio habuiſſent, teſtante Aſconio in Piſoniam p. 156.

XIIII. Parcior Auguſtus in donanda ciuitate fuit: tamen & aliquando totis ciuitatibus dedit. Suetonius cap. XL, *ciuitatem Romanam parciſſime dedit:* & cap. XLVII *vrbium quasdam, merita erga populum Romanum adlegantes, Latinitate, vel ciuitate donauit.* Multas autem colonias varii ordinis, præſertim in Hiſpaniam & Galliam deduxit; etiam municipia fecit; quæ ſunt oppida ciuitate donata, in Italia duplicis generis, vel cum ſuffragio, vel ſine illo: in prouinciis ſemper ſine illo; quæ Plinio ſunt *oppida ciuium Romanorum.* In Auguſti nummis: MV. CAL. IVL. id eſt *Municipium Calugurris Iulia,* cum Auguſti capite. Et eiusdem nummo, MVN. ERGAVICA; quod etiam Hiſpaniæ eſt: item MVN. ILERDA. Et lapide antiquo Lucii Cæſaris Auguſti F. Iulii N. (Gruter. p. 234) MVNICIPIVM ALBENSE VRGAVONENSE, itidem in Hiſpania. Ac in Africa percuſſo nummo Auguſti vel Tiberii MVNICIP. IVL. VTICENS. Complura ad

eum-

eumdem modum ſunt ſignata apud peritiſſimum antiquitatis interpretem, Ioannem Vaillantium de Nummis in coloniis, municipiis & Latio donatis vrbibus percuſſis. Fuerunt præterea vrbes *liberæ*, quæ neque coloniæ, neque municipia eſſent: etiam integri *populi liberi*. Hæc libertas in αὐτονομίᾳ conſiſtebat, vt ſuis vterentur legibus, ſuos ſibi magiſtratus crearent; immunes eſſent ab iurisdictione Romani præſidis, & ne præſidiis Romanorum tenerentur: quod vero ad immunitatem a tributis, niſi ſpeciatim conceſſa fuerit; aut ad ſupremam præſidis curam non eſt extendendum: quod ex Cicerone in Piſonem, Polybio lib. xv cap. xviii, Liuio lib. xxxv cap. xlvi ab aliis demonſtratum eſt. Vide illuſtriſſimi Spanhemii Orb. Rom. Exercitat. ii cap. x extrem.

XV. Hæc diſputando præmittenda erant, vt ad Pauli ciuitatem explicandam, & Tarſi patriæ iura inuenienda aliquid lucis nobis adferrent, ne in obſcuro & impedito argumento aberremus ab recto & antiquo tramite. Summa illorum hæc eſt: Ciuitatis iura principio intra vrbem erant: deinde cum quibusdam Latii communicata oppidis, ſed paucis: poſtea toti Latio data lege Iulia, & breui poſt vniuerſæ Italiæ. Coloniæ quæ interea per Italiam ex Romana vrbe deductæ erant, aliquid iuris priſtini retinebant, non autem plenum: quod etiam de coloniis prouinciarum eſt intelligendum. Erant enim coloniæ non vnius omnes conditionis, ſed aliæ ciuium Romanorum, aliæ Latinæ, itidem aliæ iure Italico. Prouinciarum autem ciuitates, beneficiis adfectæ Romanorum, erant vel coloniæ, & hæ quo-

que

Digitized by Google

que diuerſi generis; vel municipia; vel oppida libera; ideoque ſemper inter ſe diſtinguendæ, non confundendæ.

XVI. Coloniæ *ciuium Romanorum*, ſeu *Romanæ*, non pleno iure gauiſæ ſunt, ſed tantum Quiritium: *Latinæ* autem coloniæ ne Quiritium quidem iure gaudebant, in quam ciues inuiti ſæpe proficiſcebantur, vt ex Ciceronis pro Cæcina cap. XXXIII extr. notum eſt. Tamen etiam ab iure Latii ad ciuitatem, vt ſupra diximus, certa conditione aditus patebat. Coloniæ autem *iuris Italici*, vt pleræque erant ſub Cæſaribus, quod ex Digeſtorum titulo de Cenſibus conſtat; immunitate quadam fruebantur, nec vero omni, ſed vel capitis, vel ſoli, vel vtriusque. *Municipia* per ſe libera erant, & aliquantum de ciuitatis iure poſſidebant. De oppidis *liberis* in Romano orbe, & quanta illorum libertas fuerit, ſupra diximus: quæ raro, nec niſi ſpeciali indulgentia, immunitatem tributorum adiunctam habuerunt.

XVII. Hæc de ciuitatum & populorum conditione. Singulatim autem quibusdam ob ſingularia merita non raro ciuitas eſt data, aut ius Quiritium, aut ius Latii veteris, cuius rei exempla apud Plinium ſunt lib. X epiſt. IV & VI, & CV: ſed quæ ætatem Pauli, de qua nunc agimus, eiusque ritus ac conſuetudines tranſcendunt: vetuſtiora itaque ſunt nobis adferenda. Cicero pro Balbo cap. IX *ſtipendiarios ex Africa, Sicilia, Sardinia, ceteris prouinciis multos ciuitate donatos videmus: & qui hoſtes ad noſtros imperatores perfugiſſent, & magno vſui reipublicæ noſtræ fuiſſent, ſcimus ciuitate eſſe donatos.*

Et

Et ibidem cap. XXI ſingularia exempla nominatim refert, *P. Cæſium*, quem Pompeius Strabo; *Maſſilienſem Ariſtonem*, quem Sulla; *Q. Fabium Saguntinum*, quem Metellus Pius; *Aletrinenſem* fœderatum, quem M. Craſſus ciuitate donauit.

XVIII. Modus perueniendi ad ciuitatem erat multiplex, cuius varietatem Diocletianus lege VII Cod. de Incolis, his verbis tangit, *Ciues quidem origo, manumiſſio, adlectio vel adoptio; incolas vero domicilium facit:* amplitudinem eius non comprehendit. Fuit enim etiam *emtionis* modus, is autem non laudabilis, tamen poſtquam vulgari ciuitas cœpit, introductus. Antonius ſic falſa Cæſaris lege ciuitatem Siculis vendidit. Cicero lib. XIV ad Attic. epiſt. XII, *ecce autem Antonius, accepta grandi pecunia, fixit, legem a dictatore comitiis latam, qua Siculi ciues Romani; cuius rei, viuo illo mentio nulla.* Atque ita chiliarchus, ſiue tribunus militum, Act. XXII, 28 dicit πολλῦ κεφαλαίυ, *grandi ſumma ſe hanc ciuitatem adquiſiviſſe.* Quod quamuis iniquum ſit, virtutis nempe præmia & meritorum indignis vendere; tamen videbatur ad rei dignitatem & æſtimationem ipſius ciuitatis pertinere, ſi vendenda eſt, magno illam vendi pretio, ne auctoritas illius euileſcat. Quod & Saluianus Maſſilienſis lib. V de Gubernatione Dei p. 108 reſpexit, *nomen*, dicens, *ciuium Romanorum aliquando non ſolum magno æſtimatum, ſed magno emtum; nunc vltro repudiatur ac fugitur.*

XVIIII. Hiſce ita præparatis ad Pauli ciuitatem Romanam, ex altero loco diuini ſcriptoris, Act. XXII 25. ſeq. explicandam, nos conuertimus. *Tarſenſis*

Zz fuit

Digitized by Google

fuit Apoſtolus ex nobili Ciliciæ ciuitate Græcæ originis ab Argiuis condita, ideo plena etiam Græcorum ſtudiorum. Strabo lib. xiv pag. 463 de ea: τοσαύτη τοῖς ἐνθάδε ἀνθρώποις σπουδὴ πρός τε φιλοσοφίαν καὶ τὴν ἄλλην ἐγκύκλιον ἅπασαν παιδείαν γέγονεν, ὥσθ' ὑπερβέβληνται καὶ Ἀθήνας καὶ Ἀλεξάνδρειαν, καὶ εἴ τινα ἄλλον τόπον δυνατὸν εἰπεῖν, ἐν ᾧ σχολαὶ καὶ διατριβαὶ τῶν φιλοσόφων, καὶ τῶν λόγων γεγόνασι. *Tantum Tarſenſibus ſtudium philoſophiæ aliarumque inter ſe connexarum fuit artium, vt ſuperauerint Athenas & Alexandriam, & ſi quis alius locus nominari poteſt, vbi ſtudia liberalia & philoſophiæ ac eloquentiæ exercitationes floruerint.* Hinc intelligimus, vnde tanta philoſophiæ, eloquentiæ, omnisque litteraturæ facultas ſancto Apoſtolo, præter illam diuinam, in tertio cælo infuſam & inſtitutam, adfuerit. nam patrio more his artibus a puero fuerat imbutus, quibus via planior ad diſciplinas alias efficitur; etiam ad ipſam ſacram doctrinam, expeditius tradendam, inſtrumenta & ſubſidia adferuntur: quod ex hiſtoria actorum illius & epiſtolis luculentum eſt.

XX. Duplex autem ei patria erat, *loci*, quæ Tarſus; & *iuris*, quæ Roma, cuius ciuis erat: quod de omnibus municipiis ita tenendum eſt. Ciuitatem Romanam quomodo conſecutus fuerit, ipſe Act. xxii declarat, ortu videlicet; *ego vero*, inquit, γεγέννημαι, *natus ciuis ſum.* Parentes autem aut maiores quo adepti modo ſint, non liquet. Interpretum alii ad *coloniam* referunt, alii ad *triumuiros*, Antonium præcipue, a quibus hoc iure omnes Tarſenſes fuiſſe auctos & ornatos credunt, quod Philippenſi bello

pro-

propter Cæſarianas partes a C. Caſſio ſpoliati fuerint, a triumuiris vero poſt victoriam recreati & magnis adfecti beneficiis, quod ex Dionis Caſſii lib. XLVII p. 345 conſtare ſibi exiſtimant. Hoc quidem ita ſibi perſuaſum habent, vt indignentur, ſi quis dubitare velit, Tarſenſes Romanæ ciuitatis iure dotatos fuiſſe.

XXI. Verum pace illorum & dubitare nobis liceat, & ſi res exiget, aperte ab illis diſſentire. Coloniam tum Tarſum Romanam fuiſſe, nec hiſtoricus neque geographus dixit vllus. Plinius lib. v cap. XXVII tantum *liberam* dicit, non coloniam. *Cydnus*, inquit, *Tarſum liberam vrbem procul a mari ſecans.* Et Appianus lib. v Ciuil. p. 1077 de Antonio: ταρσέας ἐλευθέρους ἠφίει καὶ ἀτελεῖς φόρων, *Tarſenſes permiſit liberos eſſe & immunes tributorum.* Nihil hic neque de colonia, neque de ciuitate. Nec Dio eos, qui ita ſentiunt, adiuuat, qui tantum dicit, ſpem Tarſenſes, ἀντιλήψεσθαί τι, *aliquid recepturos eſſe* pro damno, a triumuiris accepiſſe.

XXII. Auguſtus quoque benignus in Tarſenſes fuit & quidem precibus Athenodori Tarſenſis, præceptoris ſui, dedit vt immunes eſſent, quod Lucianus in Macrobiis pag. 829 recenſet. *Athenodorus*, inquit, *Tarſenſis*, διδάσκαλος Καίσαρος Σεβαστοῦ Θεοῦ, ὑφ' οὗ ἡ Ταρσέων πόλις καὶ φόρων ἐκουφίσθη, *preceptor diui Cæſaris Auguſti, a quo vrbs Tarſenſium vectigalibus leuata eſt*, quod modo Appianus Antonio tribuebat: ſed hæc facile inter ſe conciliari poſſunt, quia non vna fuit immunitas, ſed vel capitis, vel ſoli, vel proprie dictorum vectigalium, quæ non ſemper coniuncta tribuebantur, ſed diuiſa ſæpius ac ſeparata, vt omnino Octauianus Antonii beneficiis,

Digitized by Google

quod adderet, haberet. Immunitas autem neque coloniam euincit, multo minus Romanam ciuitatem.

XXIII. Plura putant qui diſſentiunt a nobis, in Dione Chryſoſtomo, Pruſæenſi ſophiſta & oratore, inueniſſe, Oratione XXXIV, quæ *Tarſenſis* eſt altera (Ταρσικὸς δεύτερος) poſt principium, *κακεῖνος*, inquit, *ὑμῖν παρέσχε χώραν, νόμους, τιμὴν, ἐξουσίαν τοῦ ποταμοῦ καὶ τῆς θαλάττης τῆς καθ' αὑτήν.* Et *ille* (Auguſtus Cæſar) *vobis dedit agrum, leges, honorem, poteſtatem fluuii mariſque vicini*, quæ ſummus vir, Daniel Heinſius, Exerc. in N. Teſt. pag. 298 large interpretatur: AGRVM, *liberum videlicet ac ſic immunem*: LEGES, *quæ de libertate municipiis conferri ſolitæ*: HONOREM, *ipſum ciuitatis nempe ius, eximium inprimis ac præclarum.* Eſto vero, *agro* immunitatem ſoli; *legibus*, municipales leges ſeu *αὐτονομίαν* denotari; an vero *τιμὴ honor*, ſit ipſum ciuitatis ius, non ſine cauſſa dubitamus, quia plura honorum genera ſunt, & ſatis honorificum fuit Tarſenſibus, *πρώτους εἶναι τοῦ ἔθνους*, vt ibidem aureo ore Dion dixit; & regionis *μητρόπολιν.*

XXIV. Nec nomen Ἰουλιόπολις, *Iuliopolis*, quod Dio Caſſius lib. XLVII p. 342 habet, coloniam arguit a Cæſare deductam, ſed, quod ſemper partes Cæſaris ſecuti Tarſenſes, vrbem ſuam ipſi (non Cæſar) Iuliopolim transnominauerunt: quam vero ita deinceps, atque etiam ab aliis, appellatam fuiſſe, nobis eſt incertum. In nummo quidem Caracallæ, quem Patinus pag. 310 deſcripſit, videtur Tarſus *colonia* vocari, quia ita perſcriptum in eo dicitur, ΚΟΛ....ΙΟΝ ΕΛΕΥΘ. ΤΑΡC. quod etiam Harduinus legit *Colo-*

nia

Digitized by Google

nia Antoniniana libera Tarſi. Verum lapſi ſunt viri doctiſſimi, nec nummum recte inſpexerunt, quem ex regia gaza diligentiſſime conſideratum clariſſimus vir Andreas Morellius Tab. IV Speciminis ita *αὐτόπτης* delineauit, ΚΟΙΝΟΒΟΥΛΙΟΝ ΕΛΕΥΘ. ΤΑΡC. *Senatus libera Tarſi.* Finge etiam recte legi ΚΟΛ. id eſt *coloniam*; tamen quia non prius ita nominata fuiſſet; a Caracallæ ætate de æuo Pauli aut ſuperiore iudicare non licebit. Nihil autem hoc nummo, vt genuinus eſt, pro Tarſo poteſt adſeri, quam *liberam* fuiſſe, id eſt *αὐτονόμον* ſeu ſuis legibus vtentem: quod ſupra etiam Plinius & Appianus prædixerant.

XXV. Quodſi ergo Tarſus colonia non fuit, & nec tota ius ciuitatis habuit, ac proinde nec fuit municipium; vnde ergo, quæris, maioribus Pauli ius Romanæ ciuitatis? Abſit, vt ex *manumiſſione* putemus, quum potius ingenuos & honeſtos parentes Pauli credamus fuiſſe. nec Hugoni Grotio dicam ſcribemus ad hunc locum commentanti, *Vnde colligas, ex opulenta familia fuiſſe Paulum: neque vana eſſe, quæ veteres Græci ad hunc locum dixere.* Nec *emtione*, maiores Pauli credamus Romanos ciues factos, quum quilibet honeſtos, integros, & auerſos ab ambitione aut lucro illos exiſtimet fuiſſe. Vix etiam illo tempore modus ille non laudandus in orientis prouinciis auditus fuit. Parum quoque *adoptio* in illis regionibus nota erat, nec probari poteſt, fuiſſe illo tempore Tarſi, qui maiores Pauli in ius ciuitatis adlegerent ſeu adoptarent. Quare, diſpulſis aliorum opinionibus, non poſſumus, quin in lau-

Digitized by Google

dati Grotii ſententiam, quam etiam illuſtriſſimus SPANHEMIVS approbauit, ſecedamus, qui aliquem ex Apoſtoli maioribus, ſingulari merito, ciuilibus Romanorum bellis, illud ius a duce Romano vel principe impetraſſe autumat. *Reſtat*, inquit, *vt aliquis maiorum Pauli bellis ciuilibus, quæ inter Cæſarem Auguſtum & Brutum Caſſiumque, aut etiam inter eumdem Cæſarem & Antonium interceſſere, ius illud ſibi comparauerit.* Non ergo commune Tarſenſium omnium fuit, ſed ſingulare quorumdam bene de republica meritorum, in quibus etiam vel pater vel auus fuit Apoſtoli.

XXVI. Quod vero parentes Pauli Iudaicæ profeſſionis fuerunt, poſſit dubitari, an illis ad dignitatem Romanæ ciuitatis adſpirare licuerit. Videtur Cicero pro Flacco cap. XXVIII id negare, ſaltem vocare in dubium. *Stantibus*, inquit, *Hieroſolymis, pacatisque Iudæis, tamen iſtorum religio ſacrorum a ſplendore huius imperii, grauitate nominis, maiorum inſtitutis abhorrebat.* Quæ illa *grauitas nominis*, niſi appellatio *ciuis Romani?* Verum ex vſu illorum temporum conciliari facile poſſunt quæ videbantur repugnare. Cicero & plerique Romanorum auerſati ſunt Iudæorum religionem, quod a Romanis ſacris longiſſime diſtabat: nec vero hæc diuerſitas ciuiles honores & ἰσοπολιτείαν tollebat, vt claris illorum temporum exemplis demonſtrari poteſt. Cæſar Iulius Antipatro, Herodis patri, Iudæo proſelyto ſeu ex proſelytis orto, quod ſtrenue rem in Aegypto geſſerat, dicitur Ioſepho lib. XIV Antiq. cap. XV πολιτείαν ἐν Ῥώμῃ δούς, *ciuitatem Ro-*

Digitized by Google

Romanam dediſſe. Et quos Pompeius, Hieroſolymis captis, Romam abduxerat, quum ipſi aut illorum liberi ciuitatem poſtea indepti eſſent, nec Auguſtus ignoraret, quæ ſacra in ipſa vrbe, abhorrentia ab Romanis, colerent; tamen, quod Philo Legatione ad Caium p. 1014 refert, οὔτε ἐξῴκισε τῆς Ῥώμης ἐκείνους, οὔτε τὴν Ῥωμαϊκὴν αὐτῶν ἀφείλετο πολιτείαν, *neque Roma illos excedere iuſſit, neque illis ciuitatem Romanam abſtulit.* Ipſe hiſtoricus Ioſephus in vita ſua p. 1031 dicit, Veſpaſianum ſe multis beneficiis adfeciſſe, πολιτείᾳ τε Ῥωμαίων ἐτίμησεν, *& Romanorum ciuitate honoraſſe.* Annon ergo aliquis ex Pauli maioribus ſimiliter potuit ius ciuitatis impetrare, non obſtante ſacrorum & religionis diuerſitate? Non puto illius temporis Iudæos Romanis magis exoſos fuiſſe, quam fuere poſterioribus, aut, qui ſucceſſere, Chriſtianis, nihilominus honoribus, decurionatu, tutoris officio & aliis inter deorum cultores & Chriſtanos ornari potuerunt: quod ex Digeſtis & Codice vir maximus EZECHIEL SPANHEMIVS, quem honoris cauſſa ſemper nominamus, erudite ac luculente demonſtrauit O. R. cap. XVI pag. 144. ſeq.

XXVII. Iis ergo, quæ de Tarſi eredita colonia, & de vrbi donata ciuitatis iure, aut Pauli parentum ſingulari iure dicenda erant, expeditis; quæ de Paulo intentata *flagellatione* reſtant, propter quam indignitatem ad ius Romanum prouocauit, nunc breuiter explicaturi ſumus. Philippis, Macedoniæ vrbe, virgis cæſus fuerat, quod a ſua, Romani hominis dignitate, alienum iniuſtumque eſſe etiam du-

tumuiri coloniæ, non ipſe ſolus, die poſtero exiſtimabant: Hieroſolymis autem flagellis, quod ſeruile erat ſupplicium, indignius obiiciebatur, ideoque ferre Paulus, Romanus homo, non poterat, neque debebat; atque ciuem ſe Romanum, antequam flagellaretur, centurioni indicabat. Illa vox mihi ſimilis videtur implorationi, cuius Cicero Verrina vltima cap. LVII meminit, CIVIS ROMANVS SVM: *quam ſæpe multis, in vltimis terris, opem inter barbaros & ſalutem tuliſſe* ait. Et cap. LXII, quum Meſſanæ in foro ciuis Romanus virgis indigno modo cæderetur, dicit *nullam aliam vocem iſtius miſeri inter dolorem crepitumque plagarum auditam eſſe, niſi hanc* CIVIS ROMANVS SVM.

XXVIII. Tanto iuſtior hæc vox in Paulo erat, quo ignominioſior, quam virgæ, eſt flagellatio, ad quam tum ille poſtulabatur. Grauius enim eſt flagellis cædi & proprium ſeruorum, quam virgis, fuſtibus, aut ſcutica. Cicero dicta Rabiriana cap. IV εἰρωνικῶς diſcrimen & intenſionem ſignificat. *Porcia lex*, inquit, *virgas ab omnium ciuium Romanorum corpore amouit: hic miſericors flagella retulit.* Et Macer lege X Dig. de Pœnis: *ex quibus cauſſis liber fuſtibus cæditur; ex his ſeruus flagellis cædi & domino reddi iubetur.* Et Horatius lib. I ſat. III verſ. 119

Ne ſcutica dignum horribili ſectere flagello.

Indignum ergo erat, Paulum, liberum hominem & Romanum, ſeruili ſubiici ſupplicio, qualis omnium confeſſione eſt flagellatio. Terentius Adelph. act. II ſcen. I

Vſque

Vſque ad necem operiere loris. SA. *loris? liber?* Miratur Sannio & indignatur, quod Aeſchinus ſibi qui liber ſit & ingenuus, lora ſiue flagella minetur. Non autem hoc loco tam in pœnam, quam in explorationem veritatis flagella Paulo admouentur, vt ex commate XXIV perſpicitur, εἰπὼν μάστιξιν ἀνετάζεσθαι αὐτὸν, quæ vetus interpres vertit, *iuſſit flagellis cædi & torqueri eum*, vt ſciret, propter quam cauſſam ſic acclamarent. Hi enim ἐτασμοὶ ſunt quæſtiones per tormenta, ſicut II Maccab. VII, 37 μετὰ ἐτασμῶν καὶ μαστίγων, coniungitur.

XXIX. Acris nunc commate XXV controuerſia interpretibus obiicitur, quid ſit, προέτεινεν αὐτὸν τοῖς ἱμᾶσιν. Vetus Latinus interpres vertit: *quum adſtrinxiſſent eum loris.* Syrus ad eundem modum, כד מתחוהי בערקא *quum extendiſſent eum loris.* Ambo pluratiuo numero, vt ſubaudiantur milites flagellaturi ſeu lorarii. Græce προέτεινε, tribunus videlicet, imperio nempe ac iuſſione. Eraſmus Schmidius reddidit, *quum prius expandiſſet eum*, ad vim præpoſitionis πρὸ reſpiciens. Omnes hi, etiam B. Lutherus, animum aduerterunt ad ritum & conſuetudinem, qua virgis vel flagris cædendi dicuntur palo vel columnæ adligati. Cicero ſæpe dicta de Suppliciis oratione cap. V, *Itaque producuntur, & ad palum adligantur.* Et paucis interiectis: *ad ſupplicium traditi, ad palum adligati.* nam ex more flagellatio ſupplicium vltimum præcedebat: quod Lipſius de Cruce lib. II cap. II exemplis illuſtrauit. An vero id verbo προτείνειν ſignificetur, adliga-

Digitized by Google

ligatio nempe ad palum, ad quem hominis flagellandi corpus extenſum loris adſtringeretur; de eo eruditisſimi viri dubitant, aut plane negant.

XXX. Hugo Grotius ita in hunc locum commentatus eſt: *ὡς δὲ προέτεινεν αὐτὸν τοῖς ἱμᾶσι: Poſtquam eum* (præfectus cohortis) *expoſuerat loris. προτείνειν eſt προβάλλειν, exponere. ἱμάντες hic quod modo μάστιγες. In Gloſſario ἱμὰς lorum. Loris cadi apud Ciceronem & Comicos ſæpe.* Ciceronem vide VIII Philipp. cap. VIII, & orat. XIII cap. XII. de Comico ſupra verba produximus. Alius vir magno ingenio, Daniel Heinſius, Exercitat. in N. Teſt. pag. 298 hæc verba, *ὡς δὲ προέτεινεν αὐτὸν τοῖς ἱμᾶσιν*, interpretatus eſt: *Quod vulgo παραδιδόναι εἰς τὸ μαστιγοῦσθαι, tradere ad flagra, S. Lucas προτείνειν τοῖς ἱμᾶσι dixit. ἱμάντες enim* lora *ſunt: vt in illo Comici,* operiere loris. *Quæ res mirifice interpretes exercuit, antiquum, qui,* quum adſtrinxiſſent eum loris; *recentiorem, qui,* quum diſtendiſſent eum loris, *hic reddidit. Gloſſatores antiqui ἵμασεν, ἐμάστιζεν. Nam προτείνειν nihil aliud quam* admouere. Hæc vir ſummus. Atque ita etiam eſt iudicio & teſtimonio veterum. Heſychius: *προτείνεται*, (ſeu *προτείνει* potius, vt Pricæus legit) *δίδωσιν*, id eſt *tradit, dat, præbet.* Et veteres Gloſſæ: *προτείνω, porrigo, prætendo, propono.*

XXXI. Neque *ἱμὰς* in hac interpretatione abludit ab vſu veterum. Athenæus lib. IV cap. XIII p. 153 *ῥάβδοις καὶ ἱμᾶσιν ἀστραγαλωτοῖς μαστιγοῦται, virgis, lorisque, propter innexos talos nodoſis, flagellatur.* Talem *ἱμάντα ἀστραγαλωτὸν* Apuleius lib.

VIII ſub

VIII ſub finem *flagrum pecuniis oſſibus catenatum* dixit. An eiusmodi etiam fuerint, quibus Paulus tradendus erat, non habemus dicere, quia in ſacro codice ſimpliciter dicuntur *ἱμάντες, lora* ſeu flagella ex loris facta & connexa. Sic Paulus, iure ſuo vſus, a contumelia ſe vindicauit. Statim enim, qui torturi erant, iubente tribuno, & timente, quod ciuem flagris expoſuiſſet, abſtinuerunt. Quæ in reliquis verſibus occurrunt, quæ etiam ad Pauli ciuitatem & defenſionem pertinent, de emtione iuris, de adquiſito per natiuitatem, & alia; in ſuperioribus, vbi ſingulariter de iure illo agebamus, ſunt omnia ſatis explicata, vt nihil attineat repetere.

XXXII. Dum vero de Pauli ciuitate Romana egimus, non alienum erit, adnectere aliquid de ciuitate cæleſti, de qua cum alibi, tum præcipue ad Philippenſes epiſtola cap. III. 20 diſſeruit. ἡμῶν, inquit, τὸ *πολίτευμα in cælo eſt.* Antiquiſſimus interpres, vt ex conſtanti adlegatione Tertulliani clarum eſt, τὸ *πολίτευμα municipatum* vertit. Lib. III aduerſus Marcionem cap. XXIV *Apoſtolus*, inquit, *matrem noſtram* (cæleſtem Hieroſolymam) *ſurſum deſignat; & politeuma noſtrum, id eſt municipalem in cælis eſſe pronuntians, alicui vtique cæleſti ciuitati eum deputat.* Et de Reſurrect. Carnis cap. XLVII *de terra in cælum, vbi noſtrum municipatum Philippenſes quoque ab Apoſtolo diſcunt.* Idem de Corona cap. XIII *Sed tu peregrinus mundi huius, ciuis ſupernæ Ieruſalem.. Noſter, inquit, municipatus in cælis. Habes tuos cenſus, tuos faſtos: nihil tibi cum gaudiis ſæculi; immo contrarium debes.* Tertullianum ſequitur

mo-

Hieronymus epiſt. XIII ad Paulinum de inſtitutione monachi. *Illa*, inquit, *expetenda eſt ciuitas, --- quam matrem ſanctorum Apoſtolus clamitat: in qua ſe municipatum cum iuſtis lætatur habere.* Benedictum & Romano more, quia municipes extra vrbem, in qua honores ſperabant, habitauere: ſic Chriſtiani etiam in terris viuunt, ius autem cæleſtis ciuitatis animo & ſpe iam poſſident, vbi magna illos præmia & honores exſpectant.

XXXIII. Vulgatus Latinorum interpres *conuerſatio* vertit τὸ πολίτευμα, quem plures ſequuntur tam veterum quam recentiorum. Interpres quoque Latinus Irenæi lib. V cap. XIII ita reddidit; & Ambroſius lib. III de Virginib. pag. 487 dictum Pauli ſic recitat & interpretatur: NOSTRA CONVERSATIO IN CAELO EST. *Conuerſatio morum, conuerſatio factorum, conuerſatio fidei.* Scilicet oppoſitum eſt ei, quod præceſſit, τὰ ἐπίγεια Φρονοῦντες: *Nos vero*, inquit, *animo iam in cælo ſumus, cæleſtia cogitamus: curamus ea, quæ illuc ducunt, cæleſtibus legibus regimur; hic autem quaſi preregrini ſumus:* vt ſcite pieque Hugo Grotius interpretatus eſt.

XXXIV. Quæ ergo præferenda ſententia? Vtraque bona & Apoſtoli diuino ſenſui accommodata. Quapropter coniungendæ potius, quam ſeparandæ ſunt hæ duæ explicationes, præſertim quod πολίτευμα, ſi vim vocis recte inſpiciamus, vtramque ferat, neutram a ſe alienam eſſe patiatur. Græci ſcriptores quidem ius ciuitatis plerumque πολιτείαν reddunt, vt ſupra ſectione XIII vidimus, & præter alios auctores ex S. Luca in tribuni ſermone Act. XXII, 28

intel-

intelligimus. At vero πολιτεία & πολίτευμα, quorum vtrumque πολύσημον eſt, tamen ſignificationibus conueniunt, ſiue conuerſatio ciuilis, ſiue iura ciuitatis exprimenda ſunt. Ariſtoteles lib. III Politic. cap. VI πολίτευμα ἐςὶν ἡ πολιτεία. Qui ergo *conuerſationem* exponunt, non aliam, niſi quæ πολίτην, *ciuem* cæleſtem, vnde vtrumque nomen eſt, deceat, intelligant: & qui *municipatum*, non ius otioſum municipii, ſed ciuis ſeu municipis munus, officium, actiones, ſtudia ſimul intelligunt, quæ omnia cæleſtia ſunt, mentem ſurſum vocant, cælum intendunt. Bene iterum Guilielmus Eſtius in commentariis: *πολίτευμα ſignificat conuerſationem ciuilem, id eſt ciuium inter ſe: tamquam dicat Apoſtolus; Ciuitas noſtra, in qua vt ciues conuerſamur, in cælis eſt. Itaque nos non terrena ſapimus, ſed cæleſtia. hoc enim eſt conuerſationem habere in cælis, cæleſtia ſapere, quærere, meditari.*

ADDITAMENTVM.

Signum Romani ciuis *toga*, & latine *togati*, Romani. An vero etiam Paulus *togatus*? non putamus, ſic enim nemo ad carcerem & verbera rapturus fuiſſet. Iudaico habitu vſum credimus, aut peregrinantium. τοῦ Φελόνου mentio eſt II Timoth. IV, 13, quod Vetus interpres, & Tertullianus de Orat. cap. XII *penulam* reddunt: & Gloſſæ, ὁ Φαινόλης, Φελόνιον, *penula*. Penula itineri apta; vid. Cic. pro Mil. cap. X. Syrus vertit בית כתבא *receptaculum ſcriptorum*: at ab eo ibidem diſtinguuntur τὰ βιβλία & membranæ.

APPEN-

APPENDIX DVARVM DISSERTATIONVM, QVARVM AVCTORES RESPONDENTES SVNT, ET SVB PRÆSIDIO TANTVM Cl. CELLARII HABITÆ.

PRIOR ILLARVM *DE* EXCIDIO SODOMÆ, AVCTORE IO. GVILIELMO BAIERO, DISCVSSA An. 1695.

PROOEMIVM.

SI unquam ab exordio Mundi iuſtitiæ ſuæ ſpecimen edidit Diuina Nemeſis, certe, poſt catholicam terræ inundationem, *Sodomæ* & vicinarum vrbium euerſio eſt, cuius per tot millenarios etiam nunc horrenda veſtigia perdurant. Magnitudo rei veterum & recentium Hiſtoricorum fatigavit induſtriam; quin & ipſe Spiritus S. dignam, quæ ſacris *li-* teris

Digitized by Google

teris crederetur, judicauit, ut mortalibus eſſet lucidiſſimum iræ divinæ, flagitiis ipſorum prouocatæ, ſpeculum. Quare & nos, qnibus *hæc pariter in doctrinam præſcripta ſunt*, (Rom. xv, 4.) non plane inutilem aut ingratam DEO nauaturos operam ſperamus, ſi mirandum hoc DEI iudicium paulo penitius, (in quantum humana fragilitas ingeniique tenuitas permittit) inſpicere conamur. Hoc fine duabus Diſſertationibus negotium iſtud tractaturi ſumus: Prior Sodomorum & circumiectæ Regionis ſtatum, tum qualis ante Excidium florente adhuc Republica fuit, tum qualis per Excidium factus, & poſt Excidium etiam nunc eſt, hiſtorice exponet; Poſterior data phœnomena rationibus ex Scriptura S. & ſaniori Philoſophia petitis ſolvet, una tamen prælucentem paſſim in hoc opere miraculoſum Dei digitum oſtendet.

CAPVT I.

DE STATV PENTAPOLEOS ANTE EXCIDIVM.

QVemadmodum ad cuiusque Hiſtoriæ integritatem antecedentium quoque notitia requiritur: Ita, cum impræſentiarum *Sodomæ* & ſororum exponenda everſio eſt, de priori earundem ex vicinæ regionis ſtatu in limine paucis agendum erit.

II. Generatim itaque totius oræ faciem deſcribit Moſes

Moſes Gen, XIII, 10. ceu iucundiſſimam & ad inuidiam felicem, quam ſecedens ob amplitudinem rei pecuariæ a patruo ſuo *Lothus*, optione ſibi data, præ omnibus aliis elegerit: *Sublatis* quippe *oculis ſuis intuebatur Loth uniuerſam planitiem Jordanis, quod tota eſſet irrigua antequam ſubuerteret Jehoua Sodomam & Gomorrham, & ſicut Ægyptus*, &c. Per hortum Domini ſiue cum *Grotio Meſopotamiam*, ſiue cum aliis *Paradiſum* intelligas, vtrinque terram amœniſſimam & liquidis fluuiorum undis perfuſam reperies. Priſtinam autem *Ægypti* fœcunditatem ſtagnantis *Nili* beneficium, neminem, qui vel obiter veteres introſpexit Hiſtoricos, latere poſſe arbitror. Pari tunc temporis ubertate *Sodomiticam* terram alluebat nobiliſſimus Palæſtinæ fluuius *Jordanes*, cui præter alias virtutes, etiam hoc cum *Nilo* commune ferunt, quod certo anni tempore exundans, in vicinam planitiem laudatas aquas mira fœcunditate effuderit, (vid. Ioſ. III, 15.) Habet enim hic fluuius (teſte *Borchardo Deſc. Ter. S. It. v. Not. n. 26.*) per totum decurſum ſuum *ab vtroque littore campos latos & amœnos, atque prata virentia, poſitis hinc inde altiſſimis montibus in quos hæc arua deſinunt*; atque hac pratorum amœnitate tanto præ aliis Terræ S. partibus magis fruebatur *Pentapolis*, quanto latius eius planities a ripa *Jordanis* occidentem verſus extat extenſa. Montes inſuper planitiei huic incumbentes tunc neutiquam aridi ſterilesque, quales hodie cernuntur, ſed partim arboribus iucundiſſimis, partim vitibus, (*vid. Borch. P. II. c. 1.*) tergeminam quotannis vindemiam præbentibus, partim denique nobilis-

Digitized by Google

aliſſimis *Balſami* hortis veſtiti, quorum adhuc ſuo
tempore quaſdam reliquias juxta oppidum *Zoar* in-
venerant *Hieronymus* & *Borchardus*, prout infra vi-
debimus. Interim de hac ipſa Regione ejusque pro-
ventibus haut incongrue prædicari poterit, quod de
tota Palæſtina *Saligniacus Itin. Hieroſ. T. V. cap. 6.*
Videas in hac terra montes herbidos, prata amœna,
agros odoros, ubi paſſim velut in hortis cultis creſcit
fœniculum, ſalvia, ruta, roſa. Hinc bombax abun-
dat & cannamella, unde ſaccharum educitur. Sunt
etiam poma præſtantia varii generis, optimi odoris,
cedri, citri, limones, anarangi, ficus, mala granata,
olivæ, pepones, citrulli, melones, dactyli, racemi, legumina
optima, frumenta præſtantiſſima. Poma varii generis to-
to anno ex arboribus leguntur ex vitibus ſingulo anno ter
vindemia colliguntur, quod partim fit arte, partim na-
turâ. Porro arbores præſtantes, palma, terebinthi,
cypreſſi, & omnium præſtantiſſima Balſami. Adeo
in exiguo hoc terræ tractu, quicquid olim divitiarum
Palæſtina felix protulit, natura velut in compendio
oſtendebat.

III. Speciatim in hac regione locum quendam Scri-
ptura *Gen. XIV, 8, 10.* notat, crudeli quondam inter
Elamitas & Pentapolitanos pugna nobilitatum, quem
in originali Lingua עמק השדים vocat. Quid
hoc nomine indicetur, varie diſceptatum penes Inter-
pretes. *Vallem* fuiſſe hunc locum cæterisque depreſ-
ſiorem, e voce עמק clarum eſt; ſed vocabulum שדים
diverſas diverſorum patitur explicationes. *Nonnulli* (re-
ferente *Muſculo Comment. in Gen. c. XIV. p. 398.*) *retinent*
Hebræam vocem (quaſi nomen proprium ſit) *ac legunt,*

in valle Siddim. *Græcus legit*, τὴν φάραγγα τὴν ἁλυκὴν, *i. e. vallem ſalſam*, *vel ut Hieronymus legit*, *vallem ſalinarum*: *Aquila* vertit τῶν περιπεδίνων, *Theodotio*, τῶν ἀλσῶν. Intellexerunt enim per vallem *Siddim* amœna nemora, quia fortaſſe non שדים ſed שׂדים legerunt, a שׂדה, quod *cedrum* denotat. *Chaldaica* autem translatio habet במישר חקליא, *in planitie agrorum*, ſignificans vallem hanc planam fuiſſe agriſque cultis & aratis refertam; quæ explicatio haud dubie optima & commodiſſima eſt: certe vox שדים a nulla alia Radice melius aut facilius derivari poterit, quam a שדד, *quod* (ut *Oleaſter* obſervavit) *ſignificat agrum colere, ſeu adequare: qualis manere ſolet ager, poſtquam lignea crate ad æqualitatem redactus eſt*. Ergo ſecundum hanc interpretationem locus ille erit campus humilis, ſed pinguibus arvis excultus, frumentiſque varii generis conſitus, tantæ præterea amplitudinis, quæ validiſſimis novem Regum copiis, ſimul in acie diſponendis explicandiſque ſufficeret: nec a veritate alienum ſpero, ſi totius vicinæ gentis horreum & granarium hic fuiſſe ſtatuamus; planitiem enim reliquam paſcuorum vilitas abſtulerat frugibus. Cæterum non repugnabimus, ſi quis nomen שדים proprium loci facere velit, modo illud concedatur, quod *Glaſſius Phil. S. lib. IV. Tr. III. Obſ. X.* multis exemplis demonſtravit, nomina propria Hebræorum pleraque a re geſta vel conditione ſubjecta fuiſſe impoſita.

IV. Verum noſtram interpretationem Scriptura ipſa dubiam reddere videtur, dum ſtatim de loco iſthoc *Siddim* pergit: *Geneſ. XIV.* הוא ים המלח,

ipſe

ſa eſt mare Salis. Equidem, ſi per anticipationem eo dicta ſint, quaſi poſt excidium demum & *Moſis* tempore vallis illa fuerit mare ſalis ſiue mortuum, ntentiæ noſtræ nihil derogare potuerunt; quippe on repugnat, vallem ante hac cultam ac frugiferam er caſum aliquem mari aut lacu inundari: Quod ſi ero ſenſus ſit, locum *Siddim* jam ante euerſionem uiſſe ipſum mare ſalis, totique valli circumiectæ noen dediſſe; tunc noſtra hypotheſis cum omnibus funamentis, quibus eam ſuperſtruximus, corruet. Atque eo hac ultima explicatione, tanquam pro aris & fois militant *Oleaſter, Becmannus* & maxime omnium *'aietanus*, cuius ſequentia verba & argumenta *Pereius Comm. in Gen. Cap. XIV, 3.* recenſet: *Vtrum hoc mare Salis inciperet poſt illud bellum, an fuerit ante, ſcriptura non manifeſtat; non enim manifeſte dixit, illam vallem eſſe mare Salis: Etenim pronomen* ipſe (*ſic enim Hebraice legitur*, Ipſe eſt mare Salis) *eſt maſculini generis in Hebræo: & poteſt demonſtrare tam vallem, quæ Hebrais eſt communis generis, quam vocem illam* Siddim, *quæ eſt maſculini generis, & eſt nomen proprium illius vallis. Si igitur pronomen ipſe demonſtrat*, Siddim, *non oportet fateri mare Salis factum eſſe poſt illud bellum: Sin autem demonſtrat* Vallem, *neceſſe eſt id fateri; ſignificatur enim, locum qui erat vallis tempore illius belli, poſtea tempore Moſis, qui hæc ſcripſit, fuiſſe mare Salis. Et hunc ſenſum ſecutus eſt Joſephus & Latinus interpres. Verum quia ſine auctoritate ponitur tam magna nouitas, ut tantus ille lacus, cuius auctore Joſepho, longitudo DCLXXX. ſtadiorum eſt, latitudo*

autem CL. cum antea nullus fuiſſet, repente factus ſit; idcirco non facile fidem adhibeo. Potius igitur ſequor planum ſenſum literæ, quæ indicat, vallem illam eſſe denominatam a Siddim, i. e. a loco propinquo, qui eſt mare Salis. En, ſatis accurate *Caietanus* format ſtatum quæſtionis! nobis ergo incumbet, pro ſtabilienda noſtra ſententia probare, quod demonſtrativum הוא non ad vocem *Siddim*, ſed ad *vallem* referri oporteat.

V. Ante omnia obſervamus, gratis ſupponere *Caietanum*, quod vox *Siddim* nomen proprium ſit vallis illius, quum forma externa potius appellatiuum pluralis numeri arguat. Sed quicquid horum ſit, nullo modo ad vocem *Siddim* referri poterit pronomen demonſtrativum. Nam ſi proprium loci facias, erit generis fœminini, prout omnia regionum & prouinciarum nomina, *vid. Buxt. Theſ. Gram. L. I. pag. 68.* & ſic pronomen הוא, quod maſculinum eſt, cum coiungi nequit: Sin appellatiuum: tunc genere quidem cum demonſtratiuo conuenit, non autem numero, qui hic ſingularis, illic pluralis eſt. Itaque pronomem neceſſario cum voce עמק iungi debet, ut ſenſus ſit, totam hanc vallem eſſe Mare Salis, idque non ante excidium Sodomiticum: nam circa iſtud tempus adhuc in eadem valle atrox inter nouem Reges commiſſum prælium eſt; ergo ſine dubio poſt Excidium, quod qui acciderit, infra ſuo loco oſtendemus *Neque hoc* (reſpondet *Pererius*) *incredibile videri debuit Caietano, repente factum eſſe illum lacum; cum vel ob ingentem aliquem terræ motum aliaſque cauſas naturales, ſæpe nova flumina & lacus extitiſſe, certis manifeſtiſque exemplis ab Hiſtori-*

orieis pariter atque Philoſophis proditum ſit. Verum inſtat *Becmanus Hiſt. O. T. Part. I. c. III.* §. 23. . 96 : *Si* lacus in terra Sodomorum *plane non extitiſſet, & per everſionem iſtarum urbium demum natus fuiſſet, Jordanes effluxu caruiſſet, quod contra naturam tantorum fluviorum.* Quaſi vero impoſſibile foret, Jordanem vel aperto tendentem ſupra terram curſu, vel in terram abditum, occulto meatu, ſiue in *Rubrum* ſiue *Mediterraneum* mare, (hæc amplo enim modico intervallo diſtant ab eo lacu) deferri. Nos multo rectius ſic argumentamur. Si in terra Sodomorum ante everſionem iſtarum vrbium lacus extitiſſet, Scriptura hanc regionem *planitiem Jordanis* non appellaſſet; quippe totam prouinciam a ſe denominare non poteſt fluuius in ipſo eius limine lacu abſorptus : ſed poſterius falſum eſt, ergo & prius.

VI. Nunc autem Scriptura duce porro per vallem iſtam, quam modo cultisſimam frugumque parentem conſpeximus, ſpatiari iuuat. Erant in ea (*Moſes* ait *Gen. XIV, 10.*) בארות בארות חמר *multi putei bituminis*; Epizeuxis enim vocis בארות, prout in aliis locis v. g. *Exod. VIII. 14. Joel. III, 4.* multitudinem innuit. De vocabulo autem חמר variæ ſunt Interpretum ſententiæ. *Rabbinorum* aliqui, e quorum grege *Kimchius* & *Sel. Ben Melech* טיט עפר, *lutum pulueris*, ſiue terram aqua permixtam & ſubactam, reddiderunt, vt adeo בארות חמר idem ſit, ac fontes turbidi & lutoſi. Apertius paulo hanc ſententiam *R. Salomo Iſaacides* quem vulgo *Jarchi* dicunt, tradidit, in commentario ad hunc

Digitized by Google

locum ſcriberis : בארות הרבה היו שם שנוטלין משם אדמה לטיט של בנין *Putei multi erant ibi, unde efferebant terram ad lutum ædificiorum.* Hos ſecuti ex latinis interpretibus *Pagninus*, *Oleaſter* & *Vatablus* vocem חמר partim *cæmentum*, partim *lutum* & *argillam* vertunt. Ex Græcis quidam ἄσβεστον i. e. *calcem vivam* interpretantur, cum חמר condendis ædibus & muris adhibitum legerent, *bitumen* vero ædificando inutile arbitrarentur. At enim vero memoratis ſententiis reclamat experientia & probatiſſimorum omnis ævi Hiſtoricorum fides, qui tam ex his ipſis puteis, quam e Mortuo mari, quod eosdem ex parte occupavit, materiam non limo aut argillæ, nedum calci ſimilem, ſed glutinoſam, & colore quodammodo piceam, odore ſulphur referentem, quam Græci ἄσφαλτον, Latini *bitumen* vocant, eiici & excerni omnes teſtantur, prout infra pluribus oſtendemus. Quod autem argumentum a materiæ deſcriptæ in extruendis ædificiis inutilitate attinet, ſane in vulgus notum eſt, quomodo ea iam olim non ſolum ferruminandis lapidibus miro ſucceſſu adhibita, ſed & præ quavis calce ab architectis commendata fuerit. Egregie *Theodoretus* *Quæſt. 59. in Gen.* : τὴν ἄσφαλτον τινὲς τῶν διδασκάλων ἔφασαν ἄσβεστον εἶναι, οἱ ἀγνοοῦντες, ὡς εἰκὸς, τὰς ἐν Ἀσυρίᾳ πηγὰς, ᾠήθησαν ἀσβέστῳ τὸν πύργον οἰκοδομεῖσθαι. Ἀκριβῶς δὲ παρὰ τῶν ἐκεῖθεν ἀφικομένων μεμάθηκα, ὡς εἰσὶ πηγαὶ ταύτην ἀναβλύζουσαι τὴν ὕλην μεθ᾽ ὕδατος, καὶ ἔτι ταύτην ταῖς οἰκοδομίαις συνυφαίνοντες, ἐπὶ ταύτης τὴν ὠπτημένην συνετίθησαν πλίνθον, οὕτω καὶ τὸν

πύργον ἀνῳκοδομῆσθαι φασί. Dixerunt quidem à Magiſtris, bitumen (hoc loco) *eſſe calcem, qui ignorantes, vt veriſimile eſt, fontes* (bituminis) *qui in Aſſyria ſunt, putaverunt ex calce turrim ædificatam fuiſſe. Ego autem ab iis qui inde veniunt, accurata inquiſitione didici, fontes eſſe, qui materiam hanc cum aqua eructant, quam ædificiis attexentes coctilem cum ea laterem compoſuerunt, atque ita turrim* (Babylonicam) *aiunt fuiſſe conſtructam.* Addit, illos id comperiſſe ex laterum fragmentis (e Babylonis ruderibus, vt videtur, effoſſis,) quibus apparebat bitumen fuiſſe ſubſtratum, & Aſſyrios eo adigi lapidum & calcis penuria. Quæ quamvis directè & primariò materiam Turris Babylonicæ *Gen. XI.* deſcriptam ſpectent, ad noſtros tamen puteos commode ſatis referri poſſunt, quia utrinque eadem vox חֵמָר in originali textu reperitur. Dicti igitur putei (vt ad rem redeamus) in valle *Siddim* nihil aliud erant, quam cavernæ, e quibus cum aquis ſulphureis & amarulentis per intervalla ſcaturiebat ſuccus pinguis, ſubterraneo primum calore liquefactus & ſolutus, rurſumque ab aura frigidiore incumbente picis in modum congelaſcens, non ſolum ædificiis, ſed & navibus compingendis perutilis, neque minus in Arte Medica ob inſignes vſus nobilitatus. Quanta autem ex his fontibus in vallem iſtam totamque Regionem exundarit fœcunditas, in altera Diſſertatione fuſius oſtendetur.

VII. Nunc ſpectatis amœnitatibus rurſus ad ipſas vrbes progrediendum, deque illarum (1) *Origine*, (2) *Numero*, (3) *Situ*, (4) *Opulentia &*

moribus Citiæorum diſtinctius paulo agendum eſt. Equidem primorum earundem conditorum nomina nuſquam in Sacris profaniſque monumentis conſignata legimus, nec de extructionis anno earum quid determinare licet, niſi quod haud multo poſt diluvium a poſteritate *Chami*, & ſpeciatim *Canaanis* nepotibus eas conditas fuiſſe, contextu Scripturæ patet. Quamuis enim *Geneſ. X*, 19. vbi *Canaanitarum* termini recenſentur, ambiguum videri queat, vtrum ad huius, an alterius cuiusque Regionis territorium ciuitates iſtæ ſint referendæ; quum præſertim *Cap. XIII*, 12. terra *Canaan*, in qua Abram remanſit; & *Sodomitica*, quam Loth petebat, diſtingui ab inuicem videantur: Nihilominus, quia in eadem *Canaanis* Chorographia non alia mentio fit *Sidonis* & *Geraris*, quæ ad illam haud dubie pertinebant, recte concluditur, *Sodomam* quoque & vicinas vrbes Canaanitarum terminis comprehenſas fuiſſe. Ita, cum *Cap. XIII. Abram in terra Canaan, Loth in oppidis planitiei habitaſſe* dicitur, illud non de vniuerſo tractu, quem poſteri Canaanis incolebant, ſed de montana Regionis parte (uti recte *Chaldæus Paraphraſtes* vertit) proprie & κατ' ἐξοχὴν *Canaan* dicta intelligendum eſt; reliquarum enim partium quælibet à Filiis Canaanis peculiare nomen trahebat, quemadmodum in Regno *Franciæ* certa Prouincia generali nomine *la France* ſuperbit, cæteris omnibus ſeorſim nuncupatis. Atque hoc ſenſu *Jabin* Rex *Hazor* vocatur *Rex Canaan*, *Jud. IV*, 2. quem conſtat partem tantum Regionis a poſteris Canaanis habitatæ tenuiſſe, eam ſcilicet quæ

ſpeci-

peciatim *Canaan* dicebatur, diſtinctione a reliqua terra *Cananitide*. Manet ergo, *Pentapolin* a filiis *Canaanis* conditam & inhabitatam fuiſſe, quamuis incertum ſit, quibus ſpeciatim ex illis originem ſuam debeat.

VIII. *Numerus* ciuitatum quem hic ſpectamus, non earum omnium eſt, quas tota Canaanitarum Gens tenebat, nec ad eas præciſe pertinet, quæ cœleſtibus ignibus tactæ actu interierunt, (de his enim infra videbimus;) ſed hoc loco ſaltem eas complectimur, quæ *Gen. XIII, 12.* in oppoſitione ad Palæſtinam reliquam עָרֵי הַכִּכָּר *urbes planitiei* appellantur, ob mutuam autem terræ viciniam non minus, quam belli paciſque & flagitiorum omnium ſocietatem pro vnica gente aut Republ. habebantur. Harum in Sacro codice *Gen. XIV, 2. 8.* quinque recenſentur, *Sodoma* ſcilicet, *Gomorrha*, *Adama*, *Zeboim* & *Bela*, *Zoar* dein ſiue *Segor* nuncupata; vnde *Pentapolis Sap. X, 6.* nomen Regioni natum. Quando enim Moſes nunc *duas* ſaltem (vt *Gen. XIII. 10. XIV, 8. 11. XVIII, 20. XIX, 24. &c.*) nunc *quatuor* ciuitates (vt *Gen. X, 19.*) memorat, reliquæ vel breuitatis, vel paruitatis & ignobilitatis ſuæ cauſa omittuntur, potioribus ſolum indicatis, quod e contextu locorum patet. Cæterum *Gen. XIV.* duabus vicibus *quinque* vrbium earumque Regum (qui bello tentati ab exteris iunctis conſiliis & armis, velut vno agmine, prælium inierunt) nomina expreſſa reperimus. Falluntur ergo & fallunt, quotquot Hiſtoricorum relicta cœleſtis veritatis luce fabuloſis hominum traditionibus, quæ

Digitized by Google

omnes in memoria iſtorum temporum deficiunt, nituntur: Scilicet hoc inter alios *Strāboni*, *Solino*, & *Stephano Byzantino*, claris cæteroquin Scriptoribus accidit, vt in hac vrbium recenſione nimium quantum hallucinarentur, dum *Solinus Polybiſt. c. 38.* tantum *duas*, *Stephanus in lib. de Vrb. decem*, *Strabo Geogr. L. XVI tredecim*, quarum *Sodoma* caput fuerit, numerat.

IX. Nihilo melius autem circa *Situm* dictis vrbibus aſſignandum conueniunt Scriptores. In pleriſque Terræ S. Tabulis Chorographicis quatuor ciuitates verſus quatuor mundi plagas diſpoſitas reperimus, vt ſi priſtinum Jordanis ſtatum (*v. ſup. §. 4.*) ante vaſtatam Pentapolin, ſpectes, duæ priores (*Sodoma* & *Gomorrha*) in occidentali, reliquæ (*Adama* & *Zeboim*) in orientali ripa iacuiſſe videantur; Verum præterquam quod 1.) Scriptura de Pentapoli loquens nusquam vllius vrbis [בעבר הירדן, ſiue *trans Jordanem* ſitæ meminerit; nec 2.) probabile ſit, vni particulari genti & non admodum numeroſæ, qualis hæc erat, vtriusque littoris tractum circa maximum flumen fuiſſe conceſſum, quum veteres in prima terrarum partitione pleraſque Regiones ſecundum riuos & fluvios ab inuicem diſtinxiſſe conſtet; ſane quamplurimi Scriptores, etiam *αὐτόπται*, qui e Palæſtina reduces obſeruata ſua literis conſignarunt, vnanimi conſenſu teſtantur, in *occidentali* Aſphaltitæ littore vaſtatarum cælitus vrbium rudera fuiſſe reperta, licet quoad numerum illarum non æque conueniant. Placet præ aliis *Ludouicus Vartomannus Boloninſis*, (quem *Patricium Roma-*

num

mum vulgo dicunt) homo ſedulus, & terræ S. non minus, quam illarum regionum, curioſus Spectator, qui *Nauig. Lib. I. cap. 10. Venimus*, inquit, *ad conuallem Sodomæ & Gomorrhæ: Vera equidem refert S. pagina. Superſunt adhuc collapſarum urbium veſtigia diuinæque iræ teſtimonium. Adſtruere licet, tres eſſe vrbes, quæ ſingulæ in cliuo ſingulorum montium ſunt poſitæ &c.* Et non multo poſt, *in Dei euidens miraculum adhuc conſpici* dicit *ruinam urbium.* Præter hunc *Joſephus* & *Egeſippus*, ille *lib. V. de Bell. Iud. cap. 5.* hic *Lib. IV. de Excid. Hieroſ. cap. 18. in terra Mari mortuo vicina adhuc diuini reliquias ignis & oppidorum imagines ſupereſſe* memorant. Quæ cum *Heidmannus* quoque in *Palæſtina ſua cap. III. §. 35. & 42.* & *Biſſelius in Topoth. Pal. cap. III. pag. 8.* agnoſcat & probet, eo magis mirum videtur, quod in Tabulis, libris ipſorum adiectis, nihilominus quatuor vrbes in Aſphaltite lacu poſitæ reperiuntur. De peregrinantibus reliquis, qui vel horum plane nihil, vel contrarium retuliſſe videntur, haud difficulter, ſi inſtituti ratio ferret, ex ipſorummet ſcriptis oſtendere poſſemus, quomodo partim ad oram Aſphaltitæ prorſus non pertigerint, partim aeris inclementia aut nimia feſtinatione impediti, partim etiam præiudiciis de indubia Pentapoleos in Mare Mortuum immerſione occupati, minus accurate locum inſpexerint. Stante igitur hoc, quod etiam nunc prope dictum Mare in occidentali plaga *collapſarum urbium veſtigia ſuperſunt*, manifeſtum quoque erit, illas ante euerſionem ſuam omnes ad idem latus Iordanis, quo Iudæam ſpectabat, diſpoſitas fuiſſe. Neque aſſerto laudati *Vartomanni*

Digitized by Google

manni repugnat, quod Scriptura *ciuitates planitiei* vocat, quarum rudera ipſe *in cliuo ſingulorum montium* obſervavit, cum a *Moſe* non in reſpectu ad proprium ſitum, ſed ad circumiectam regionem, quæ utique plana, & in oppoſitione ad reliquam Palæſtinam, quæ maximam partem montana erat, tales dicantur; antiquitus autem poſt diluuium ſemper editiora loca pro condendis urbibus quæſita fuerint.

X. Speciatim vero quod ſingularum vrbium poſitus attinet, ſi *Sodomam Zoaramque* excipias, nec in Sacris nec profanis Scriptoribus quicquam certi reperies. Celeberrimus quidem Philologus *Ioh. Lightfoot in Horis Hebr. Cent. Chor. Matth. præm. cap. V. p. 16. & Dec. Chor. Marc: c. II. 528. 529.* ex loco *Gen. X, 19.* ubi *termini Canaanis* ſtatuuntur a *Sidone* (ab Aquilone) *ad Gazam* (ab Auſtro) *donec accedas ad Sodomam,* &c. ſe inveniſſe putat, quo non ſolum Tabularum errores corrigere, ſed & ſingularum Pentapoleos ciuitatum ordinem ac ſitum definire poſſit. Nimirum illic *eodem modo, quo diſponuntur* Sidon & Gaza, *limites* (Canaanis) *a parte Occidentali, ita & ſtatui* Sodomam & Lasham *ab Orientali, reliquasque urbes hoc ordine ſtetiſſe: a* Lasha *verſus meridiem* Zeboim, *poſt eam* Adamam, *poſt eam* Gomorrham, *& poſt eam in ultima ora Auſtrali,* Sodomam, *tanquam* Gazæ *parallelam.* Vlterius ex *Joſepho,* qui *lib. V. cap. 5. de Bell. Iud.* Aſphaltiten in longitudine μέχρι Ζοάρων τῆς Ἀραβίας; *usque ad Zoaram Arabiæ* extendi ſcribit, conatur euincere, *Zoarem* illam ad quam Loth e *Sodoma* fugiens ſe recipit, in

Ar-

Auſtrali lacus iſtius termino, adeoque & *Sodomam*, quæ *Zoaræ* proxima erat, in eodem tractu jacuiſſe; & hinc ſchema illud Aſphaltitæ, Eremique Iudææ natum, quod *pag.* 528. *Hor. Hebr.* exhibitur, non a Tabulis ſolum, ſed & omnium Geographorum ſententiis maxime diverſum. Verum ut taceamus errorem ſupra notatum de quatuor urbium in Mari Mortuo immerſione, qui in hoc etiam *Lightfooti* ſchemate reperitur, tanto grandior, quanto propius ad occidentale litus non deæ ſolum, ſed quatuor iſtæ civitates locantur; ipſemet quoque *Lightfootus* difficultates agnoſcere videtur, cum penes Talmudicos *Jevamoth* cap. 16. *fol.* [illegible] *Zoarem* quandam civitatem palmarum, & [illegible] Mare Mortuum ab Aquilone ſpectanti, viciniam inveniret; nihilo tamen ſecius ita firmiter inhæret ſuæ ſententiæ, ut [illegible] *fuiſſe Zoaris, quam memorant, partem* [illegible] *conceptum & natum prope Zoarem Moabitidis, de qua Eſ. XV, 9.* Enim vero, conſulamus antiquos & recentiores Geographos; quiſnam aliam agnoſcit *Zoarem*, præter hanc quam Palæſtina habet *Aſphaltitæ Borealem*. Oſtendunt quidem Tabulæ nonnullæ *Zoarem* in terra *Moabitide* ad flumen Zared, aliquot milliaribus a Mari Mortuo diſtantem, ducti fortaſſis memorato loco *Eſ. XV*, qui tamen ſi recte inſpiciatur, commodiſſime de *Zoara* Palæſtinæ explicari poteſt, ut non neceſſe ſit novam fingere: quod ſi autem vel maxime hæc urbs dicto loco reperiretur, nihil omnimus vitioſum manet *Schema Lightfooti*, quod *Zoaram* non ab oriente (prout hæc jacet in Tabulis) ſed ab Auſtro juxta montem Seir, & lacui quidem proxime

adia-

adiacentem requirit. Quod ad locum *Gen. X, 19.* attinet, æque profecto abſurdum eſt, ſingularum urbium ad inuicem, & ſpeciatim *Sodoma* ad *Gazam* poſitum exinde velle deducere, quam ſi e *Cap. XIV, 2 & 8.* coneris evincere, Moſem numerare quinque Reges, prout ab Auſtro in Boream territoria ipſorum fuere diſpoſita, cum vtrinque contextus doceat, non ſitus ſed dignitatis & potentiæ rationem haberi, qua præ cæteris *Sodoma* & poſt eam *Gomorrha* eminebat, atque inde patet, quod *Gen. X, 19.* per enumerationem vrbium, *Sodoma, Gomorrha* &c. nihil aliud indicetur, niſi generatim regio ciuitates haſce continens, quam vno verbo *Pentapolin* vocat *Liber Sapientiæ, Cap. X, 6.* ſine ullo reſpectu ad proprium vrbis cuiusquam ſitum. Cur enim tam ſollicite *Moſes* Canaanis terminos, per exiguam terræ portionem, quoad ordinem ſingularum urbium, deſcriberet, cum ingentes tractus a *Sidone* ad *Gazam*, & a *Gaza* ad *Pentapolin* vnica tantum Vrbe notaſſet? Quod ſi igitur vera ſunt, quæ ſupra e *Joſepho* & *Vanigmanno* de ſuperſtitibus oppidorum ruderibus extra Mare Mortuum, vidimus, & cum *Lightfooto* confecta res erit, & noſtra, quam nunc propoſituri ſumus, ſententia eo magis fidem atque aſſenſum merebitur.

XI. In hoc procul dubio omnes convenient, quod ea ſola pro vrbe *Zoare* ſit habenda, inter quam & Mare Mortuum *Statua ſalis* reperta olim eſt, & (ſi teſtibus *αὐτόπταις* credimus) etiam nunc reperitur. Atqui hanc peregrinantes, quotquot ad oram *Aſphaltitæ* peruenere, non in *Auſtrali*, ſed inter *Boream* & *Occidentem* media lacui imminere affirmant. Nobis impræ-

Digitized by Google

in præſentiarum duos ſaltem adduxiſſe ſufficiet. *Borchardus in Deſcript. Terræ S. L. I. cap. 7. §. 34.* *Poſt Ierîcho contra Auſtrum ſub monte Engad, oppidum, Segor, interque illud & Mare mortuum Statuam ſalis; ipſius vero montis aſcenſum ſupra Mare mortuum, in littore eius occidentali, leuca una de Segor poſitum eſſe ſcribit.* Cum quibus exacte congruunt, quæ *Mart. a Baumgarten Peregr. lib. II. cap. 12.* refert. *Ad dextram maris mortui* (venientibus ſcil. a Iericho) *eſt ciuitas Segor, pro qua precatus eſt Loth, Gen. 19. & eam ingreſſus ſole ſuper terram egreſſo, ibi legitur. Sub hoc oppido fere itinere medio, videtur usque hodie Statua illa Salis, in quam uxorem Loth conuerſam Moſes teſtatur.* Hic ſane iterum ingens Tabularum diſcrepantia: reperies in plerisque oppidum *Segor* & montem *Engaddi*, ſpeluncam Lothi continentem, torrente *Cedron* ſeiuncta, illud in Boreali, hunc in Auſtrali fluminis plaga, vtrumque autem a Mari mortuo æqualiter diſtans, vt Lothus ſpeluncam petiturus non ſolum tranſire flumen, ſed & ipſam *Sodomam* denuo præterire neceſſum habuerit; qua auctoritate, ego non aſſequor, nec quomodo cum Scriptura & adductis relationibus conciliari poſſint, video.

XII. Cæterum ſtantibus his, quæ de ſitu *Zoaris* iam propoſuimus, haud difficile erit *Sodoma* ſuam ſedem, ſaltem probabiliter aſſignare. Conſtat ex *Gen. XIX, 20.* has urbes modico ab invicem interuallo diſtitiſſe, quod licet certa menſura definitum ibi non eſt, contextus tamen docet, ad ſummum vix vnum milliare Germanicum (*Selneccerus Comm. in Geneſ.*

Ita-

Italicum ſaltem milliare poſſit) exceſſiſſe; quia Lothus adhuc ſub auroram moratus in *Sodomis*; oriente Sole *Zoarem* ingrediebatur. Quod ſi ergo *Zoar* (vt videmus) haut procul Mari mortuo, inter vtrumque autem ſtatua ſalis, in quam vxor Lothi e *Sodoma Zoarem* tendens conuerſa eſt, reperitur, ſine dubio *Sodoma* intra Mare mortuum verſus Vulturnum erit locanda, ut cum dicta *Statua*, *Zoare*, & monte *Engaddi* vnam quaſi rectam lineam conſtituat. Ita ſimul confirmatur aſſertum *Vitcontinii de trium* oppidorum ruderibus à ſe obſeruatis, ſi quartum ab Aſphaltite lacu obrutum ac ſepultum fuiſſe conſtet. Quoad ordinem ſitumque reliquarum vrbium (vt antea monuimus) nihil certi afferre licet, cum tacente Scriptura, deficientibus profanis Hiſtoriis, impoſſibile ſit ex ſolis cineribus ac ruinis ipſas vrbes dignoſcere: ſufficiant ergo quæ in præcedentibus de generali ſitu notauimus. Solum ſupereſt, vt illarum felicitatem ac potentiam, ſed & incolarum mores paucis adhuc expendamus.

XIII. Si clementia cœli, aquarum commoditas, agrorum ac paſcuorum vbertas, omnis generis frugum abundantia, opulentum poteſt reddere populum; ſi pax, concordia, tranquillitas publica, regnum ſtabilit roboratque, neſcio an, quoad hæc, Pentapolitano Regno felicius vnquam extiterit, in quo evehendo fortuna non minus quam natura experta vires ſuas videtur. Inuidendam terræ bonitatem ſupra contemplati ſumus; quis credat, in tanta regionis viriditate rem pecuariam defuiſſe? at in hac eo tempore maxima pars diuitiarum conſiſtebat: *excellen-*

cellentiam denique, *ſaturitatem cibi, quietamque tranquillitatem Sodome & filiarum eius* Deus ipſe *Ezech. XVI, 49.* laudat: & ſane, ſi unicum cum *Elamitis* bellum excipias, nunquam ab exteris laceſſitas fuiſſe legimus. Sed & inter has ipſas ciuitates mirà ſemper concordia, vt nec inteſtinis motibus agitarentur, nec in communi periculo vna alteri deeſſet. Quibus præſidiis munitæ non ſolum ab inſultibus hoſtium diu manſerunt intactæ, ſed & eo vsque creuerunt potentia, vt a quinque Regibus adminiſtrarentur, inter quos tamen ille qui *Sodomæ* præerat, eminuiſſe, reliqui tanquam vaſalli dependenter ab hoc imperia tenuiſſe videntur, quia *l. c. Ezech.* alibi, ſtylo Scripturis vſitato, Sodomæ filiarum nomine ſubordinantur.

XIV. Quemadmodum autem fieri ſolet, vt nimia felicitate pingues plerumque ferociant mortalium animi; ita etiam *Sodomitæ*, teſte *Joſepho L. I. Antiq. cap. 12. diuitiis & abundantia pecuniarum elati tam in homines contumelioſi erant, quam in Deum impii, quippe qui nec beneficiorum eius meminerant, & hoſpites averſabantur,* &c. cumque illorum emendationem quærens Deus extranei Regis poteſtati ſubmitteret *v. Geneſ. cap. XIV.* ipſi nihilo meliores facti eo inſolentiæ proceſſerunt, vt excuſſo ſeruitutis iugo in libertatem ſeſe vindicare, bellumque quod aliorum ſuffulti præſidiis facilius in vicinia extinguere potuiſſent, quaſi ſoli conficiendo eo pares eſſent, intra fines Regni recipere auderent, digno tanta temeritate ſucceſſu quo totus ipſorum exercitus fuſus & miſerabili ſtrage tantum non deletus eſt. Neque vero etiam ſic ad frugem ſe receperunt, quin potius creſcens in

dies ſuperbia & flagitiorum moles ita late inundabat omnia, vt in tot urbibus, e tanta multitudine, ne decem quidem iuſti ac innocentes ſupereſſent. Regnabat inter ipſos præter intolerabilem ſuperbiam, qua ſe Deo ac hominibus inviſos reddebant, crudelis quoque verſus egenos ac peregrinos inhumanitas, quos non ſolum deſtituebant auxilio, ſed & variis affligebant iniuriis, vt ex ſæpe dicto Ezechielis loco ipſaque euerſionis Hiſtoria *Geneſ. XIX.* videre eſt. *Saturitas* illa *cibi*, cuius ibidem mentio fit, haud dubie luxuriam & immoderatum bonorum vſum arguit; neque enim hoc vitium diu abeſſe ſolet, vbi quis nimiæ felicitatis impatiens ad deteriora inclinat.

XV. Maximum autem crimen, & turpitudine ſua non minus, quam nocendi potentia deteſtandum erat peruerſa libido contra naturam, quæ vti per ſe ad humanæ ſocietatis interitum tendit, ita ipſos homines effæminatos, molles & ad omne honeſtum præclarumque facinus ineptos reddit, quod egregie de *Sodomorum incolis* oſtendit *Philo in lib. de Abrah.* ſcribens: *Non ſolum in fœminas inſaniendo, alienos polluebant toros; verum & mares, contra naturæ legem, cum maribus miſcebantur, execranda libidinis fœditate, atque irrito naturæ propoſito; cuius nempe finis eſt in carnali commixtione, generatio prolis. Nec quicquam illic proficiebat reprehenſio, violentiæ ſcil. concupiſcentiæ coacta cedere. Atque ita paulatim aſſuefacti homines illi muliebria pati, effœminatum morbum ſibi conciliauerunt inſanabilem. Muliebri namque mollitie in corpus recepta, animos quoque reddidere ignauiſſimos; quantumque in ipſis fuit, vniuerſum corrupere ge-*

num

nus humanum. Nam ſi Græci una cum Barbaris hos imitati in tale ſcelus conſpiraſſent: deſertæ profectò fuiſſent urbes, tanquam exhauſtæ peſtilentia. Fortaſſis ab hac infanda libidine ne mulieres quidem fuerunt immunes, quin de ipſis quoque valeret dictum *Apoſtoli Rom. I,26. Propterea tradidit eos* (Gentiles) *Deus fœdis affectibus. Nam & fœminæ illorum transmutarunt naturalem uſum in eum qui eſt præter naturam.* Quippe defectus naturalis concubitus, pravumque virorum exemplum, facile ſequiorem ſexum voluptatibus jam ante aſſuetum ad inſana ejusmodi conſilia impellit: *Nefarias igitur* (pergit *Philo*) *atque immanes illorum hominum libidines peroſus Deus, prorſus aboleuit eam gentem, non vulgari aliquo & uſitato, ſed novo atque mirando afficiens ſupplicio.* Atque hoc illud ipſum eſt, ad quod conſiderandum nunc ordine ducimur; quare ſtatim tranſimus ad

CAPVT II.

DE STATV PENTAPOLEOS IN SVO EXCIDIO.

CVm hæc ſine dubio palmaria Diſſertationis noſtræ pars ſit, operæ pretium erit, ut quoad ſingula membra diſtincte eandem pertractemus, & *primo* loco Excidii *tempus*, (2.) *cauſam efficientem*, (3.) *Inſtrumentum*, denique (4.) *Subjectum* conſideremus.

Digitized by Google

II. Chronologia huius Excidii, licet a termino exſtructionis ipſarummet vrbium oſtendi nequeat, hunc (enim incertum eſſe ſupra *Cap. I. §. 7.* vidimus) a Diluuio tamen & initio Mundi facile reperitur. Patet e *Geneſ. XVIII. & XIX.* cladem hanc vno anno præceſſiſſe natiuitatem *Iſaaci*, quippe eodem die, quo DEVS *Abrahamo* in annum ſequentem filium e *Sara* promiſerat, Angeli Pentapolin perdituri Sodomam pergebant. Agebat autem tunc Abrahamus annum ætatis *nonageſimum nonum*, *vid. Gen. XVII, 24. & XXI, 5.* quem poſt Diluvium *ducenteſimo nonageſimo ſecundo* natum fuiſſe Chronologia *Cap. X. Gen.* exhibita, (iuxta calculum *Lutheri*) docet. Porro a Diluuio ad creationem mundi *mille ſexcenti ſeptem & quinquaginta* anni numerantur: Vnde ſubducto calculo ſtatim apparet, Exeidium *Sodomorum* anno poſt Diluvium *trecenteſimo nonageſimo primo*; poſt Creationem *bismilleſimo quadrageſimo octauo* contigiſſe. Quo autem præciſe anni tempore acciderit nec in Scripturis expreſſe indicatur, nec e circumſtantiis miraculoſi huius operis colligere licet. Nam quod *Geneſ. XVIII, 1.* DEUS pridie illius Incendii Abrahamo כחום היום *in æſtu diei*, apparuiſſe dicitur, unice meridianum tempus, quod æſtui Solis imprimis ſolet eſſe obnoxium, neutiquam vero *æſtiuum* (vt *Pererio* videtur) reſpicit, cum facile e contextu aliisque locis parallelis oſtendi poſſit, phraſin hanc (כחום היום) ſtylo Scripturis vſitato præciſe eam diei partem denotare, quo Sol ad cuiusque loci Meridianum pertingit. Cæterum in definienda excidii hora momentoque ſatis accurate Moſes procedit; & ini-

tium

Digitized by Google

tium quidem illius *Geneſ. XIX, 23.* Sole iam iam ſupra Horizontem ſurgente, cum Lothus Zoari vix pedem intuliſſet, cœpiſſe ſcribit; mox *v. 27. 28.* conſummationem incendii ſubiungens, *Multo mane*, ait, *ſurrexit Abraham ad locum illum, vbi ſteterat* (pridie) *coram Domino* (ſeu quousque comitatus fuerat Angelos hoſpites *vid. Cap. XVIII, 16.*) *proſpexitque verſus Sodomam & Gomorrham, & verſus omnem terram iſtius planitiei, viditque aſcendentem fumum terræ, quaſi fumum fornacis.* Circa quæ imprimis obſervandum, quod *Abrahamus* quantumuis mane ſurrexerat, nec ignem de cœlo cadentem, nec de terra reflexum in nubibus, ſed ſolum fumum conſpexerit, vnde quiuis colligere poterit, quam atrox & ſubitaneum fuerit hoc incendium, quod exiguo temporis (incertum an vnius horæ) ſpatio Regionem ſatis amplam ita vaſtauit, vt nec lucidi ignis capax materia ſupereſſet.

III. Hic autem ſimul ſtatim ſe prodit Excidii *cauſa efficiens principalis*, quam ſeueriſſimum peccatorum vindicem DEUM eſſe, nemo qui Scripturæ auctoritatem veneratur, negare poterit. Præterquam enim quod ipſe cum Lotho & Abrahamo loquens *Geneſ. XIIX, & XIX. ſibi perditionem ac ſubuerſionem* vrbium illarum tribuit; paſſim quoque a Sacris Scriptoribus ad DEUM ceu cauſam principalem excidium iſtud refertur. Sic *Moſes* non ſolum *Geneſ. XIX, 24. 25.* ſed & *Deut. XXIX, 23. JEHOVAM ſuper Sodomam & Gomorrham pluiſſe ſulphur & ignem, eiusque ira & excandeſcentia ſua ſubvertiſſe* ſcribit. Sic *Jeremias Cap. L. 40. Chaldæos* ſubuer-

ſum iri nunciat, *prout DEUS ſubuertit Sodomam* &c. Sic *Petrus II. Epiſt. Cap. II, 6. DEUM ipſum ciuitates Sodomorum & Gomorrhæ in cinerem redactas ſubuerſione condemnaſſe* teſtatur. Et ſane, ſi totam cladis illius hiſtoriam intuemur, nulla propemodum circumſtantia eſt, quæ non omnipotentem & miraculoſum DEI digitum oſtendat, vt in ſubſequentibus ad oculum patebit. Quanto certius autem hæc ex reuelatione diſcimus, tanto magis elucet Gentilium Scriptorum vanitas, qui cœleſti veritate vel neglecta vel non ſatis comperta ingenii acie cauſam tanti miraculi perveſtigare conati fuerunt. Longiſſime inter hos a vero aberrauit *Strabo Lib. XVI.* qui *Sodomam* & vicinas ciuitates ſolum eam ob cauſam incendio periiſſe putat, quod regio tota ſit ignea, ſulphurea & cavernoſa, ac proinde huiusmodi exitio obnoxia; quæ licet in vniuerſum falſa non ſint, eatenus tamen merito rejicienda, quatenus neque cauſam principalem, neque terminum e quo ſatis aſſequuntur. Equidem ad verum propius acceſſiſſe *Tacitus* & *Solinus* videntur, dum incendium iſtud *de cælo veniſſe Judaicasque vrbes* (ſic *Tacitus Pentapolin* vocat) *fulminum tactu arſiſſe* tradunt; ſed vterque tamen de hoc opere ceu caſu fortuito, aut e cauſis mere naturalibus oriundo loquitur, in quo ſupremum naturæ auctorem ſpeciali influxu operantem agnoſcere & voce venerari debuiſſent.

IV. Interim fatendum eſt, DEO, vt in aliis ſuis operibus, ita in huius quoque ſupplicii exſecutione creaturarum tanquam *inſtrumentorum* miniſterio vti placuiſſe. Et *primo* quidem huic negotio adhibitos legimus

legimus duos Angelos, qui humana ſpecie induti *Sodomam* veniebant, vt non ſolum ſeruandum ab interitu Lothum cum familia ſua educerent, ſed & imminenti excidio ſignum darent, quemadmodum *Moſen* & *Eliam* deſtinatas à DEO plagas, vel erecta ad cœlum dextera, vel ſola voce Ægyptiis ac militibus induxiſſe Scriptura refert; hunc enim ad finem ſe *à Jehoua miſſos* expreſſe illi Angeli teſtantur *Gen. XIX, 13. vt perderent locum hunc* (Sodomam) *cuius clamor creuerat coram Domino.*

V. Alterum *Inſtrumentum*, quo in euerſione Sodomorum vtebatur diuina Juſtitia, eſt *pluuia ſulphuris & ignis*, ſiue ſulphuris igniti (vt recte vertit *Corn. à Lapide.*) *Pluere fecit Jehoua*, inquit *Moſes, Gen. XIX, 24. ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem è cœlis à Jehoua*: quot verba hic ſunt, tot fulminum ac tonitruorum millia. Obſeruarunt ſagaciores interpretum, vocem מטר & hinc deriuatum verbum המטיר, quoties in Scripturis de rebus aliis, quam de aqua ex nubibus liquefactis ſtillante vſurpatur, copiam ac denſitatem materiæ decidentis ſignificare. Sic *Pſalm. XI, 6.* & *Ezech. XXXVIII, 22.* totus pœnarum ac ſuppliciorum cumulus, quem ſuper impios DEUS miſſurus eſt, pluviæ ignis & ſulphuris confertur. Sic *David*, cum *Pſal. LXXVIII.* inter alia DEI beneficia populo ſuo in deſertis exhibita præcipue abundantiam cibi extolleret, v. 27. inquit: *Et PLUIT* (המטיר) *Jehoua ſuper eos carnem ſicut puluerem* &c. Vnde nunc facile colligere poſſumus, quam longe diuerſus ab aliis tempeſtatibus fuerit imber ille ſulphuris & ignis

Digitized by Google

gnis quem in Sodomam DEUS effudit, vbi non ſucceſſiue & per interualla temporis, igneæ exhalationes in aere apparuerunt, aut ſubjectam regionem tetigerunt, ſed per totum aeris tractum, quaqua incolarum viſui cœlum patebat, immenſa fulgurum fulminumque vis, denſiſſimi ad inſtar nimbi, ſine vlla intermiſſione graſſata eſt, vt, quemadmodum in tempeſtuoſo mari vnda vndam, ita hic in aerea regione flamma flammam trudere videretur.

VI. Equidem nonnulli interpretum, nominatim R. *Jac. Abendana*, & *Ben. Pererius*, propriam ſignificationem vocis המטיר commode ſeruari poſſe putant, ſi vel dicamus, in tempeſtate Sodomitica una cum igne & ſulphure veram pluuiam, guttis aqueis conſtantem, deſcendiſſe, vel (vt *Pererio* placet) per *ſulphur & ignem* intelligamus *aquam ſulphuream & igneam, ſuperne ingenti copia & vehementi impetu cadentem, & quæcunque contingeret, penitus exurentem: ex qua fortaſſe aqua ſiue pluvia factus ſit lacus, poſtea dictum Mare Mortuum.* Enim vero proprietas verbi המטיר, quam Scriptura toties pro ſubjectorum ratione variat, tanti eſſe non poteſt, vt propterea ſubjectum ipſum præter authoris intentionem mutemus, & aliud, quod neque contextus neque ſana ratio admittit (puto *aquam igneam Pererii*) ſubſtituamus. Certe *Moſes* in loco citato ne verbulo quidem *aquæ*, multo minus eiuſmodi qualitatibus præditæ, mentionem facit. Quomodo autem Mare Mortuum a cauſis longe

longe aliis originem traxerit, id ſuo loco fuſius oſtendemus.

VII. *Pererius p. 849. 850.* autem porro quoad pluuiæ iſtius materiam exiſtimat, *præter ſulphur ſimul etiam admixtum cecidiſſe ſal ardens & urens*, & hanc ſuam ſententiam tum è ſcriptura, tum ex effectu probare conatur. Prior probatio pro fundamento habet locum *Deut. XXIX*, 23. vbi *Moſes*, Iſraelitis futuram terræ ſuæ vaſtationem nuncians, inquit: *Sulphur, & Sal et combuſtio totum ſolum eius*, (ſcil. regionis veſtræ) *non ſeretur, neque germinabit, neque aſcendet in ea ulla herba, ſecundum ſubverſionem Sodom & Gomorrha, Adamæ & Zebojim, quas ſubvertit Dominus in furore ſuo & in ira ſua.* Verum ſi recte locum inſpiciamus, ſtatim apparet, non eſſe ſermonem de *inſtrumento* euerſionis, ſed de ſtatu ipſius terræ poſt euerſionem; hunc enim, non illud, *poſteriori eorum & peregrinus veniens è terra longinqua*, viſuri erant; & *ſolum terræ*, non pluuia in eam demittenda, dicitur futurum *ſulphur & ſal & combuſtio*; quæ ſane ad præſens, quando de materia pluviæ Sodomiticæ agitur, non poſſunt applicari. Præterea notum eſt, & *Pererius* ipſe agnoſcit, quod in Scripturis vox מלח, quando de terra prædicatur, per *Metonymiam cauſæ pro Effectu*, *ſterilitatem* eius denotet; vnde etiam Pſ. CVII, 34. vocem למלחה quam alii *ſalſuginem* vertunt, *Pererius terram omnino ſterilem* interpretatur. Quæ ſi cum l. c. *Deut.* conferamus, facile patet, ſenſum eius huc redire, quod terræ Iſraelitarum talis ſtatus ſit futurus, qualem Sodomo-

rum regio per excidium ſuum mactaeſt, vt ſolum ipſius ſterile & inutile reddatur, non ſecus ac ſi penitus exuſtum aut in ſolphur & ſalſuginem mutatum eſſet. Inſtat *Pererius;* manifeſtum tamen eſſe ſalis illius effectum, quippe qui *lacum Aſphaltitis penitus infecerit, & in ſui mutauerit ſaporem, atque ex eo vocari in Scriptura Mare ſalſiſſimum.* Sed reſpondemus: ſupponere illum, non probare, nec etiam probare poſſe, quod ſua natura alium habuerit ſaporem lacus iſte, quem ante Excidum Sodomorum ne exſtitiſſe quidem ſupra oſtendimus, & *Pererius pag. 850.* ipſe fatetur. Quod Scriptura dictum lacum à ſapore ſuo *Mare ſalis* ſiue ſalſiſſimum dicat, libenter concedimus, ſed quod ſaporem hunc ex *Sale*, per pluuiam cœlitus delapſo, traxerit, id, quia nullum in S. literis fundamentum habet, negamus.

VIII. Verum aliud adhuc ſupereſt Excidii Sodomitici *Inſtrumentum*, ſcilicet *Terræ Motus*, quem præter imbrem ſulphureum ad euerſionem Pentapoleos concurriſſe, non minus Scriptura indicat, quam effectus certi & indubii demonſtrant. Quamuis enim *Moſes* diſertis verbis phænomenon iſtud non exprimat, haud obſcure tamen verbum הפך, quod (teſte *Leichio* in Crit. S.) *verſionem vel in nihilum, vel in formam aut qualitatem aliam, vel in locum alium*, denotat, & Job. IX, 5. manifeſte de exciſione montium per terræ motum vſurpatur, peculiarem euerſionis modum exprimit, qui non ſolum terræ ſuperficiem, ſed interiora quoque, & ipſum quodammodo fundamentum deſtruxit, ac proinde

ſoli

Digitized by Google

ſoli pluuiæ ignis & ſulphuris tribui non poteſt. Atque huc imprimis ſpectat Origo Maris mortui, & reliquiarum *Sodomæ* vrbis in illud immerſio, qui ſane effectus à nulla alia cauſa, quam *Terræ Motu*, deduci queunt. Sententiam iſtam *Pererii*, quæ Mare Mortuum ex aqua ſeu pluuia cœlitus demiſſa factum ſtatuit, iam ſupra ceu incongruam & Scripturis aduerſam reiecimus: Si ſoli Jordani & reliquis illabentibus fluviis productionem lacus adſcribere velis, ſtatim oritur quæſtio: quid ergo fluminum dictorum curſus inhibuerit, vt in locum illum aquas congerere cogerentur, quem ante excidium nullo lacu occupatum fuiſſe demonſtrauimus? cur ipſum Mare mortuum, per tot ſecula continuis affluentium aquarum incrementis auctum, nunquam tamen eo vsque excreuerit, vt adiacentem planitiem occuparet? denique, vnde huic Mari perpetuus ille fumus, fœtor intolerabilis, aquæ putidæ & amaræ, ſi totum à fluviis limpidam dulcemque vndam trahentibus componitur? Certè phænomena iſthæc, niſi novum fingere velis miraculum, vix & ne vix quidem ex hac ſola hypotheſi ſolui aut explicari poterunt. Quod ſi vero præter illabentes fluvios *Terræ Motus* in ſubſidium aſſumatur, iam & phænomena ſoluta erunt, & dubia quævis ſponte cadent.

IX. Intelligimus autem hic eam præciſe *Terræ motus* ſpeciem, quæ Latinis vulgo *Hiatus*, Græcis χασματίας dicitur; tanto reliquis ſpeciebus atrocior, quanto non tecta ſolum & muros ædificiorum ſubruit, ſed totas nonnunquam vrbes, montes & Inſulas cum omnibus incolis in momento deuorat ac ſub-

Digitized by Google

ſubmergit. Huius inter alios effectus obſeruarunt Hiſtorici, quod plerumque ſubmerſis hoc modo vrbibus ingens aquarum vis vel è Mari, ſi loca littori viciniora, vel ex ipſo Hiatu, ſi à pelago magis remota fuerint, prorumpens, ſucceſſerit, quæ pro diuerſitate materiæ ſubterraneæ diuerſis qualitatibus odoris, ſaporis & coloris prædita reperitur. Quibus ad præſens applicatis nunc ſtatim èluceſcet phænomenorum iam propoſitorum ratio: Nimirum cum ſtatim poſt imbrem ſulphuris, ipſum quoque ſolum vallis *Siddim* & *Sodomæ* vrbis ingenti hiatu deſederit, prodeunte in locum eius ſubterraneæ aquæ copia, vtique fluminum dictorum aluei profunda voragine intercepti, in lacu ſubſiſtere cogebantur, ex quo tum ob magnitudinem, tum aquarum grauitatum emergere non valebant. Porro, cum haud dubie (vt *Kircherus* oſtendit M. S. Tom. I. L. II. cap. 12. pag. 87.) in iſto hiatu canales ſubterranei extent, qui tantum aquæ, quantum per fluuios Mari Mortuo accedit, ſucceſſiue in alias terræ partes auehunt, ſtatim apparet cauſa, cur dictum Mare, licet in ſuperficie terræ non habeat exitum, nunquam tamen in maiorem excreuerit amplitudinem. Fumus denique & fœtor grauiſſimus, quem perpetuo lacus emittit, aliunde non eſt, quam è fontibus bituminoſis hiatum ipſum occupantibus, qui fœtum ſuum ſubterraneis ignibus reſolutum per medias vndas protrudunt, ſimulque teterrimos vapores exhalant non olfactui ſolum graues, ſed aquas etiam ſapore ſalſo & quaſi fellea amaritudine inficientes. Verum de his in altera diſſertatione prolixius agendi occa-

Digitized by Google

ſio dabitur: Nunc ſolum paucis ad *Subiectum* excidii, ſiue id, quod *exciſum* denominatur, conſiderandum pergimus.

X. Hic iterum commodiſſime ſecundum ordinem à Moſe in Hiſtoria ſua obſeruatum progredi licebit; verba eiusita ſe habent: *Et ſubuertit* (Dominus) *Vrbes illas, & omnem Planitiem, omnes quoque Habitatores vrbium illarum, & Germen terræ.* Primo loco mentionem facit *vrbium*, quarum in præcedenti verſu duas nominat, dicens: pluiſſe Deum ſuper *Sodomam* & *Gomorrham* fulphur & ignem, & ſubuertiſſe eas ciuitates. Et ſane Scriptura ſæpius, cum de clade iſta loquitur, duarum ſaltem vrbium, nonnunquam etiam vnius *Sodoma* meminit. Hoc vero (vt ſupra monuimus) vnice fit breuitatis cauſa, & quia dictæ ciuitates reliquis amplitudine, potentia & improbitate antecellebant; nam *Deut. XXIX, 23.* vbi, quæ *Gen. XIX.* dixerat, *Moſes* repetit, manifeſte adnumerantur adhuc aliæ duæ ciuitates, *Adama* videlicet & *Zeboim*, quas *Hoſeas* etiam cap. XI, 8. commemorauit, vt appareat, *quatuor* fuiſſe ciuitates cœleſti incendio correptas ac ſubverſas.

XI. Quid autem dicemus de eo; quod communiter *quinque* vrbes deletæ dicuntur? certe videri poterat, in locis iam citatis quintam ciuitatem, quæ *Bela* & *Zoar* dicitur, non, quod ab excidio ſeruata fuerit, ſed ob paruitatem & ignobilitatem ſuam omitti, prout Gen. X, 19. factum eſt. Huc accedit, quod *Joſephus* & *Egeſippus*, *L.V. de Bell. Jud. cap. 5.* hic *Lib. IV. de Excid. Hieroſ. cap. 15.* *quinque* vrbes fulmini-

Digitized by Google

minibus conflagraſſe, & *quinque* oppidorum imagines adhuc in cineribus ſupereſſe memorant. Sic *Author Libri Sapientiæ* Cap X, 6. ignem in *Pentapolin* ſeu *quinque* vrbes deſcendiſſe ſcribit; quæ omnia videntur adſtruere, quod reuera *quinque* ciuitates, & in his etiam *Zoar*, ſubuerſæ fuerint. Verum hanc ſententiam Scriptura ipſa ſatis perſpicue refellit, dum Gen. XIX, 21. vel DEUM, vel Angelum DEI nomine, Lotho, qui paruum oppidum *Belam* pro aſylo ſibi exorabat, reſpondentem inducit: *En! ſuſcepi faciem tuam* (i. e. exaudiui te) *etiam in hac re, vt non ſubuertam vrbem hanc de qua locutus es.* Et paulo poſt ſubiungit *Moſes*, *idcirco vocatum eſſe nomen ciuitatis* ab interitu ſeruatæ *Zoar*, h. e. *parua*, quia nimirum Loth in præcedentibus appellauerat eam modicam & paruam. Quæſo, quid clarius dici poſſet hac veraciſſimi Numinis promiſſione & luculento Scripturæ teſtimonio? Nihilominus tamen excipiunt *Lyranus* & eius ſequaces; fieri certe potuiſſe, vt Zoar tum quidem, cum Lothus in eam diuerteret, ſeruata ſit; ſed cum ne ſic quidem exemplo tanto ac tam horribili emendaretur, ipſa quoque tandem, ſi non fulminibus certe terræ motu ſubuerſa ſit: quemadmodum & Niniue, cum ad concionem *Jonæ* reſipuiſſet, tum quidem ſeruata eſt, ac nihilominus, cum poſt decurſum aliquod annorum priſtina ibi peccata rurſum invaleſcerent, vaſtata eſt plane, vt propheta Nahum prænunciauit. Nam quod *Zoari* parcere voluit, id voluit propter Lothum. Illo egreſſo non fuit ratio, cur amplius ſeruaretur.

XII. Sed

Digitized by Google

XII. Sed reſpondemus: Certum quidem eſſe, quod DEUS *Zoari* propter Lothum parcere voluerit, ſed hic male concludi, quod illo egreſſo cauſa quoque, cur amplius ſeruaretur, & conſequenter etiam effectus, ceſſauerit. Nam (1.) DEUS in l. c. ſimpliciter & ſine vlla reſtrictione temporis, nec etiam ſub conditione futuræ pœnitentiæ, *Zoari* liberationem ab Excidio pollicetur, adeoque ſalus ciuitatis non tam a Lothi præſentia, quam illimitata promiſſione DEI pendebat, quæ vtique per diſceſſum Lothi ſublata non eſt. (2.) Nec Lotho ipſi certum tempus morandi in *Zoar* a DEO præfixum, nec egreſſum eius mandato diuino præceptum legimus, quin, quod inde diſcedens ad montis ſpeluncam ſe recepit, ex humana imbecillitate & diffidentia quadam, quia ſcil. *timebat habitare in Zoar*, factum eſſe Scriptura *Gen.* XIX, 30. teſtatur: unde patet, non intendiſſe DEVM tantum per exiguum tempus differre *Zoaris* excidium, quando Loth, permittente eo, non paucas ſolum horas, ſed omnes reliquas vitæ dies tuto ibidem degere, adeoque & ipſam ciuitatem tamdiu ſoſpitem videre potuiſſet. (3.) Nullo prorſus fundamento e Scriptura probari poteſt, quod oppidum *Zoar* ſtatim poſt Lothi diſceſſum everſum, multo minus, quod terræ motu abſorptum fuerit; potius ipſe *Moſes* Geneſ. XIV, 2. 8. ſuo tempore illud ſtetiſſe indicat, quum duabus vicibus de *Bela* tanquam adhuc præſente dicit היא צוער *quæ eſt Zoar*, quod ſane de vrbe jam pridem hiatu terræ ſepulta, & ne loco quidem ſuperſtiti, vix ſatis commode prædicari poterat. Et quid multis? præſto eſt luculentiſſimum *B. Hiero-*

nymi

nymi de hac vrbe ſuis temporibus ſtante ac florente teſtimonium, hunc in modum ſcribentis: *Bala, quæ eſt Segor, nunc* Zoara *nuncupatur, ſola de quinque Sodomorum vrbibus, Loth precibus præſeruata eſt: imminet Mari Mortuo, & præſidium in ea poſitum eſt militum Romanorum. Habitatoribus quoque propriis frequentatur, & apud eam gignitur balſamum & poma palmarum, antiquæ ubertatis indicia.* Cum quibus congruunt, quæ ſupra de ſitu *Zoaris* ex auctoribus ibi allegatis adduximus, quamuis illi, (quippe multis ſeculis *Hieronymo* iuniores) in ſtatu longe alio ciuitatem hanc inuenerint.

XIII. Argumentum pro adſtruendo *Zoaris* excidio e Sap. X. petitum, licet vel hoc nomine reiici mereatur, quod Apocryphi libri auctoritate nititur, magis tamen ideo repudiamus, quia ſcopo Auctoris & ipſi contextui aduerſatur. Quando enim in dicto loco *Sapientia iuſtum pereuntibus impiis liberaſſe dicitur fugientem ab igne in Pentapolin deſcendente*, manifeſte locus, quo Loth ab igne in *Pentapolin* deſcendente fugit, (erat autem hic proculdubio *Zoar*) τῇ πεντα-πόλει contradiſtinguitur, adeoque vox iſta (*Pentapolis*) non tam vrbes actu everſas, aut numerum earum exprimit, quam regionem a quinque vrbibus ſic appellatam. In hanc enim deſcendit ignis & combuſſit omnia, una tantum *Zoar* excepta. Neque hoc Græcæ linguæ infrequens eſt, vt a numero ciuitatum ad unam nationem ſpectantium totam regionem cognominet, prout *Marc. V, 20. & VII, 31.* certa prouincia *decem* vrbes continens *Decapolis* appellatur. Ceterum cum *Joſepho*, qui *quinque* vrbium euſta-

uſtarum imagines ſupereſſe ſtatuit, non eſt, cur prolixe diſputemus; quoniam ipſe in alio loco ſufficienter ſe refutavit, expreſſe ſcribens *Antiq. L. I. cap. 19. Fugit autem Loth cum filiabus, in paruulo quodam agro ſe retinens ab igne liberato, qui locus* Segor *hactenus appellatur: ſic enim Hebræi modicum vocant.* Hactenus itaque ſatis, ſpero, oſtenſum, quod oppidum *Zoar* nec una cum reliquis cœleſti incendio, nec ſtatim poſt *Lothi* diſceſſum terræ motu interierit, & per conſequens non plures nec pauciores, quam *quatuor* ſupra recenſitæ ciuitates, *Sodoma*, ſcil. *Gomorrha*, *Adama & Zeboim* excidio Sodomitico fuerint euerſæ.

XIV. Non autem ſolum *quatuor* vrbes iam enumeratas *ſubiectum* excidii ſtatuit Moſes, ſed mox addit, ſubvertiſſe etiam DEUM את כל־הככר *omnem iſtam planitiem.* Si quæratur, quænam, & quousque extenſa fuerit hæc planities? reſpondet *Pererius Comm. in Gen. XIX. p. 851. Fuiſſe eam omnem, quam operuit Mare Mortuum: namque eo loco erant celebres illæ quatuor ciuitates. Itaque magnitudo eius cladis æſtimari debet ex magnitudine illius Maris.* Quæ quidem ſi ſolum de parte regionis terræmotu abſumta intelligantur facile concedi poſſent, nam & nos ſupra *Cap. II. §. 8. 9.* hoc inſtrumento tantum eam plagam, quæ Mari Mortuo tegitur, euerſam fuiſſe oſtendimus. Quod ſi vero hac deſcriptione totam regionem Sodomitico incendio exuſtam & vaſtatam complecti velis, prout ipſe *Pererius* ſtatum quæſtionis format, tunc falſiſſimum eſt, quod ex magnitudine Maris Mortui magnitudo cladis æſtimari debeat.

Digitized by Google

Primo enim iam antea prolixe demonſtrauimus, e quatuor vrbibus cœleſti incendio vnam tantum *Sodomam* lacui fuiſſe immerſam, reliquarum trium ruderibus extra eius littora conſpicuis, vnde etiam haud dubie in circuitu maior terræ pars, quam Mortuum Mare occupauit, ſulphureo imbre vaſtata eſt. *Secundo* Moſes non ſolum vallem *Siddim, quæ eſt Mare ſalis*, a Domino ſubuerſam fuiſſe ſcribit, ſed *omnem iſtam planitiem*, de qua Gen. XIII, 11. ciuitates *Pentapoleos* ערי הככר *vrbes planitiei* dicebantur, quæque Geographia teſte a Mari Mortuo per ſpatium ſatis amplum ad montes usque, perpetuo prope iugo eam cingentes, protenditur. Fruſtra igitur eſt, quod *Pererius* vaſtationem terræ Mari Mortuo vicinæ non a pluvia ignis & ſulphuris, ſed ab exhalationibus dicti Maris deducere conatur, dum pag. 851. diverſa eius nomina explicans ſcribit: *Appellatur Mare ſolitudinis, quod poſt memorabilem illarum vrbium deflagrationem, loca circumquaque vicina, tetra peſtilentium aquarum euaporatione ita perpetuo inficiantur, vt ſterilia pariter atque inſalubria, ob idque hominibus & animalibus infeſta; ſemperque inhabitata & deſerta ſint.* Sane quamuis hanc regionis ſterilitatem a vaporibus Maris augeri & ſuſtentari non negemus, originem tamen eius, quam Scriptura ſoli pluviæ deſuper immiſſæ tribuit, ad aliam cauſſam, producendo tali effectui plane imparem, referre neutiquam poſſumus. Quantumcunque enim extimam terræ ſuperficiem deturpare & ſterilem reddere queunt peſtilentes eiusmodi exhalationes, nunquam eousque pertingent, vt & interiora eius exuſta, & in cineres reda-

Digitized by Google

cta (quæ Sodomiticæ terræ facies eſt) videantur. Agnoſcit has difficultates ipſe *Pererius*, ideoque in ſubſequentibus ſententiam priorem corrigens concludit; *Ergo non ſolum ea regio, vbi erant ciuitates illæ, quæ obruta eſt illo lacu; ſed & vicina regio circumquaque per aliquot milliaria eodem malo* (incendii) *affectaque eſt.* Quæ concluſio vti ſatis recte infertur, ita ſententiam modo recenſitam, quam tamen expreſſe ſuam faciebat *Pererius*, non tam corrigit aut emendat, quam penitus evertit.

XV. Tertio loco ad excidii *ſubiectum* refert Moſes ארץ ככר יושבי הערים *omnes incolas iſtarum vrbium.* Procul dubio hic *quatuor* ciuitates actu everſæ, *Sodoma, Gomorrha, Adama* & *Zeboim* intelliguntur, excepta iterum *Zoare*; nam quod *Theodoretus* & *Suidas* Lothum vrbi ſolum ſaluti fuiſſe putant, viris etiam incolentibus e medio ſublatis & hiatu terræ abſorptis, id contra clarum Scripturæ teſtimonium fingunt, quæ hic vnice loquitur de illis ciuitatibus, in quas, præcedenti verſu, *ſulphur & ignem* depluiſſe, quasque a Domino ſubverſas fuiſſe dixerat. Atqui ex harum numero eximi debere *Zoarem* ſupra oſtenſum eſt, adeoque manifeſtum, quod nec habitatores eius hac recenſione comprehendantur. Præterea non apparet, qui fieri poſſit, vt omnes incolæ intra mœnia civitatis hiatu terræ abſorbeantur, ſalvis manentibus ædificiis, ni miracula miraculis cumulare præter omnem reuelationem velimus. Cæterum apprime notanda vniuerſalitas aſſerti *Moſaici*, quod incolæ quatuor ciuitatum *omnes*, ſine vllo ſexus aut ætatis diſcrimine perierint. Nimirum educto cum

Digitized by Google

familia ſua *Lotho*, nullus in tanto numero iuſtus, quem ab excidio Deus ſeruaret, ſupererat, ſed omnes infanda flagitiorum labe polluti & ad ſupplicium maturi; ſic enim ſupra v. 4. memorantur ciues *Sodomæ* obſediſſe domum Lothi: מנער ועד זקן כל העם מקצה a puero ad ſenem totus populum ab extremis (ciuitatis).

XVI. Neque eſt, cur infantes *Sodomitarum* ceu pleno rationis vſu per ætatem deſtitutos, adeoque communium flagitiorum incapaces e conſortio peccatorum velis eximere, quum præter id, quod originali peccato infecti per naturam ad deteriora propendebant, a parentibus etiam vitioſiſſimis originem traherent, qui tanto rarius filios bonæ indolis progenerare atque educare ſolent, quanto magis tota natio perverſis moribus eſt inquinata. Haud dubie igitur DEUS præuidit, paruulos hoſce, ſi longiori vita fruerentur, ſceleratis parentum veſtigiis inſtituros, ideoque illos vna cum adultis e medio tollere voluit, vt genus humanum prorſus a tam fœda propagine purgaretur. *Namque illius gentis* (verba ſunt *Pererii Comm. in Gen. Cap. XIX. p. 852. a*) *non ſolum ſtirpem, verum etiam progeniem, prorſus exciſam atque extinctam eſſe, nullumque factum eius gentis reliquum eſſe ſemen, apertis verbis declarat Eſaias, cap. I. dicens: Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus.*

XVII. Imprimis autem in hoc excidio *Sodomitarum* elucescit DEI ſapientia, quod præciſe matutino tempore illud immiſerit, quo & *Lothus* commode e-

duci

Digitized by Google

duci fugaque ſaluari, & tamen ciues reliqui velut imprudentes in propriis ædibus occidi poſſent, ne cuiquam effugiendi locus daretur. Quis dubitet enim, mollem ignauumque populum, & ex parte nocturnis graſſationibus fatigatum, oriente Sole adhuc in vtramvis aurem dormiuiſſe, non animaduerſa prius imminente morte, quam de cœlo per aëris regionem immenſam fulminum vim cum horrendis fragoribus ſpargi, tecta ædium ſuarum aut conflagrare aut deiici, ſe ipſos denique feralibus flammis & peſtilenti halitu peti ſentirent.

XVIII. Conſideratis ita hominum excidio Sodomitico perditorum calamitatibus, nunc iterum & poſtremo in campos per Moſen educimur, ſpectatum ſcilicet ceu *Subiectum* euerſionis צמח האדמה *germen iſtius terræ*; quo generali nomine, quidquid olim amœnitatum aut fructuum fœcundiſſima *Sodomorum* terra emiti potuit, comprehenditur. Sic nimirum oportuit fieri, quando totam regionem deformare & inhabitabilem reddere DEUS conſtituit, ne pulcherrima eius pars, & vnde maxima illius felicitas dependebat, integra maneret. Itaque non ſolum fruges vberrimæ, quas arua opima in valle Siddim reddidere, non ſolum flores ac herbæ, lætas Jordanis ripas gratiſſima viriditate veſtientes, ſed & ipſæ arbores fruticesque, ſuauium pomorum varietate luxuriantes, incendio tactæ ſunt & radicitus exuſtæ, vt ne vmbra quidem prioris fertilitatis in toto regionis tractu ſupereſſet. Simile quippiam huic vaſtationi, *a Tartaris Crimenſibus* irrumpente Polonorum exercitu Anno 1686. factum legimus in Epiſtola *Io-*

Digitized by Google

hannis III. Polonorum Regis ad Romanum Pontificem, adjecta deſcriptioni Regni Poloniæ, a *Jac. Sandrarto Norib.* editæ, cujus verba Germanice ibidem reddita ita ſe habent: Auſſer der ungemeinen und meinen Leuten gantz ungewohnt vorkommenden Hitze/ zündeten die Tartarn umher alles Graß an/ welches ſo leichtlich Feuer fieng/ daß es/ wie ichs denn/ wenn ichs nicht mit Augen geſehen/ nimmermehr geglaubet/ ſo bald der Funcken drauff kam/ zu brennen anfieng wie dürre Stoppeln/ und dabey ſo hurtig fort brannte/ daß unſer Lager offtmahls in nicht geringe Gefahr gerathen/ wie denn auch viel der Meinigen auf dem ausgebrandten und mehr ſchwartzen Kohlen/ als einem Boden gleichenden Erdreich die Zelte aufſchlagen muſten/ ꝛc. Ex quibus facile judicari poterit, quanto gravior magisque noxia hoc incendio fuerit, exuſtio terræ Sodomiticæ, ubi non flamma uni tantum loco applicata ſucceſſive tellurem perreptavit, ſed primo ingenti impetu in totam undique regionem effuſa, dein novis ſemper ignis ſulphurisque acceſſionibus aucta & quaſi roborata eſt, ut non extantia ſolum germina conſumere, ſed & nullo negotio ad interiora terræ pertingere, omnesque radices adurere valeret.

§. XIX. Hactenus itaque perluſtravimus ea, quæ Scriptura ſuppeditat, *Excidii Sodomitici ſubiecta*; ſed unum adhuc expediendum reſtat, priusquam ad alia progrediamur. Nimirum e ſupra dictis conſtat, incolas Pentapoleos non minus quam Lothum ipſum ampliſſimos ovium armentorumque greges in

feli-

felicibus regionis ſuæ paſcuis aluiſſe; at horum in excidii recenſione nullo verbo mentionem facit Scriptura; vnde merito quæri poteſt, an & hæc pecora omnia cœleſti incendio perierint, nec ne? & ſi prius, cur a Moſe ſic prætereantur, qui tamen h. l. *vrbium*, earundem *incolarum*, *virentium terra* &c. & in Hiſtoria diluvii ipſarummet beſtiarum interitum ſtudioſe expoſuerat? *Gen. VII, 21, 22.* Ad quæ reſpondemus; omnino ſtatuendum eſſe, quod pecudes etiam ſimul fuerint interemtæ, quoniam (1) incendium ſubitaneum haud dubie illis æque ac hominibus fugam intercluſit, cum, quæ ſtabulis tenebantur, inde non, niſi hominum ope, potuerint egredi, quæ vero paſtum in campos eductæ, itidem, vt euaderent, certo temporis ſpatio opus habuerint, quia paſcua pleraque ad ripas *Jordanis*, adeoque in medio regionis euerſæ iacebant. (2) *Lothus* nusquam pecora ſecum e *Sodoma* duxiſſe, ſed ſolus cum vxore, filiabus, & exigua forſan ſuppellectile fugiſſe legitur, quare procul dubio tota res pecuaria ab ipſo relicta interiit. Neque tamen ideo neceſſum erat, vt hæc diſtincte in Scripturis notarentur, quum facile quiuis iudicare queat, quod tota regione cum omnibus incolis euerſa, pecudes quoque in ea contentæ non potuerint manere ſuperſtites; Scripturæ autem pro ſcopo ſuo obtinendo ſufficeret, res poſteritati ſcitu maxime neceſſarias obſeruaſſe. Quod in Hiſtoria diluuii beſtiarum interitus exprimitur, partim ideo factum eſt, vt vniuerſalitas eius pateret, partim, quia primarius eiusdem effectus in exciſione animalium ſuper terram viventium conſiſtebat.

Digitized by Google

XX. Atque hæc eſt horrenda facies *Pentapoleos* in ſuo excidio, quam præcipue in hac Diſſertatione ſpectare conſtituimus; Regio partim exuſta fulminibus, partim hiatu abſorpta; arbores & reliqui terræ fœtus ſtipularum more flagrantes; ciuitates ipſæ incendio correptæ ac vaſtatæ; incolæ omnes vna cum beſtiis, ſiue flammis, ſiue halitu peſtilenti necati; quæ vti ſupplicii iſtius diuinæque iræ grauitatem ſatis clare demonſtrant, ita propoſito noſtro facile ſufficerent, vt ulteriori tractationi ſuperſedere poſſemus. Sed materiæ dignitas e contrario nobis perſuaſit, futurum operæ pretium, ſi ſuperſtites poſt excidium Pentapoleos cineres accuratius paulo perveſtigemus, quo tam illis, quæ hactenus dicta ſunt, maior lux affundatur, quam atrocitas ſupplicii e duratione & perpetuitate ſua plenius eluceſcat. Aggredimur ergo ſtatim

CAPVT III.

DE STATV PENTAPOLEOS POST EXCIDIVM.

QVanto odio Supremum Numen ſceleratam *Sodomorum* gentem eiusque peccata proſecutum ſit, vel exinde colligi poteſt, quod non vrbes ſolum aut earum incolas, ſed totam in circuitu Regionem, velut indignam quæ ab hominibus amplius coleretur, cum quondam monſtra ac peſtes humani generis aluiſſet, horrendo prorſus modo vaſtauit atque euertit,

vertit, vt per tot ſeculorum decurſus, ad præſentem vsque diem, nunquam ſe recolligere, aut vllum prioris felicitatis ſignum proferre potuerit. Itaque veterum ac recentium ſcriptorum bene multi, quibus vel triſte illud ſpectaculum oculis vſurpare, vel aliorum relationes ſcriptis publicis poſteritati conſecrare licuit, omne eo ſtudium omnemque induſtriam collocarunt, vt commodis verbis & magnitudine rei dignis id ipſum deſcriberent. Nos impræſentiarum pro exponendo *Pentapoleos* poſt excidium ſtatu, ex auctoribus probatisſimis optima ſeligemus, indicata ſimul tum illorum inter ſe, tum ſtatus ipſius, reſpectu diuerſorum temporum, diſcrepantia; quod vt commodius fiat, regionem iterum ſecundum ſingulas partes perluſtrare iuuabit.

II. Primum igitur ac præcipuum, quod in hac regione conſpectui noſtro ſe offert, eſt Mare Mortuum ſiue Lacus Aſphaltites, cuius exiſtentiam, & originem ex hiatu terræ vallem *Siddim* & vrbem *Sodomum* abſorbentis, præcedenti cap. oſtendimus. Quoad huius magnitudinem tanta inter Hiſtoricos eſt ſententiarum diuerſitas, vt vix duos ex illis, qui propria auctoritate ſcripſerunt, omnino conſentientes reperias. *Plinius* Hiſt. Nat. lib. V. cap. 16. ſcribit, Lacum hunc *longitudine excedere centum millia paſſuum* (ſeu 25. milliaria Germ.) *latitudine maxima implere viginti quinque millia*, (circiter milliaria ſex) *minima ſex* (ſeu milliare vnum cum dimidio.) *Strabo* L. XVI. circuitum eius à nonnullis *mille Stadiorum*, (quæ circiter 32. mill. Germ. faciunt) æſtimari, *longitudinem* autem *paulo plurimum ducentum*

Digitized by Google

Stadiorum (circiter 7. milliar.) eſſe tradit. *Joſephus* L. V. de Bell. Jud. cap. 5. iterum aliam aſſignat menſuram, extendens *longitudinem* lacus ad 580. *Stadia*, (18 mill. Germ.) *latitudinem* ad 150. (ſeu milliaria quatuor cum dimidio.) Ex recentioribus *Borchardus* in Deſcr. Terræ S. it. v. Not. §. 35. *à Saracenis ſibi relatum* ſcribit, *Mare mortuum in latitudine ab Oriente ad Occidentem habere leucas 30.* (editio *Geſneriana quinque* leucas habet.) *In longitudine autem ab Aquilone ad Auſtrum quinque dietas*, Quantum viæ ſpatium huiuſmodi *dieta* contineat, obſcurius paulo eſt, quoniam ipſa vox rariſſime penes Geographos reperitur; veroſimile tamen videtur, *Borchardum* per dietam ſignificare iter vnius diei, Romanis (teſte *Bochardo*) *manſio*, Græcis σαθμὸς dici ſolitum. *Quod vtut varie definiatur, tamen Græci σαθμῷ plerumque quinque paraſangas aſſignant, i. e. viginti paſſuum millia;* adeoque poſito quod *Borchardo* dieta idem ſit ac σαθμὸς, longitudo totius lacus foret paſſuum centum millium, ſeu 25. milliarium Germ. *Lichtfootus* contra è Talmudicis aliam dietæ menſuram affert, nimirum *triginta* milliarium Talmudicorum, quorum vnum ſeptem ſtadiis cum dimidio, & per conſequens vna dieta 225. ſtadiis conſtat, atque ſecundum hanc menſuram Maris mortui longitudo ad quinque dietas extenſa MCXXV. ſtadia ſeu XXXII. milliaria Germ. contineret. Sed hæc, vt dixi, obſcura ſunt & incerta. Nihilo clariora ſunt, quæ *Bart. de Salignaco*, in Itin. Hieroſolym. T. IX. cap. 6. de magnitudine Maris mortui ſcribit; *habere in longitudine ab* *Aqui-*

Digitized by Google

Aquilone in Auſtrum centum & viginti milliaria, in latitudine ab Oriente in Occidentem ſeptuaginta. Quis enim diuinabit, quam milliarium ſpeciem hic intelligat? Sane ſi vel maxime *Gallica*, aut quæ adhuc minora ſunt, *Italica* milliaria aſſumas, vix tamen proueniens magnitudo veræ lacus magnitudini reſpondebit, vt è ſubſequentibus eluceſcet. Cæterum & Joh. *Biſſelius* in *Topoth. Palæſt.* c. III. p. 48. auctores quosdam citauit, quorum vnus *longitudinem Maris mortui octo milliarium Alemannicorum veterum eſſe narret; alii multo ſpatioſius illud extendant, quippe quatuor aut quinque dierum itinere metiendum: regula via,* (vt Biſſelius iudicat) *vix apud omnes auctoritatem inuentura.*

III. Ecce miram & pene inextricabilem ſententiarum varietatem. Non eſt, cur vnius nuda auctoritate nixi reliquos, non minus probatæ fidei *Hiſtoricos*, reijcere velimus, neque tamen apparet, qua ratione inter ſe conciliari posſint, qui tantopere ſententiis ab inuicem diſtant. Vnicum ergo adhuc fundamentum ſupereſt, ex quo memoratas opiniones diiudicari, & veram *Aſphaltitis* longitudinem quodammodo inueniri poſſe ſperamus. Nimirum communis Auctorum fert ſententia, & Scriptura luculento teſtimonio *Joſ. XV.* confirmat, quod Mare mortuum longitudine ſua ab extremitate Auſtrali ad oſtium vsque *Jordanis*, Orientalem totius regionis à tribu Judæ quondam poſſeſſæ conſtituerit terminum; hanc ipſam vero regionem ab *Hieroſolyma* Ægyptum vsque, quæ eſt eius longitudo maxima, *ſeptem dietas* continere *Borchardus* & *Salignacus* teſtantur: vnde ſatis probabi-

babiliter concludimus, *Borchardum*, hunc & qui cum eo faciunt, recte aſſecutos fuiſſe veram *Aſphaltita* magnitudinem, ſiue dictam cum *Lichtfooto* & Talmudicis, ſiue, quod magis arridet, cum *Borchardo* metiantur; cum & ipſæ Tabulæ Chorographicæ oſtendant, quod tota regionis longitudine in ſeptem partes diuiſa, *quinque* partes ſeptimæ lacui iſti debeantur.

IV. Proxime huic adiungimus *Plinium*, quem Mortuo mari longitudinem paſſuum *centum millium* ſeu 25. milliarium aſſignaſſe ſupra vidimus, menſura, (ſtante noſtra hypotheſi) *Borchardiana* prorſus æquali. Longius paulo ab horum ſententia diſtat *Joſephus* dum lacum ſolum *ad 580. Stadia*, ſeu *18. mill. Germ.* extenſum ſcribit, quem tamen propterea erroris accuſare non audemus, quando nec noſtram hypotheſin pro indubia venditare animus eſt. Manifeſte autem *Strabonem* eiusque ſequaces, qui vel *ſeptem* vel *octo* milliarium ſpatio longitudinem Aſphaltitis includunt, a vero aberraſſe deprehendimus, quum latus orientale regionis Judææ, cuius terminum lacus conſtituit, multo longius pertractum eſſe relationes peregrinantium non minus, quam ipſæ Tabulæ, teſtentur. In exceſſu contra non leuiter peccaſſe videtur *Salignacus*; quippe, licet per milliaria eius Italica velis intelligere, nihilominus longitudinem dicti maris *triginta* milliarium Germ. ſtatuere cogitur, quæ præterquam quod ſententias omnes ſupra recenſitas excedunt, conditio quoque regionis, cuius ad Mare mortuum longitudo minima eſt, vix & ne vix quidem admittit. Quod

ad

Digitized by Google

ad latitudinem Aſphaltitis attinet, ſententiæ enumeratæ pleræque ſuo modo ſtare poſſunt, quando certum eſt, eam diuerſis in locis diuerſam eſſe, adeoque & diuerſam admittere menſuram, licet fatendum quoque ſit, *Saligniacum*, qui in longitudine aſſignanda modum exceſſit, latitudinem etiam pari menſura fuiſſe metitum, dum ad 70. milliaria eam extendit.

V. Neque tamen id vitio iure verti poterit laudatis Scriptoribus, quod de magnitudine Maris mortui minus certa & diſſona prodiderunt; quum horrenda Maris iſtius facies & incommoda alia non tam impediant accuratam dimenſionem, quam prorſus impoſſibilem reddant; vt mirandum potius ſit, tot viros eximios & ſplendidis ortos natalibus ingentes labores ac moleſtias, pro loco iſthoc videndo & perueſtigando, ſuſtinuiſſe. Non ſolum enim aquæ ex quibus Aſphaltites componitur, licet *Jordanem* & fluuios alios dulces limpidoſque recipiant, præ omnibus reliquorum lacuum aut marium vndis acerrima ſalſugine & peſtilenti odore ſunt infectæ, ſed perpetuum quoque fumum vaporemque emittunt, animalibus non minus, quam cunctis terræ fœtibus exitialem, vt haud incongrue de lacu iſthoc dici poſſit, quod de *campo Phlegræo Kircherus* : *In inferno te conſtitutum diceres, vbi omnia horrida, luctuoſa ac formidanda rerum facie, ſulphuris quoque bituminis, naphtæ & aliorum mineralium fœtore tantum non exanimeris.* Experti ſunt hæc mala quotquot vnquam peregrinantium eo pertigerunt, atque inde factum eſt, vt in omnibus prope libris, qui

vel

Digitized by Google

vel obiter *Palæſtinæ* Hiſtoriam tractant, hanc Mortui Maris conditionem decantatam reperias. Sic iam olim *Tacitus* Lib. V. Hiſt. *Lacum immenſo ambitu, ſpecie maris, ſapore corruptiorem, grauitate odoris accolis peſtiferum*, & *Strabo*, *Georg. Lib. XVI. fauillæ multum emittere, fumoſum, aſpectu atrum, æri & argento & nitidis ac terſis omnibus, usque ad aurum, rubiginem inducere*, notarunt. Qui non ita pridem lacum hunc inſpexere, ſimilia prorſus referunt. *Ibi odorem teterrimum, faciem triſtem & quaſi tartaream, ſaporem aquæ ſalſiſſimum, & fellea amaritudine ſtypticum* obſeruauit *Mart. à Baumgarten, Peregrin. Lib. II. cap. 12.* quibus ſtatim ſubiungit: *Latiorem eius lacus proſpectum nimbus & vapida auſſerebant nebulæ.* Illuſtr. quoque Princeps *Radziuilius* Ep. II. f. 96. proprio labore ac periculo compertam lacus iſtius naturam deſcribens, *Aquam*, inquit, *valde ſpiſſam & fœtentem habet, quæ guttatim deguſtata, prout à nobis factum, linguam atrociter mordet, & caput graui peſtiferoque odore vehementer inficit.* Neque hic præteriri debent, quæ *Borchardus* l. c. tanquam à ſe obſeruata ſcribit: *Mare Mortuum ſemper eſt fumans & tenebroſum, ſicut os inferni. Oculis meis vidi ſimul cum aliis pluribus ſociis teterrimum & malum vaporem, ex Mari Mortuo fumantem.* Et ne mala hæc ab illis ſaltem ſentiri putes, qui ad proxima lacus littora hærentes ori aut naribus putidas aquas admonent, ecce! *Saligniacus* ſupra memoratus, qui, viſa ſtatua ſalis, *peſtiferam regionem timens, ſiniſtram verſus Hiericho diuerterat*, adeoque ad lacum ipſum non per-

Digitized by Google

pertigerat, eminus tamen eundem conſpexit *fœtidum & tenebroſum, velut ſulphureum, vt Cocytum infernalem aut atram ſtygem dixeris.*

VI. Hanc igitur ob cauſam tanta in vniuerſo lacu ſterilitas, vt nihil prorſus, quod animam agit vitalem, ſinu ſuo foueat. *Neque* enim (referente *Tacito*) *vento impellitur, neque piſces aut ſuetas aquis volucres patitur;* vnde facile fidem inueniunt, quæ *Salignıacus* & alii recentiorum notant; vbi Jordanes piſcoſus in Mare Mortuum ſe recipit; piſces retro cedere, nec diu eſſe vitales, ſi quos impetus fluminis huc abſtulerit. Quippe animalia dulcibus ac limpidis aquis innutrita impoſſibile eſt in lacu fœtenti & ſalſiſſimo, vbi nec liberum motum aquarum grauitas concedit, vitam ſuſtentare. Aues etiam & terreſtria reliqua, mirum non eſt, quod perpetuo fugiunt plagam iſtam, quæ præter id quod omnibus ad victum ipſorum neceſſariis deſtituta eſt; lethifero ac peſtilenti halitu certisſimam perniciem minatur. Interim, ne in vniuerſum omni viuentium ſodalitio in vicinia quoque priuatum eſſe lacum illum putemus, riparum ſuarum accolam nutrire non infrequentem, *Biſſelius* refert, virulentum illud anguis genus, è cuius irati tumido capite caudaque venenum illud exſudat, quod in Medicorum officinis Theriacæ potisſima virtus & tanquam anima ſit: medicamentum Ægyptiis olim Sultanis in pretio.

VII. Ita ſæpenumero quæ maxime damnoſa & metuenda videntur mortalibus, in bonum vertit diuina Sapientia, & inter media vindicis iræ ſigna bo-

nita-

Digitized by Google

nitatis ſuæ theſauros in creaturas effundit. Oſtendunt hoc præter angues modo recenſitos alii quoque Maris Mortui fœtus, qui, vti prima fronte teterrimam ſpeciem, ita recte adhibiti inſignem vtilitatem præbent humano generi. Extra controuerſiam eſt, & in ſeq. Diſſert. pluribus oſtendetur, quod amarities aquarum, grauis odor & reliqua mala maximam partem à *bitumine*, cuius, hiſtoria teſte, ingentem copiam lacus fouet, dependeat: Hoc autem è contrario tot egregiis virtutibus inſtruxit natura, vt difficile ſit iudicare, vtrum maiora ſint eius beneficia, an incommoda. Nam vt taceamus eximios in Architectura vſus, quorum in præcedentibus facta mentio eſt, ſingulares quoque in *Medicina* virtutes oſtendit; & hinc (*Joſepho teſte*) ad corporum curationem multis remediis admiſcetur. Tribuitur ei vis *exſiccandi*, *calefaciendi*, *diſcutiendi*, *emolliendi*, &c. prout Medicorum libri paſſim docent; *vid. Sennert. L. V. Epit. nat. ſcient. cap. 3. & Plin. L. XXXV. cap. 15.* atque ob id bitumen è Mari Mortuo natum aliis ſpeciebus præfert *Dioſcorides*, ſcribens: Ἄσφαλτος διαφέρει ἡ Ἰουδαϊκὴ τῆς λοιπῆς, *Bitumen Judaicum antecellit reliqua.* Aliam quoque *Aſphalti* vtilitatem refert *Biſſelius: quod eo Mahometani, ſi quibus adhuc vinetorum cura eſt, vitium palmites circumdent; utile vermibus viti noxiis remedium.* Denique & *Ligthfootus Hor. Hebr. Cent. Chrorogr. Matt. præm. cap. V. pag. 15.* hoc ipſum Bitumen thymiamati ſacro quondam in populo Iſraelitico adhibitum fuiſſe, è Talmudicis notauit.

VIII. Sed

Digitized by Google

VIII. Sed hac occaſione non inutile erit, de eiusdem è Mari Mortuo prouentu & colligendi modo pauca adiicere. Deſcribitur hoc Bitumen non minus vere quam eleganter a *Strabone*, quod ſit *terræ gleba, quæ a calore liquefacta efflatur atque diffunditur, rurſumque in glaciem fortisſimam ab aqua frigida immutatur, qualis eſt lacuum aqua.* Cui relationem ſuam parallelam ſiſtit *Borchardus, Bitumen in Mari Mortuo collectum, ex fundo eius aſcendere & vento agitante ad inuicem congregari,* memorans. *Joſephus* quoque de materiæ huius prouentu admodum ſcite, *Multis*, inquit, *locis VOMIT* (lacus) *nigras bituminis glebas, quæ ſuper vndam, & habitu, & magnitudine tauris ſine capitibus asſimiles, natant.* Quæ teſtimonia vti egregie inter ſe conſpirant, ita facile fidem faciunt aſſerto *Biſſelii*, quod *fundum hic lacus habeat atrum atque glutinoſum*, quippe atrum eiusmodi & glutinoſum fœtum progenerantem.

IX. Circa modum colligendi Bitumen hoc non æque conueniunt Hiſtorici. Recentiores plerique cum *Borchardo* ſimpliciter illud *agitante vento congregatum ad inuicem, appulſumque littoribus extrahere* & ſuccini inſtar piſcari homines huic ſtudio intentos, affirmant. Veteres contra neſcio quæ artificia & pene miracula fingunt in eius collectione. *Poſidonius*, referente *Strabone*, dicit: *quod cum accolæ magici homines ſint, incantationes quasdam faciant, & lotia & alios huiusmodi fœtidos humores inſpergant atque exprimant, quibus bitumen coagulatur, poſtea incidant, &c. Plinius & Joſephus* in-

cantationis quidem incolas non accuſant, interim æque mirabilem Aſphaltum colligendi modum ſtatuunt, quem vna cum recentiorum hypotheſi eleganter expreſſit *Tacitus* Lib. V. Hiſt. ſcribens: *Legendi* (Bituminis) *vſum, vt cæteras artes, experientia docuit. Alter ſuapte natura liquor, & ſparſo aceto concretus, innatat. Hunc manu captum, quibus ea cura, in ſumma nauis trahunt. Inde nullo juuante influit, oneratque donec abſcindas. Nec abſcindere are ferroue posſis. Fugit cruorem veſtemque infectam ſanguine, quo fœminæ per menſes exſoluuntur. Sic veteres auctores. Sed gnari locorum tradunt, vndantes bitumine moles pelli, manuque trahi ad littus. Mox vbi vapore terræ, vi Solis inaruerit, ſecuribus cuneisque, vt trabes & ſaxa diſcindi.* Ecce! hic veteres illos Auctores *gnaris locorum Tacitus* ipſe contradiſtinguit, vnde facile colligi poteſt quanta veritas & certitudo ex illorum relationibus ſperanda ſit.

X. Illud autem extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, quod de Mari Mortuo *Ioſephus* & alii veterum notarunt; *eam eſſe aquæ rationem, vt etiam quæ grauisſima ſunt, in eam iacta fluitent; demergi vero in profundum ne quidem de induſtria quisquam facile queat. Nam & Veſpaſianus, qui viſendi eius cauſa illuc venerat, jusſit quosdam nandi inſcios, vinctis poſt terga manibus, in altum proiici: qui omnes, quaſi ſpiritus vi ſurſum repulſi, deſuper fluitabant. Itaque vrinatores* (ſunt verba *Strabonis*) *in eo* (lacu) *innatare non poſſunt: verum qui tenus vmbilico in eum procedit, mox extollitur.* *Tau-*

Digitized by Google

Tauri denique *&* *Cameli* (teſte *Plinio*) *fluitant.* Aduerſus horum relationes ſingularem obſeruationem profert *Iuſtinus Hiſtoricus*, de Mari mortuo ſcribens: *Neque ventis mouetur, reſiſtente turbinibus bitumine, quo aqua omnis ſtagnatur: neque nauigationis patiens eſt, quoniam omnia vita carentia in profundum merguntur: nec materiam vllam ſuſtinet, niſi quæ alumine illinatur.* Verum vt prius quidem aſſertum, ceu ſupra a nobis comprobatum, ſuo loco relinquimus, ita poſterius experientiæ & ſibi ipſi manifeſte contradicit. Cur enim, ſi vniuerſa vita carentia in profundum mergunt, non etiam *Bitumen*, corpus vtique inanimatum, ſemper in imo manet, ſed in aquarum ſuperficie fluitat, maxime cum ab incumbente aëre condenſatum eſt? Porro, ſi ad materiam ſuſtinendam alumen ſufficeret, iam non amplius Mare mortuum nauigationis impatiens dici poſſet, quando facile extrema niuium illiniri alumine, atque ita dictum Mare tuto traiicere valerent. At profecto non ideo nauigari nequit, quod naues non ferat, ſed quia grauiſſimus odor eius viuis omnibus aduerſatur.

XI. Reſtat adhuc vnum Mortui Maris phænomenon, non minus quam cætera, notatu dignum, *mirabilis* ſcilicet *coloris mutatio, quæ ter in ſingulos dies ſuperficiem vertit, & Solis radiis variata reſplendet.* Huius quidem ex antiquis, præter *Ioſephum, de Bell, Lib.V. c.5.* nemo, quod ſciam, meminit, ſed noſtro ſedulo tradidit illam & *Ioſephum* egregie defendit teſtis exceptione, maior laudatus Princeps *Radziuilius*, ſequentibus verbis: *Ioſephus lacum hunc non*

Digitized by Google

minus exacte quam vere deſcripſit, illud præcipue, quod in die ter mutet colorem, quod & ipſe evidenter vidi. Nam mane habebat aquam nigricantem, à meridie Sole intenſo, (ſunt enim calores hic immenſi) inſtar panni fit cærulea: Ante occaſum, vbi vis caloris remittit, tanquam limo permiſta modice rubet, vel potius flaueſcit.

XII. A diuerſis igitur qualitatibus diuerſa nomina traxit lacus, quem hucusque conſiderauimus. Generatim quidem magnitudine ſua in ſacris & profanis Hiſtoriis meruit, vt ſæpius *Mare*, quam *Lacus*, diceretur, quamuis proprie loquendo non prior, ſed poſterior appellatio ei competat. Porro à ſitu, & Regione quam inundauit, Scripturis *Deut. IV. 49.* ים הערבה *mare planitiei* ſeu *deſerti*; à ſalſo autem ſapore ים המלח *mare Salis* dicitur. Grauitas ac Sterilitas aquarum *Mortui* nomen mari indidit, Latinis Scriptoribus vſitatiſſimum. Denique à bituminoſo fœtu hinc prodire ſolito *Aſphaltiten* Græci nuncupant, à quibus etiam hoc nomen ſæpe Latini Hiſtorici, & imprimis *Plinius*, mutuantur.

XIII. Ex hac autem Mortui Maris conditione haud difficulter colligi poterit, quæ circumiectæ Regionis facies ſit poſt Exeidium Sodomiticum. Quippe non ſolum iam olim, quot præced. Cap. oſtendimus, pluuia ignis & ſulphuris penitus eam exuſſit ac deuaſtauit, ſed & ſine dubio peſtilens ille vapor & fumus, qui continuo ex *Aſphaltite* aſcendit, in finitimam quoque regionem ſe diffundens totum aëris tractum inſalubrem, tellurem ipſam magis magis-

que

Digitized by Google

que fœdam ac ſterilem & conſequenter perpetuo inhabitabilem reddidit, vt præter inſecta venenata nullum animal, vel humi, vel in aere degens alere aut ſuſtentare queat. Confirmant hæc vnanimi conſenſu quotquot hanc plagam deſcripſerunt Hiſtorici: Romanus Scriptor *Tacitus*, cum l. c. prolixe Maris Mortui mala expoſuiſſet, de hac ipſa Regione pergit: *Haud procul inde campi, quos ferunt olim vberes, magniſque vrbibus habitatos, fulminum ictu arſiſſe: & manere veſtigia; terramque ſpecie torridam vim frugiferam perdidiſſe.* Et ſtatim adductæ relationi ſuam ἐπίκρισιν adiicit: *Ego, ſicut Judaicas quondam vrbes igne cœleſti flagraſſe concesſerim; ita halitu lacus inficì terram, corrumpi ſuperfuſum ſpiritum, eoque fœtus ſegetum & autumni putreſcere reor, ſolo cœloque iuxta graui.* Quæ licet eatenus vera non ſint, quatenus originem ſterilitatis non igni cœleſti, ſed lacui tribuunt, non tamen ideo prorſus ſunt reiicienda, quum poſt excidium halitu lacus & ali & augeri ſterilitatem terræ *Borchardus* quoque teſtetur, eoque in circuitu *terram aridam ſterilemque* eſſe ſcribens, *quousque exitialis ille vapor impellente vento pertingere poteſt.*

XIV. Sed horrendam Regionis iſtius faciem nemo melius deſcripſit ſæpe citato *Martino à Baumgarten, Itin. L. II. cap. XII. p. 95.* cuius proinde verba digna, quæ huc adducerentur, putavimus: *Die,* inquit, *tertio ſecuti ductorem noſtrum ad Mare Mortuum perreximus. Inter eundum vidimus plagam illam horrendam, quam diuina ſeueritas in Sodomitas exercuerat.*

Digitized by Google

Terra in circuitu puteis quibusdam plena, tota cineri noviter elato ſimillima, nihil fere viride gignit, ſed tota exuſta fulminibus conflagraſſe animaduertitur. Et licet cinerei ſit coloris, ſæpe tamen aduſtione quadam nigra conſpergitur. Habet hiatus quosdam crebros & fiſſuras, in quas mulæ noſtræ crebrius impingentes, nosque proinde in terram excutientes, præbebant nobis nunc corridendi, nunc compatiendi materiam. Pluebat vero tunc iugiter, quo fiebat, vt terra inante fungoſa & mollis, vbi quis deſuper cecidiſſet, leviter cadenti cedebat, cumque ſuperius aperiens, ſubtus tenacitate ſua conſtringebat, ac veluti gremio complexa, ægre ſe erigere patiebatur. Per puteos, quorum hic facta mentio, haud dubie intelliguntur *putei bituminis* in valle *Siddim* quondam reperti; etiam horum aliquos ſuo adhuc tempore iuxta Mare Mortuum ſuperfuiſſe *Borchardus* teſtis eſt, ſcribens: *Dicitur in Geneſi, cap. XIV. quod vallis illuſtris, quæ nunc eſt Mare Salis, puteos multos bituminis habebat, & hodie etiam plures ſunt in littore Maris diſpoſiti, quos vidi, eſtque juxta quemlibet pyramis erecta.*

XV. Non minus etiam notatu digna videntur, quæ Scriptores alii obſervarunt, adhuc totam Regionem igneam eſſe & ſulphuream, & latentium intra viſcera ſua ignium manifeſta præbere indicia. *Strabo* pro theſi hac adſtruenda ſequentia profert: *Nam & petras aſperas exuſtas circa Moaſada* (quod caſtellum eſt haud procul Mari Mortuo poſitum) *oſtendunt, & multis in locis prærupta, & terram cinerulentam, & picis guttas ex petris deſtillantes,* &c. Sed multo clariora magisque certa refert *Joh. J. Ammar-*

nus

nus, Itin. P. II. p. 131. Unterdeſſen trugen die Araber die Steine zuſammen/ wie auch etliche der Unſern/ ſchlugen die von Felſen/ oder wo ſie hin und her lagen/ zündeten die Steine mit etwas kleinem Geſtäude an/ welche Steine brennen und flammen wie das Holtz/ mit einem dicken Rauch/ ſtincken aber dermaſſen von Schwefel und Pech/ daß man nicht lange nahe dabey bleiben mag. Aber je näher man zu dem Toden Meer kömmt/ je lieber die Steine auf jetzt erzehlte Weiſe brennen. Es ſind auch dieſe Felſen und Steine überzogen gantz weiß/ als wären ſie mit weiſer Aſchen beſäet oder beſprenget. Und wenn man die Steine zerſchläget/ ſo ſind ſie inwendig danckel/ aſchenfarb: Sie verbrennen auch nicht gantz und gar/ ſondern wenn der Schwefel und das Pech heraus gebrunnen/ bleiben die Steine etwas kleiner als zuvor/ doch werden ſie gantz ſchwartz/ und erleſchen von ihnen ſelbſt/ brennen alsdenn nicht mehr/ wie ich ſolches ſelbſten probiret/ und von einem der Steinen ein ziemliches Stück heraus gebracht habe. Es zeigen die Araber an/ daß die felſichten Berge und Steine eine Stunde Wegs in der Breite um das tode Meer her/ ſonſt nirgends/ alſo beſchaffen/ welches nun gläublich und augenſcheinlich iſt: allein habe ich gefunden/ da die Felſen ſandig ſind/ daß die Steine wol ſtincken/ aber nicht brennen wollen. Hæc ille.

XVI. Quis ergo de tali Regione atris cineribus & lapidibus ſulphure gravidis conſtante viride quicquam aut frugiferum expectaret? Nihilominus hinc

Digitized by Google

inde videas e mediis cinerum cumulis progerminare plantas & arbores, ſed quæ nullo prorſus vſui ſunt mortalibus, niſi quod tremendum illud iuſtitiæ diuinæ ſpecimen in ſe ipſis ſpectandum exhibent. Partim enim ferunt fructum nullum, partim prodigioſum, ſpecie nimirum inani & falſa imagine, fructus, nihil intus habentes ſolidi. Sic *Littus arundinibus putridisque arboribus plenum Mart. a Baumgarten* inuenit. *Salignia[c]us* etiam obſervavit *arbores circumcirca creſcentes, ſed quæ peſtifero Maris afflatu infecta nil eſui aptum producere poſſint. Videas enim poma viſu decora, intus plena cinere ac favilla.* Confirmat id ipſum ſuo teſtimonio *Borchardus* §. 39. ſcribens: *Sub Engaddi iuxta littus Maris Mortui arbores quidem ſunt viſu pulcherrimæ, ſed fructus earum, cum diſcerpitur, intrinſecus favilla & cinere plenus invenitur.* Et cum horum aſſertis omnes Hiſtoricorum veterum, *Joſephi, Taciti, Solini, Auguſtini*, & aliorum relationes mira concordia conſpirant, quanquam ipſarum arborum pulchritudinem, præter *Borchardum*, nemo, quod ſciam, expreſſerit.

XVII. Verum vtrumque nimis paradoxum videtur, & ni tantorum teſtium auctoritas obſtaret, fabuloſum, quod terra exuſta ac torrida *pulcherrimas viſu arbores* gignat; & illarum fructus, eo ipſo tempore, quo lætiſſima ſpecie *edendi generant ſpectantibus cupiditatem, ſi capias, fatiſcant, & reſolvantur in cinerem, fumumque excitent, quaſi adhuc ardeant*, vt *Egeſippus* loquitur *L. IV. Exc. Hieroſ.* Sane qui hoc ſeculo locum inviſerunt, multo aliter rem inuenere. Arbores illas & mirabiles earum fructus nec ſe vidiſ-

ſe,

Digitized by Google

ſe, nec amplius ſupereſſe ſcribit *Pr. Radzivilius. Ammannus* contra omnino dari & in via Hierichuntina a ſe viſas eſſe aſſerit, ſed a priori deſcriptione longe diverſas, vt ex ſequentibus eius verbis patet; Unterwegens traffen wir unter andern etliche Bäumlein oder Stauden an mit vielen Aeſten ausgebreitet/ gar ſtachlicht/ auf die Form/ wie bey uns die weiſſen Heckendorn/ daran ſtehet eine überaus ſchöne und liebliche Frucht/ anzuſehen/ wie die kleinen Aepffel oder Paradieslein/ ſchön weiß und rothlecht/ gantz lieblich und luſtig/ derſelben brach ich etliche ab/ in Willens/ ſie zu eſſen/ waren aber ohne Geſchmack und Safft/ gar unlieblich zu verſuchen/ inwendig voller weiſſen Kernen/ gleichwie die unzeitigen Aepffel-Kernen. Denn es waren auch dieſe Stauden gantz voll geſtanden/ habe auch etliche der Aepffel mit herausgebracht: unter den Aepffeln aber waren etliche dürre ſchwartzlecht/ und wenn man dieſelbe zubrach/ ſtoben ſie wie Aſchen; ſo aber dieſe Aepffel friſch abgebrochen werden/ ſind ſie nicht alſo/ ſondern bleiben dürre/ wie ein andere Frucht. En ſatis accuratam & rationi conſentaneam deſcriptionem! agnoſcit ſane *Ammannus* iuxta Mare Mortuum arbores, ſed non proceritate ſtirpium aut frondium viriditate ſuperbientes; agnoſcit eundem arboris fructum externa ſpecie iucundum, & intus fauilla ac cinere repletum, ſed non eodem tempore; quando nimirum formoſa cute pomum tegitur, tunc interiora albis granulis, nequaquam cineribus, conſtant; quando autem fuligo ac cinis inteſtina occupat (quod pomis iuſto diutius ex

Digitized by Google

arbore pendentibus accidit) illico etiam extrema cutis nigricat & areſcit. Itaque facile poteſt fieri, vt vna arbor ſimul virentia & fuliginoſa mala gerat, prout ſcilicet vnum altero citius aut ſerius progerminat; atque hoc procul dubio occaſionem dedit laudatis Scriptoribus, vt vnum idemque pomum eodem momento & formoſam oſtentare ſpeciem, & *intus favillam* fovere crederent; quanquam non repugnem, alio fortaſſis loco aut tempore, quam quo *Ammianus* obſervationem ſuam inſtituit, aliam quoque arborum fructuumque conditionem, & relationi ſupra adductæ reſpondentem fuiſſe inventam, cum certum ſit, ipſius Regionis, quæ Mare mortuum cingit, ſtatum pro varietate locorum & temporum notabiliter eſſe diverſum.

XVIII. Quodſi autem porro amplitudinem regionis iſtius inquiramus, quæ poſt Excidium Sodomorum ſtupendum hoc fructuum genus horribilemque faciem oſtendit; redeunt non ſolum, quæ Cap. præced. §. 8. de magnitudine planitiei incendio everſæ notavimus; ſed quia fumus e Mortuo Mari aſſurgens per ingentem terræ tractum ſeſe extendit, dubium non eſt, quin ſucceſſu temporis maior regionis pars, quam pluvia ſulphuris quondam tetigit, ſi non quoad interiora, ſaltem ſuperficietenus vaſtata ac ſterileſacta ſit, vt vel fructum plane nullum, vel inutilem producat. Atque hoc vel ſolum inde conſtare poterit, quod loca pleraque Mari Mortuo contigua & partim ante, partim adhuc poſt Natiuitatem Chriſti culta & habitata, aliquod retro ſeculis, non tam ab incolarum defectum, quam cœli ſoliqne intemperiem vaſta & inania conſpiciuntur. Accedit inſuper clariſſimum *Borchar-*

di

Digitized by Google

di teſtimonium, quod *Vallis illa, quæ Gen. XIV. illuſtris dicta eſt, & vere ſic erat, a termino huius maris apud deſertum Pharan, vsque ſupra Jericho media dieta fere ſterilis & inutilis reddita ſit, ita vt nec germen producat aliquod in ſua latitudine, quæ aliquando eſt quinque, aliquando ſex Leucarum, præterquam iuxta Jericho, vbi Canamellæ, & horti, & viridaria irrigantur fonte Heliſæ.* Mox de latitudine Regionis ibidem pergit; *A dextris & ſiniſtris montes ſteriles ſunt & arridi, vel barbaræ habitationes per multa & longa terrarum ſtadia, ad quæ impellente vento vapor ille pertingere poteſt.* Ecce! hic ad terram halitu lacus poſt exeidium infectam, expreſſe montana Regio, planitiei, quæ in ipſo excidio vaſtata eſt, contradiſtincta refertur. Speciatim denique hodiernus *Zoaris* ſtatus nos docere poteſt, quantopere hactenus vaſtitate ac ſterilitate creverit terra Mari Mortuo vicina. Vidimus ſupra ex *Hieronymo*, ciuitatem hanc eius tempore non modo ſuperſtitem, ſed & propriis incolis frequentatam fuiſſe: ſine dubio igitur tunc terra quoque circumiecta non ſterilis erat, ſed culta & frugifera: at ſuperiori ſeculo *Mart. a Baumgart.* eam invenit *deſolatam* (quæ verba eius ſunt) *vt cætera fere omnia*, manifeſto indicio, quod ſucceſſive in maius ſpatium ſe diffuderit ſterilitatis malum.

XIX. Reliquarum vrbium Sodomitico excidio perditarum ſtatus etiam nunc talis eſt, & ad finem vſque mundi duraturus, qualem e *Vartomanno* & aliis primo ſtatim Capite contemplati ſumus. Jacet quippe *Sodoma*, cæterarum Princeps, in Mari Mortuo ſepulta, neque amplius vllum ſui veſtigium oſtendit

ſtendit: de tribus reſiduis, *Gomorrha*, *Adama* & *Zeboim*, in eiusdem maris littore cineres & murorum ſaxorumque rudera ſuperſunt, ſupplicii ſui grauitatem ex ipſis ruinis clamantia. Imprimis autem obſervationem meretur, quod laudatus *Vartomannus* relaxationi ſuæ, de tribus vrbibus in cliuo ſingulorum montium poſitis, ſubiungit: *circiter trium vel quatuor cubitorum adhuc viſitur neſcio quid inſtar ſanguinis, quaſi exprimat rubicantem ceram humo admixtam*. Sed de hac materia cogitationes noſtras, ferente ſic inſtituti noſtri ratione, in altera Diſſertatione exponemus. Nunc abſoluta per DEI gratiam *Pentapoleos* infauſtæ *Hiſtoria*, in quantum ex iſtis tenebris ingenii noſtri tenuitate erui potuit, finem præſenti operæ imponimus, Lectorem Beneuolum obnixe rogantes, vt & paucula hæc æqui boniqne conſulere, & nobis ac ſtudiis noſtris porro favere ne dedignetur.

DIS-

DISSERTATIO POSTERIOR *De* PATHMO LVTHERI, IN ARCE WARTEBVRG PROPE ISENACVM, *ADVERSVS* CARD. PALLAVICINVM ALIOSQVE HISTORIOGRAPHOS ROMANENSES, PRÆSIDE CH. CELLARIO *AB* AVGVSTINO ANTONIO habita An. 1696.

EXercitatio hiſtorica *de Lutheri Pathmo*, quando noue nunc prodit, inſperſis notis quibusdam, & aſteriscis *theologicis*, alludentibus hinc inde ad noſtri temporis circumſtantias: rogamus benevolum lectorem, ne dedignetur loca Scripturæ, quæ vt ſuo modo parallela nude aſſignata ſunt, ſi quando ipſe hæreat, legere, atque rite ſic evoluta applicare in ſuo genere.

II. Ecquis vero per Lutheri Patmum *locus* hic deſignetur, iam iam docet prima pagina & inſcriptio; arx

arx nimirum *Warteburg*, prope *Iſenacum*, celebre Thuringiæ oppidum, ſedem hodie Ducis Saxoniæ Sereniſſimi IOH. WILHELMI. *Analogia* appellationis petitur in certo tertio, ab inſula quadam ex Sporadibus maris Ægei, *Pathmo* dicta, in quam S. Evangeliſta & Apoſtolus Ioannes, ob *teſtimonium* diuinæ de Chriſto veritati præbitum, imperante Romanis T. Flavio Domitiano, relegatus eſſe traditur Apoc. I, 9.

III. Nimirum & Lutherus, publice *confeſſus* Chriſti puram doctrinam A. O. R. M. D. XXI. in Comitiis Wormatiæ, jubente Imp. Rom. Carolo V. auguſtiſſimo, edictoue ſolemni, nomine Cæſaris atque Imperii ibidem proſcriptus, ſeceſſum eum, quo iuſſu FRIDERICI III. cognomine ſapientis, Electoris Saxoniæ laudatiſſimi, miniſtris quibusdam ex nobilitate ſecretioribus, conſpectui hoſtium publico per aliquot menſes ſubductus eſt, *Pathmum* ſuam appellare voluit; quodam etiam ad Apocalypſin Iohanni in Pathmo factam habito reſpectu, ceu profitetur ipſe T. I. Ien. G. ad Franciſcum a Sickingen f. 501. daß ich dieweil in dieſer (Apoc. XII, 6.) Wüſten/ und in meiner Pathmos/ nicht müßig ſey/ hab ich mir auch ein Apocalypſin geſchrieben ꝛc.*

* *Alio ſic modo confectum poſt fuit id, quod Electorem per Deg. Pfeffingerum moneri iuſſerat Maximilianus I. Imper. qui Carolum in imperio anteivit, cum legiſſet ipſe A. 1518. Auguſtæ in Comitiis theſes Lutheri*, indulgentiis *iſtis, abuſibusque* abſolutionis *oppoſitas*: Er ſolte den Münch fleißig

fleißig bewahren/ es möchte ſich zutragen/ daß man ſeiner bedürffte.

IV. Miſſam igitur nunc facimus Pathmum* illam *Coburgenſem*, in qua noſter poſt nouem annos, MDXXX, tempore exhibendæ Carolo V. Auguſtanæ Confeſſionis, aliquandiu penes Francos delituit, vt præſto eſſe poſſet Confeſſoribus Auguſtanis, ſiquidem eius conſilio vti vellent, niſi quod Coburgenſem hanc, ex cauſa illius Pathmi Iſenacenſis, quadam nempe adhuc vi edicti Wormatienſis reſidua (quo Auguſtam Vindelicorum intrare cum aliis Confeſſoribus, & ſub ipſius Imperatoris quaſi conſpectum venire vetabatur) ortum habere videri indicandum hoc loco eſt.

* *Mattheſius in vita Luth. p.151.* da D. Luther zu Coburg in ſeinem *Pathmo* lag *&c. conf. T.9. Altenb. f. 1578. T.5. f. 166. & Tom.5. Ien. G.f. 23. b. 40. a. 43. b. 44. a. 76. a. 116. a. 118. a. 120. b. 121. a. 125. a. 146. a &c. De heroico illo.* Eine veſte Burg/ *eo tempore concepto, omnes nouimus, ſingularia alia notauit ex Chytræo & Cæleſtino D. Val. Alberti* in Wiederlegung des Wieneriſchen Buchs: *Auguſtana & anti-Auguſtana confeſſio.* in der Vorrede §. *28.29.30. & poſtea p. 8.*

V. Vt autem rem ab ovo, quod aiunt, ordiamur, cum Lutherus Wormatiæ (quorſum Witteberga magno profectus erat periculo) moueri nullo conſilio humano poſſet, vt intra certum tempus, Cæſaris præfinitum autoritate, *reuocaret* ea, quæ diuinis ex ſcripturis hauſta fuiſſe aſſeuerauerat; Carolo quan-

tam.

tumvis datam Luthero *fidem publicam*, ex æquo, & bonorum omnium voto, (neglectis conſiliis aliorum *de fide non ſeruanda hæreticis*) laudabili exemplo ſeruante: effecit tandem Hieronymus Aleander, Nuncius Romani Pontificis Leonis X, confitente ipſo Pallauicino parte I. Hiſt. Conc. Trid. c. 28. n. I. 7. vt contra Lutherum, *poſt elapſum viginti* (& vnius) *dierum terminum, vbicunque deprehenſus fuerit, procedere* Imperator, d. 8. Maii vel potius d. 26. eiusdem, ſuo & publico Imperii nomine iuſſerit; verbis iis retentis omnibus quæ ad ſubſcriptionem Aleander ille obtulerat.

VI. Cæſareæ huius *proſcriptionis* cum certior factus eſſet Fridericus Sapiens, qui iam corpore infirmior Wormatia diſceſſerat cum pluribus Principibus; quemadmodum is ante comitia Luthero de *fide publica* diligenter proſpexerat; ita & finita hoc pacto publica audientia, eo magis conſilia inire cœpit de *occultando* Luthero; ſaltem vsque dum Imperator ex Germania diſcederet. Confiſus, temporis aliquo tractu, faciem rerum (volente Deo propitio Patre noſtro cœleſti, cuius ſane providentiæ hac in re erat Elector obſeruantiſſimus) iri mutatum, præſertim cum alii etiam Principes ægre ferrent, ipſis inſciis, tale edictum, ab Aleandro, dictione nimis aſpera in virum, cui iam tum plures faverent, cauſa eius ſincerius cognita, efformatum, legi publice; die etiam promulgationis retracto, dicis cauſſa, ad diem Maii octauam, vt omnium ordinum ſuffragiis approbatum edictum fuiſſe, videretur, ipſe Lutherus quam ſæpiſſime doluit, tantum Imperatorem, ſuo ipſius damno,

Digitized by Google

damno, victum humanis conſiliis, Aleandro ſimilibusque tantum permiſiſſe, Prou. XXIV, 11. 12. 16. Ier. XIII, 21. Hoſ. V, 11, Dan. VI, 8. 9. & ſeq. Matth. XXVIII, 14.

VII. Notum autem eſt in omni hiſtoria, quam ſolicito & plus quam circumſpecto, in iſtis etiam rebus, animo, quaque in Imperatorem & Imperium fide non fucata, & modeſto ſummæ ſuæ autoritatis vſu, fuerit Fridericus Sapiens. Hinc optimo animo, & absque omni perfidia aut læſione conſcientiæ, ipſa potius conſcientia ad normam verbi diuini pectus Germanum impellente, & pro ſtatu Germaniæ, mandauit Iohanni a Berlepſch Præfecto Wartburgenſi, & Burckhardo Hundio Altenſteinii Dynaſtæ, vt Lutherum loco aliquo concluderent, quem ipſe ſibi omnino taceri vellet; agitatis prius Wormatiæ ſimilibus conſiliis cum equitibus Friderico Thunauio, Philippo Felitſchio, & Canonico Altenburgenſi G. Spalatino.

VIII. Quod & factum ſuo tempore per omnia, vt fuerat imperatum. Reuerterat Lutherus Wormatia *Iſenacum*, vbi & concionem habuit, *ſed timido Parocho, & Notario, teſtibusque præſentibus, coram ipſo proteſtante, humiliter tamen excuſante neceſſitatem hanc ob metum tyrannorum ſuorum*, vt ipſe ſcribit T. I. epiſt. p. 328. *Edit. Berolin. An. 1579. Studio G. Celeſtini.* hinc deflectens ad pagum Möre,* vbi apud Iohannem Lutherum, parentis ſui fratrem, pernoctatus erat (& honeſto conſanguineorum amore, & quia familiam inde duxerat) trans ſyluam circa tractum Salzungenſem cum ad Walterhauſen tenderet, *ſoluens a propinquis ſuis*: prope arcem equi-

tum Hundiorum Altenſtein, & vicum Schvveina, ad radices ſylvæ Thuringiacæ, Vierram amnem verſus ſitæ, cum tribus vel duobus equitibus, in via quadam anfractuoſa interceptus die 4. Maii, retro inde circa mediam noctem, per ſyluas in arcem Wartburg vel Wartenburg ſupra Iſenacum in altiſſimo montium vertice conſtructam, vetuſtiſſimam Landgrauiorum Thuringiæ ſedem, & S. Eliſabethæ habitatione, aliiſque caſibus notam, concluſus eſt. *vid. Tom. I. 15. Isleb. f. 43. b. Seck. l. 1. hiſt. Luth. p. 159. lib. II. f. 80. 180. Sagitt. in vita Spal. p. 51.*

* *vel Mara, qui pagus ſubeſt hodie Duci Saxoniæ Meiningenſi BERNHARDO, ERNESTI PII F. habitantibus ibi incolis quibusdam ruſtica pronunciatione,* Lůder *dictis ex Lutheri familia. Ipſe vero Luherus l. 1. ep. 139. commemorat, parentes ſuos prope Iſenacum vixiſſe, & inde Islebiam migraſſe.*

IX. Audiamus ipſum in mediis curis & languoribus corporis lepide narrantem ſua Lutherum: *Frater meus equites in tempore videns, a curru ſe ſubtraxit, & inſalutatus Walterhauſen pedeſtris veſperi veniſſe dicitur, ita ſum hic exutus veſtibus meis, & equeſtribus indutus,* T. I. ep. c. l. *longo itinere, nouus eques, feſſus, hora ferme vndecima ad manſionem noctis perueni in tenebris.* pag. 326. *liber inter captivos* (qui forſan eo iam tempore cuſtodiri in arce Wartenburg ſolebant, vti hodienum teneri ibi ſolent, in ipſo etiam illo conclaui, quo Lutherus fuit collocatus.) *ibid.*

X. Ab eo tempore in epiſtolis ad amicos ex *Pathmo,*

mo, modo ex *Inſula Pathmo*, modo ex *eremo*, Lutherus ſcribit, modo *ex Pathmo mea*, *ex loco peregrinationis meæ*, *ex loco meo* T. 2. Ien. Lat. f. 280. Witt. lat. f. 213. Tom. 2. ep. p. 9. *inter volucres de ramis ſuaue cantantes*, *Deumque totis viribus laudantes die ac noctis* T. I. ep. p. 332. *ex regione avium* ibid. p. 325. *ex regione volucrum* p. 326. *ex regione aëris* ibid: *ex monte* p. 328. *plura non habeo*, *cum ſim* eremita, anachoreta, vereque monachus, *ſed neque raſura neque veſte* (ordinis) *Equitem videres*, *ac ipſe vix agnoſceres* pag. 331. *nihil habeo quod ſcribam*, eremita *tandem verus* pag. 341. ad ordinem *eremitarum* S. Auguſtini, cui adſcriptus erat (Conf. Seckendorff l. 1. hiſt. Luth. f. 19. n. 7.) & ad rationem loci, in omnibus hiſce cognominibus, reſpiciens.

XI. Ad Nicolaum Amsdorfium quidem (Lutheri prius, & poſtea inclyti Principis atque Confeſſoris Iohannis Friderici, Iena Iſenacum ex diuturna captivitate reuiſuri, Comitem, cuius monumentum ad ſacellum ædis Georgii erectum *Iſenaci* conſpicitur) varia id temporis Lutherus miſit, quæ, quamdiu Pathmus illa quædam quaſi Vtopia fuerit, iucunde tradunt; *Scripſeram ad vos omnes*, *mi Amsdorfi*, *ſed conſule meliore audito*, *diſcerpſi penitus*, *quod nondum eſſet tutum literas emittere*. T. 1. ep. p. 326. & ad Spalatinum, qui pariter comitiis adfuerat Wormatiæ; *quod nondum ad te ſcripſi*, *conſulto factum eſt*, *ne recens famâ captiuitatis meæ*, *cauſa cuiquam eſſet intercipiendi literas*. *Hic varia de me narrantur*; *invaleſcit tamen opinio*, *me eſſe ab amicis captum e Francia* (*ſeu Franconia*) *miſſis*. *Cras tempus datæ fidei*

Digitized by Google

Cæſaris exſpirat, ad arcem Altenſtein raptus ſum, Amsdorfio id neceſſario ſciente, me eſſe alicubi capiendum; ſed locum ignorat cuſtodiæ meæ. p. 327. 328. & T. 9. Altenb. pag. 1569. (Amsdorfium enim, quo pacto *auulſum* a ſe Lutherus T. 1. ep. pag. 326, dicat: illuſtrat Mattheſius conc. 3. in hiſtoria benevolæ illius invaſionis. Der eine Knecht bläuet den Fuhrmann/ „und treibet ihn fort/ ſo Ern Amsdorff fortführet/ „biß ſie dem Gefangenen einen Gepner (quod vocabulum de veſtibus equeſtribus ex §. 9. debet intelligi) ümbgeben &c. pag. 18.) *Iuniori Principi* (Ioh. Fridericum innuit, vt colligere licet ex laudatis epiſtolis pag. 333.) *nouiſſimis literis non reſpondi, quod non patebat locus, nec puto neceſſarium, ne multiplicatis literis & loci ſecretum prodatur, occaſione quapiam* T. 1. ep. 334. cuius epiſtolæ feſtiva ſubſcriptio eſt; *ex Inſula Pathmo d. 10. Jun. A. MDXXI. Henricus neſcius. Placet* (ita alibi Lutherus) *illuſtriſſimo Principi noſtro, nondum eſſe notum locum meum* Tom. 2. ep. p. 6.

XII. Vtcunque vero celabatur *locus occultationis*, eius tandem fama forte divinatrix quoddam fecit indicium; vt conſtat ex iis, quæ ſcripſit aliquando Lutherus ad Amsdorfium: *quod ſcriba ille* (duobus enim Secretariis, Hieronymo Rudolpho, & Iohanni Veihelio, nonnihil conſilii Wormatiæ habiti innotuerat) *famam fecerit me eſſe in Wartperg, permitte. neque enim vbi ſim, Principes ipſi ſciunt: quanto minus ſcriba ille?* T. I. ep. p. 338. iterumque ibidem ad Spalatinum, qui Friderico a ſecretis fuerat, in iſtis comitiis, cui & familiarius hàc in re commit-

tere

tere ſeſe poterat Eremita noſter, quoniam Elector ipſe iam Wormatiæ per hunc, conſilii quid de ſe abdendo, ſignificari voluerat: *ſcribit Amsdorſius, quendam ſcribam Ducis Johannis ſcripſiſſe ad Torgenſem mulierem, me eſſe in arce Wartperg, hinc natum eum rumorem, imo auctum vbique, perſuadebit hic rumor, quod ex aula venerit, ſiue ille vere ſcierit, ſiue diuinarit; vt fruſtra celaverimus hunc rem tanta felicitate. Sic Satan inſidiatus rem prodit. Sed & ex hoſpite meo intelligo, nimis conſtanter id aſſeri vbique, vt iam celari res non poſſit amplius: etſi nos adhuc fortiter celamus, indignantes, noſtram fidem, felicem operam, leuiter fruſtrari* pag. 341. ad eundem: *Dux Johannes Senior tandem nouit, vbi agam, hactenus ignarus, hoſpes meus clam ei aperuit: ſed bene tacebit* p. 356. Veſtigia autem diuinantium legit Lutherus, Spalatino denique confeſſus in literis familiaribus: *Audio rumorem ſpargi, mi Spalatine, Lutherum agere in arce Wartperg apud Iſenacum, atque id homines ſuſpicari facit, quod illic in ſylua captus ſim. ſed dum illi ſic opinantur, ego interim hic tutus lateo, modo fratribus fides adſit, qui circum me ſunt, ſi me libri editi prodent, mutabo locum. mirum quod Boëmiam nemo nunc cogitat* T. 2. p. 9.

XIII. Mirum non eſt, incerta adhuc fama loci, in quem ſubductus is ferebatur, in notando loco ex ſermonibus tunc ſparſis erratum fuiſſe. Nota tamen nunc aliqua digni forſan ſunt illi, qui ex inſtituto contexentes hiſtorias, rebus in vnne vulgus notis, nihilominus in hodiernum vsque diem cum Cochlæo, Pallavicino, Maimburgio, Natali Alexandro T. 23.

Digitized by Google

H. E. ed. prim. p. 464. Varillaſio, pro arce Wartenburgi prope Iſenacum, arcem *Veſtberg*, *Weſtberg*, *Waſtburgum* prope *Altſtet*, alii ipſum *Altſtet*, varios inter errores alios, ſubſtituunt. *vid. Seck. l. c. f. 151. Act. Erud. Lipſ. 1686. p. 511.*

XIV. Sunt, qui *octo* viris, ſunt, qui paucioribus compertam hanc Lutheri cryptam, fuiſſe tradunt ſunt quoque, qui Pontificem Romanum Leonem X, magos de loco iſto conſuluiſſe memorant, Autores non contemnendi.* quorum quidem bonam fidem in dubium vocare nolumus, qui & hodienum ſatis ſuperque nouimus, quid valeant odia ſanguinolentorum, pro vitæ huius lautitiis & honore omnimodo militantium, in tanta; proh dolor! animorum corruptione & malitia. Malumus tamen nunc ea commemorare & excutere, quæ magis ſunt obvia, & minus a captu vel præſumptione hominum remota, quæque ex ipſis aduerſariorum ſcriptis petere licet.

* *Chytræus parte I. Saxon. pag. 580. Latus in Comp. p. 373.*

XV. Cogitari enim facile poteſt, varios rumores hac de re inter aduerſarios aliosque * omnes fuiſſe ſparſos. Quæ §. 6. & in aliis ſunt, conueniunt vtique hactenus cum iis, quæ diuerſo licet fine, Pallavicinus refert, *confeſtim nuper nuncios Wormatiam peruenisse, pleroſque ac inprimis Cæſarem, ſuſpicatos, eum nequaquam ab aduerſariis raptum, ſed ab amicis ſubductum, ne in primo æſtu edicti iam imminentis, grauius aliquid ateretur* c. l. f. 44. Si verum eſt, vtrumque Pontificis legatum, Martinum Caracciolum, & Aleandrum, Wormatiæ in magnum vitæ

Digitized by Google

diſcrimen adductos, eo quod blatero quidam mentitus fuerat, viſum a ſe ſuis ipſius oculis Lutheri cadaver transfoſſum, repertumque in argenti fodina ſepultum; ſiue quod quererentur nonnulli, Lutherum violata fide publica in vinculis detineri: agnoſcit ipſe Palavicinus, rerum ſtatu perturbato, *ſemper & vbique n promptu* eſſe eiusmodi ſpermologos, quorum inepte in odium cauſæ ipſius valere haud quaquam deben De ipſo imperatore, in ſuſpicionem quandam rmoribus eiusmodi adducto tanquam de certa iniuria, onqueritur Euſtachius Eiſenhut/ Dominicanorum aud Auguſtanos Ordinis Monachus, in libello recetisſimo p. 67. ſeq. quem inſcripſit Evang. PoſaunenWiderhall. Vtinam qui ægre ferunt tales fabulas um periculo ſecuritatis publicæ, agnouiſſent pariter, edire potius *culpam* omnis mali ad eos, qui ſumma *lunt* miſceri imis, *quam vt* piis deſideriis, publicis mnium bonorum quere is, caſtæque veritati, in co e ſuo, adeoque & ipſo opere, iuſtisque remediis r quant locum. Noſtrum ſane Lutherum alieno amo fuiſſe a diris iſtis agendi rationibus, infra §. 24 obabitur.

* *Nic. Gerbelii ri epiſtolam MS. inſignem hic exhibet Secken . l. f. 161.*

XVI. Maioris omenti videtur, quod in vnum omnes Romanenſes ntendunt, hanc Lutheri ſubductionem fuiſſe in audem edicti Wormatienſis publici ſuſceptam. Vim enim vero, ſi quis præter ea, quæ §. 5, 6, 7. addu ſunt in medium, & porro adducentur, rite expend , qua ratione quisque ſecum ipſe, ſi hic eſſet con rus in anguſtiis, agi cu-

peret in tali cauſa; quove animo declament tale quid adverſarii, lubentioribus ſcilicet auribus fata Lutheri miſeri ex Roma, quam ex Pathmo Saxonica percepturi; ſi conſideretur, quam *obreptitie* edictum illud longe durisſimum, Aleandri, & Pontificiorum artibus impetratum, extortum, publicatumque fuerit: de Friderici profecto conſcientia, totaſibus ſatis ſuperque exercita, & ſecundum iura iuina, nec non officium liberandi innocentem hominem, examinata, longe iudicabit mitius, neque Principem Imperio tam fidelem tamque Germanum vllius fraudis aut vllius abuſus libertatis Germanicæ inſimulabit. Act. XVII, 6. 7.

Indigna plane Pallavicini ingenio ratiocula illa eſt, Sarpii Servitæ aſſertionem, (*quod in Conventu propoſuerint nonnulli, Lutherum eſſe interficiendum, nulla fidei publicæ habita ratione, & per iicam fidelitatis iacturam parta Chriſtianæ Reip. tranquillitate*) ideo veri disſimillimam eſſe, magis vt ſolet voce iudicantis, *quoniam eius nulla prorſ in literis Aleandri ad principem ſuum P. R. habitur. mentio* c. l. f. 45. Ioh. VII, 20. 25. Act. V. 28. Quod ſi enim oblitus fuerat Pallauicinus fidei Conſtantienſis, hic a Sleidano l. 3. p. 39. ſq. iure merito reuocatæ in memoriam: meminiſſe certe debebat lectoribus ſuis prius ſeſe confeſſum eſſe, Aleandrum ſtuduiſſe omni modo impedire, ne fide publica Luthero Wormatiam venturo, utpote a R. P. iam damnato, caueretur l. 1. c. 26. n. 5. Hiſtor. Conc. Trid. l. 41. Ioh. XVIII. 30. Ier. XXVI, 11. Actor. XXIV. Quid? quod ipſe Pallavicinus, ſi nullius violati conſilii *ſuſpectos* ſuos

haberi

Digitized by Google

haberi voluit, ibidem *morem libertatis Germaniæ, quæ in re dubia* mitiorem *ſequantur rationem damnandi*, laudare potius, quam virgula quadam notare debebat.

XVII. Fridericum quidem ad ſupremi directionem Numinis *1. Reg. XVIII, 4. 13.* hic humili animo reſpexiſſe teſtantur ea, quæ in Iohannis Fratris, de fama Martini ſubducti admonentis, ſinum d. 21. Maii effudit: *Rumores de captiuitate Lutheri etiam hic varii ſparguntur, multique, vt audio, ægre illam ferunt. Pontifex nouam excommunicationem contra eum publicauit, & hic ſeuera mandata cuduntur. Faxit DEUS, vt agantur, quæ recta ſunt!* paulo ante, d. 23. Aprilis & d. 5. Maii: *Si in viribus meis poſitum eſſet, promptiſſimus forem iuvandi Martinum in iis, quæ iure petere poſſet. Credas tamen mihi, ita me vrgeri & a talibus, vt miraturus ſis, ſi id narrauero, nihil aliud agi videtur, quam vt in exilium pellatur. Quicunque ullo modo illi bene cupere deprehenditur, pro hæretico habetur. DEUS iſta in bonum vertat! & profecto iuſtam cauſam non deſeret. quomodo dimiſſus ſit, propediem ſcribam. Martini cauſa in hoc verſatur, vt in exilium eiiciatur. nullum contra hæc eſt remedium; eventus tamen ſtat penes DEUM, ſi ad te, Deo iuuante, peruenero, mira narrabo: opus eſt DEI, non hominum. credas velim, quod non ſolum Annas & Caiphas, ſed & Pilatus & Herodes Luthero aduerſentur.* confer. *Seck. c. l. f. 158.* H. Höpfneri Saxoniam Euangelicam p. 100. ſeq. 83. 79.

XIIX. Lutherum autem *iuſte* delituiſſe, multo minus dubitari poteſt, quippe qui prudentiæ & poteſtati

Digitized by Google

ſtati politicæ obſecutus potius eſt, quam ſuo conſilio vel inſtinctu proprio a conſpectu hominum remotus, &c, cum Fridericus iam Wormatiæ offerri ipſi iuſſiſſet aſylum quoddam clandeſtinum, legitur is iſtud non niſi *in honorem Electoris* acceptaſſe, wolte lieber friſch drein gegangen ſeyn. *vid. Seck. lib. 1. p. 157. 162. 176. 147. 156. lib. 2. f. 180.*

XIX. Cœterum quis Luthero hac in re *characteres animi*, qui motus fuerint *interiores*, quæ conſiderationes; quam optime ex ipſius conſtabit *epiſtolis*, quas toties allegari, nemo facile vertet nobis vitio, qui novit *familiarium epiſtolarum* inſignem uſum in iudicanda *veritate* hiſtorica. Maxime, cum conſtet, Lutherum adeo aperte, adeo ingenue, &, ceu vulgo exiſtimant, plusquam aperte, animi ſui ſenſa ediſſe; tametſi epiſtolas paucas eo animo ſcripſit, vt ederentur. Ita noſter Philippo Melanchtoni, *Euangeliſtæ* (vt eum aliquoties tum appellat) Wittebergenſis Eccleſiæ:, *quid interim facis, mi Philippe? annon pro me oras, vt ſeceſſus iſte, quem* inuitus *admiſi, operetur, aliquid* maius *in gloriam DEI? atque adeo, quomodo tibi placeat, ſcire cupio. verebar ego, ne aciem deſerere viderer: nec tamen patebat via, qua volentibus &* conſulentibus *reſiſterem. Nihil magis opto, quam furoribus adverſariorum occurrere obiecto iugulo. T. I. Ep. pag. 324. qui in tractando verbo nunquam* mea *voluntate verſatus ſum, ita cum magna cordis* pace *excluſus ſum. — cæterum pro verbi gloria, & aliorum, & mea mutua confirmatione, mallem inter carbones vivos ardere, quam ſolus, ſemiuiuus atque vtinam non mortuus! putere. verum* quis ſcit,

& an

Digitized by Google

& an eo conſilio plus *promouere velit Chriſtus, non in hac tantum, ſed in omnibus cauſis? p. 330. nos exire oportet de terra noſtra, de cognatione noſtra, de domo Patris noſtri, & ad tempus* ſeparari *in terram, quam ignoramus: non depoſui ſpem ad vos redeundi: Sic tamen, vt faciat DEVS quod bonum eſt, in oculis ſuis, p. 331. a.* Vide, ne nimio carnem inuicem ſapiamus, & magis *præſentiam carnis* quam Spiritus *ſapiamus.* ego paratus ſum ire, *quo Dominus volet*, ſiue ad vos, ſiue alio: de reditu meo nihil ſcio prorſus: *Scis in cuius manu ſitum ſit. p. 338. Act. XXI, 14.* Sic ſcripſit G. *Spalatino: Si* alibi *etiam docerem, cum* vbique *ſit Chriſtus, idem foret, ac ſi* Witteberga *docerem; Quanquam non ambio neque* cathedram *neque ſuggeſtum: nec vſpiam concedam eo nomine, niſi* toties vocatus: *Scio non eſſe Doctorem ex DEO, qui ſua ſponte venit. Hactenus fugi docendi munus, nemo ſperet, me alium* ſenſum *habiturum: ſemper fugiam. Si enim ambiuiſſem, non in hanc ſolitudinem conſenſiſſem vnquam. p. 342. 334. 271.* Item Johanni Agricolæ Islebio: *ego mirabilis captiuus, qui* & volens & nolens *hic ſedeo:* volens, quia Dominus ita vult: nolens, quia optem in publico ſtare pro verbo: *ſed dignus nondum fui* p. 325. Act. V, 41. 39. 29.

§. XX. Huc facit, quod Lutherus ibidem paulo ante Spalatino reſponderat ad Electorem. Anno 1520. d. 21. decembr. ſe omnino venturum (ad comitia) Cæſarisque vocationem pro *diuina* habi-„ turum eſſe. Si autem vis fiat, ſicut veriſimile ſit,„

DEO

„DEO commendaturum eſſe cauſam, qui tres pueros „in fornace ignis ſeruauerit; ſi vero ſeruare nolit, „paruam rem eſſe caput ſuum. Dan. III, 18. Ier. XXVI. 14. XXXVI, 26. Philipp. I, 20. ſeqq. *noſtrum certe definire non eſt*, (modeſte pergit, in pie „detegendis conſiliis atque cogitationibus cordis ſui) „ex vitane, *an* ex morte mea *plus minusue* periculi „ſit oriturum Euangelio & publicæ ſaluti: --omnia „de me præſumas, præter fugam & *palinodiam* &c. „p. 297. dimiſſus autem Wormatiæ dixit: *ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum!* de illo Lutheri, quæſiti; wo Er bleiben wolle? & reſpondentis, *aut in cælo, aut ſub cælo* T. I. Altenb. pag. 150. b. ſimilibusque caſibus, videſis Wolfii memorab. cent. 16. f. 761. T. I. op. Luth. p. 168. 174. 178. 228. 262. 275. 283. Mülleri Luth. defenſ. p. 360.

XXI. Etiam quæ Lutherus, circa edictum & ſimilia, pro Conſcientia, qua & Principum *vero* bono obſtrictum ſeſe ſenſit, ex Pathmo ſua, & antehac, admonuit, ea neque Theologo, neque fideli ciue, & heröe tanto; diuinitus præ aliis ad teſtimonium veritatis euocato, indigna ſunt. Ier. XXXVI, 18. Dan. VI, 22. Sancto certe affectu ante, quam vocatus proficiſceretur Wormatiam ſolicitudinem & fidem ſuam pro Cæſare teſtabatur, ad familiarem „ſcribens! noſtræ nunc curæ id vnicum eſt officium reliquum, vt oremus Dominum, ne Caroli „Imperium in meo aut vllius ſanguine, pro impie„tate tuenda, *primas* operas cruentet, malleme que „me, quod ſæpius dixi, in ſolis Romaniſtarum ma-

nibus

nibus perire, ne ille cum ſuis in hanc cauſam *inuol-„ ueretur.* (Ier. XXVI, 16.) Scis, quæ miſeria Sigis-„ mundum Imp. poſt occiſum Huſs conſecuta ſit„ &c. T. 1. ep. p. 297. -- ſi tamen ita fieri oportet-„ fiat voluntas Domini, Amen! quid adeo mirum, Lutherum poſt a Cæſare proſcriptum ex eremo doluiſſe? *Carolum impeti bellis, nihil mirum*, nihilque vnquam habebit proſperum, & cogetur *alie-„ na* impietatis pœnam ſoluere, infelix iuuenis,„ quod veritatem Wormatiæ malis conſultoribus in„ faciem ſic repudiarit; & Germaniam inuoluet„ calamitas ſua quoque, quod impietati *conſenſit*;„ Dominus autem ſuos agnoſcet. p. 341. (Ier. XIII,„ 21. XXXVIII, 5. 9. 15. 24. Dan. VI, 14. 18. 23) Spalatinus ſcribit, edictum tam ſæuum cudi, vt„ ſub conſcientiæ periculo ſint *exploraturi* orbem ſuper meis *libellis*, vt cito interitum ſibi comparent. Ita συμπάσχων alia ibid. p. 324. 326: cras tempus datæ fidei Cæſaris exſpirat. quod illos ſcribis, tam ri-„ gido edicto ſæuituros, etiam in *conſcientias explorandas*. doleo, non pro me, ſed quod malum in„ caput ſuum imprudentes illi acceſſunt, & tanto„ odio ſeſe onerare pergunt p. 327. 331. 333. 334. 322. 318. Ier. XXIX, 25. 26. ſeqq. Luc. XI, 53. 54.

§. XXII. Neque odioſe adeo exaggerari debebat Pallauicino 1. hiſt. C. T. c. 28. n. 2. quod Lutherus Friburgi fecialem *dimiſit* cum literis ad Cæſarem; ſubdens *eo ſibi* amplius haud *opus* eſſe. *Creditum eſt*, ait ille, *faſtu* quodam id a Martino per-„ actum, quaſi *ſemet ipſo* ſatis eſſet armatus: ſed re-„

vera

„uera id egit, ne per concinnatum ab eo facinus--- neceſſe foret cuſtodiam Cæſaream violare, & quo magis fieret veriſimile, ſibi eo munimine ſpoliato a „ſuis æmulis vim factam f. 44. & n. 3. ſylvam (vt „Iſenaco egreſſus erat) ingreſſurus, multos ex equi„tibus dimittit, qui ad eum præſidii cauſa conuene„runt, alios e comitibus præmittit, ſpecie hoſpitii „opportune parandi: ita, quam maximè potuit, incomitatus arripit iter per ſyluam. illic duo nobiles, „viri Friderico fideliſſimi, hominem inuadunt, ore „perſonato, curruque prohibito, deiectoque, vt „imitarentur hoſtes, in ſolum aurigâ, & verbera„to, per vim ſimulatam abripiunt Lutherum &c. f. 44. ita vanis *ſuſpitionibus* certat Societatis Jeſu, quam vocant presbyter cum ſociis! 2. Cor. XII, 16. X, 2. I. 12. 17. Matth. XXVIII, 13. quid non hac ratione iudicii ferendum foret de illo Pauli *Act. XVI. 36. 37?* vel de illo Eſræ VIII, 22. 23. aut Nehemiæ VI, 11. aut ipſius CHRISTI *Luc. XIII, 31. 32.?* quantum mihi licuit intrare hiſtoriarum campos, comprobatam inuenio eiusdem Caduceatoris Cæſarei, Caſparis Sturmii, ciuis Oppenheimenſis, viri honeſti (quem Maimburgius *totum iam Lutheranum* cum indignatione appellat, eo quod Lutherum Wormatiam tendentem *concionari pro lubitu* Erfordiæ *permiſerit* Joh. VII, 52. 46. 47. 35. 1. Sam. XX, 30. XXII, 8. 13. Sir. XX, 17. 18. Num. XXII, 37. XXIV. 10.) *dimiſſionem*, Fridburgi in oppido Wetterauiæ factam cum humillimis literis ad Cæſarem & ordines, per fecialem illum Wormatiam Fridburgo miſſis T. I. ep. p. 319. 323. ſed absque

vllo

vllo Lutheri *faſtu* ac temeritate. quippe qui Fridburgo vel Fridberga, in Cattorum progrediens prouinciam, Philippi Haſſiæ Landgrauii literas commeatûs ſuſcepit, vt earum literarum fide tutus in Thuringiam proficiſci poſſet. Gauſam *dimiſſionis*, quam Pallauicinus affert, nullibi hactenus reperire mihi licuit, quam vix diſſimulaſſet Lutherus pro notiſſimo ſuo candore, & genio. quid? *ſi* Lutherus id omne præſciuiſſet? quid *ſi* & ideo dimiſiſſet fecialem? cæteris paribus nulla fuerit *malitia*, nullum facinus; num ille tenebatur recuſare conſilia & auxilia? Jer. XXXVI, 19. 26. XXXVIII. 27. Matth. II, 13. Act. IX. 25. 1. Sam. XIX, 17. Eſr. IV, 14. 21. Sir. XIII, 4. Ipſimet de cætero §. XI. retulimus, ſciuiſſe aliquatenus & *confuſe* Nicolaum ab Amsdorf, *Lutherum eſſe* NB. alicubi *capiendum*. reperitur deinde ipſius Lutheri hæc relatio: *intrauimus veſperi Iſenacum, mane ſociis omnibus cum Hieronymo* (Schurffio J. U. D.) *abeuntibus: ego ad carnem meam* (ſtylo biblico ita inſignit conſanguineos ſuos) *trans ſylvam profectus* (*nam pene regionem occupant.*) *ab illisque ſoluens, vbi ad Walterhauſen tendimus. paulo poſt ad arcem Altenſtein captus ſum T. 1. ep. p. 328. b.* Video ipſummet T. 1. Jen. G. Francofurto ſcripſiſſe Wittebergam ad Lucam Cranach pictorem: ich laß mich einthun und verbergen/ weiß ſelber noch nicht/ wo? muß doch guter Leuthe Rath nicht verachten/ biß zu ſeiner Zeit f. 454. Sir. XXXVII, 16. 19. Apoc. XII, 6. Act. XIX, 30. 31. nec animus eſt diſſimulare velle, quæ habet Mattheſius c. l. p. 28. vel quæ ab aliis ſuggeri hic

ri hîc ex authoribus fide dignis poterunt. At quis propterea *dolum malum* aut *facinus* impingere audeat Luthero? quandoquidem vt cui tale quid imputetur, opus eſt ex lege etiam æquitatis, certiſſimis rationibus & fundamentis, omni exceptione & ſuſpicione maioribus.

§. XXIII. *De* concione *Iſenaci publice habita*, excuſisque *ibi præmemoratis literis*, *ad Carolum ab eo miſſis*, *quibus res* omnibus *innoteſcere*, pari ingenio conqueritur Pallauicinus c. l. n. 3. *obfirmatam* contumaciam *aduerſus Preceptum de* concionibus *non habendis* exiſtimans n. 1: quod Lutherus illud Apoſtoli, 2. Tim. II, 9. *Verbum DEI non eſſe* alligatum, *in ipſis comitiis*, *e veſtigio & cum in illorum adhuc eſſet manibus*, *opponeret*. Quaſi vero non in laudem potius Lutheri vergat hactenus, (ſi quis modo *ſpirituali* pollet *judicio*, & in *integra* cauſa ſingularem plane digitum Dei hîc agnouerit) quod ipſe eo rerum ſtatu mallet palam & aperte, *in tempore*, *ſ. e veſtigio* & absque omni reſeruatione mentali, *cum in hoſtium adhuc eſſet manibus*, ſenſum conſcientiæ ſuæ reuerenter profiteri, *in ipſis comitiis*, coram Cæſare & ordinibus, nil niſi *palinodiam* ſimpliciter vrgentibus, quam clandeſtine agere. Act. IV, 17. 18. 19. ſq. V, 28. 29. 2. Cor. X, 9. Nihilominus autem, & non obſtante, Lutheri Wormatiâ iamiam dimittendi, expreſſa obteſtatione ob interdictas conciones, Lutherus ex comitiis & manibus hoſtium dimiſſus, viamque ſuam facere iuſſus eſt; comitatus eodem, quo prius, caduceatore Cæſaris, ne dicam, adiecti eiusdem de *concionibus* intermit-

mit-

Digitized by Google

mittendis moniti vim, ſenſum *vltimum* atque momentum tendere proprie ad præcauendas *populi commotiones. Inſuper mandat Cæſar,* ita aiebat Eccius JCtus, vt domum profectus, neque *ſcripto neque voce populum* in via *commoueas.* quod adeo interdictum, in intima ſua ratione & *radice* conſideratum, nequicquam reſpuit, aut violauit Lutherus; vt ſtatim demonſtrabimus; neque diſſenſu ſuo illi ſe opponere voluit. attamen cum noſſet iſte, quid ſub hac Cæſaris voluntate occultarent illi, qui Cæſaris abutebantur autoritate: hinc factum, quod mentem ſuam in diuina hac cauſa, absque mora, libere & fideliter exponere decreuit. reliqua vt penitius excutiantur, ad aliam pertinet cathedram. Audiamus ſaltem hac de re, ad pertexendam hiſtoriam, ipſum Confeſſorem, quid de Hirsfeldiis, qui ab Iſenacenſi tractu paucis diſtant milliaribus, recenſeat: *ſermonem facere me NB. coëgerunt, fruſtra me cauſſante; ne forte ſua regalia amitteret* (Abbas Hirsfeldius) *ſi hoc factum Cæſareani* cœperint interpretari læſam fidem datam, *cum mihi inhiberent, ne in via prædicarem: ego tamen non conſenſiſſe me dicebam, vt NB. verbum Dei alligaretur,* QVOD & verum eſt. in MEA enim POTESTATE non erat ea conditio, *VT verbum Dei eſſet alligatum, nec pepigi in eam &c.* Tom. I. ep. p. 328. 320. b. Act. IV, 20. & ad Comitem Albertum Mansfeldium: Sie bunden mir auch ein/ unterwegens nicht zu predigen/ noch zu ſchreiben. ſprach ich: ich will alles thun/ was Käyſerl. Mäj. gefält/ doch GOttes Wort will ich ungebunden laſſen. achte wol/ ſie

Digitized by Google

werden mich beſchuldigen / ich habe das Geleite ge-brochen mit predigen. denn ſie ſuchens genau (Matth. XXIII, 24. Joh. IX, 16. 34. Marc. VII, 5.) T. I. Alt. f. 733. de *excuſis* literis, quod Pallauicinus ægre tulit, nihil hactenus inueni, quam quod is ipſe ad Spalatinum: *miror*, ſcripſit, *quid moretur imperiale edictum; excuſas legi meas literas ad ordines Imperii datas in receſſu meo*, ſed mendoſas T. I. ep. p. 334. certus ego quidem ſum, ſi earum *literarum*, quas ad ordines ille exarauit, æquitatem, veluti commentarium quendam dicti illius conciſioris, Pallauicinus ſincere examinaſſet, eum longe aliter, nec adeo odioſe fuiſſe ſcripturum, ac ſi *omnibus innoteſcere eas literas* turbulenta vel *contumaci* ratione, Lutherus voluiſſet. Act. XVI, 37. 38. Hiob. XV, 2. coll. XLII, 8. vide ſupra §. 8. & de Lutheri moderatione, quam circa interdictum concionandi vſum alias ſatis ſuperque præſtitit, Seck. l. 2. hiſt. f. 163. (1) 164. (4) 180. (4) 183. (14) 188. 210. (3) l. 3. f. 230. (a. b.)

XXIV. Vel Pathmus teſtis eſto, quam alienus Lutherus fuerit ab omni tumultuaria agendi ratione. *nollem*, inquit, *vi & cæde pro Euangelio certari: ita ſcripſi ad hominem.* (Vlricum Huttenum, Equitem Francum, ab intemperantiore agendi modo notiſſimum.) *verbo victus eſt mundus, verbo ſeruata eſt Eccleſia, etiam verbo reparabitur: ſed & Antichriſtus, vt ſine manu cœpit, ita ſine manu conteretur per verbum.* T. I. ep. p. 332. Tribuitur ipſi equidem Luthero in arce Wartebuhg quieſcenti, a Varillaſio Gallo homine, tumultus ab *Erfurtenſi*

tenſi plebe, & Academica Juuentute; ibi in Clerum Romanenſem concitatus. *Seck. l. 1, p. 160. (a) 188. (c) 162. (2) 177. 215. ſqq.* quibus opponere ex epiſtolis ſequentia, non piget vel pudet, ob inſignem vſum in vita communi, & prudentiam ſingularem. *Admodum vereor, valdeque angor animo,* (obſerua quæſo Lutheri *animum*) *ne qua magna & horribilis ſeditio in Germania oriatur, quâ natio Germanica graues pœnas det contemptûs & ingratitudinis beneficiorum DEI. videmus enim, quanta cum approbatione, applauſu & gratulatione & concurſu Euangelium a plurimis accipiatur. Sed in populo multi hoc beneficium* carnaliter *accipiunt, cernunt apertis oculis veritatem,* nec tamen ea, vt debent, vtuntur. *his facem admouent* illi, quos moderatione ſua hanc tempeſtatem ſedare oportuit. aggrediuntur *manifeſta vi & immanitate ad hoc* diuinitus *accenſum lumen extinguendum,* nec ſentiunt, *animos hominum hac amentia magis magisque exacerbari,* & ad concitandam ſeditionem *quaſi claſſicum cani.* & quæ longe plura, collata *hiſtoria* ſacra, ex ore quaſi & corde Lutheri habentur T. 2. Jen. Lat. f. 516. Tom. 2. Ep. p. 10. 48. Joh. VI, 15. 2. Cor. VI, 5. Luc. IX, 55. *Audio,* (vt de *Erfurtenſi* illa proteruia obiecta, ſigillatim mentem viri optimi proponam intimiorem) *Erfordiæ in ſacerdotum domos vim fieri; quod miror permitti. Modus tamen iſte Euangelio noſtro parit & infamiam & iuſtam repulſam. vehementer enim me offendit iſta gratia hominum in nos.* ex quâ liquido videmus nondum eſſe nos dignos coram Deo verbi ſui miniſtros, & Satanam in noſtra

Digitized by Google

ſtudia ludere & ridere.- *dum non ita facimus, ſicut docemus*. non ſunt noſtri, *qui hac faciunt*. T. I. ep. p. 326. 327. 329. T. 2. p. 9. a. Et cur quæſo deplorabat adeo Lutherus edicti Wormatienſis rigorem, à Papæ miniſtris ſuggeſtum, niſi quod *tumultum* metueret? *Si Papa omnes aggredietur, qui mecum ſentiunt* (lege autem, ſi placet, tenorem edicti in Pallauicini hiſtoria f. 46. repetitum hoc ipſo anno 1700. ab illo Eiſenhuet im Widerhall p. 17. ſq. 39. & mandata Papæ f. 34. in omnes, qui cum Luthero ſentiunt) *ſine tumultu non erit Germania. & quo citius hac tentauerit, hoc citius & ipſe & ſui peribunt, & ego reuertar. Deus ſuſcitat ſpiritus multorum, atque adeo & vulgi corda; vt mihi veriſimile non ſit, poſſe rem iſtam vi compeſci.* Tom. I. Ep. p. 331.

XXV. Neque obſtat, quod negat ſe *moueri*, quosdam ex ſuis immodeſtius agere, vti profitetur T. I. ep. p. 365. nam vt ex antecedentibus conſtat, non negat *ſe dolere*, ſed negat ita *ſe moueri*, vt prætextu pacis vel *prudentiæ*, ſtationem cauſæ ipſius deſerere audeat, ob incommoda ex aliorum hominum „immodeſtiâ vel ruditate. *nihil motus ſum, vt ali*„quid mutarem-quod vero male audire nos cum no„ſtris cogimur, vel ab aduerſariis, vel nimio ciuili„ter prudentibus in re diuina, nihil debuiſti, (*Spa*„*latine*) moueri--quanquam iuueniles iſti motus non „placeant, qui Antonii legatum male acceperunt: „ſed quis omnibus, omni loco & tempore, frenum „iniiciat? an illi nihil vnquam deſignant mali? non „ruet ideo Euangelium, ſi aliqui noſtrum peccant in mo-

modeſtiam. qui autem alienantur a verbo hac cau-„ ſa, non verbo, ſed *gloria* verbi ad hæſerunt. qui ver-„ bo adhæret propter verbum, portis inferi auellen-„ tibus, non auellitur ab eo: qui alienatur, alienetur.„ cur non ſpectat NB. noſtra meliora & firmiora? cur„ ergo totos damnant ob partem? ibid. Tom. 2.„ Jen. Lat. p. 467. a.

XXVI. Similiter & ad Spalatinum ex eremo *Eraſmum* (Roterodamum) *a cognitione* gratiæ *longinquum eſſe video, qui non ad* crucem, *ſed ad pacem ſpectet in omnibus ſcriptis. hinc omnia putat*, ciuiliter, *& beuenolentia quadam* humanitatis *tractanda gerendaque: ſed hanc non curat Behemoth, neque hinc quisquam ſeſe emendat &c.* Tom. I. Ep. p. 355. b. ſq. vbi & p. 356. Lutherum pœnitet, ſe Wormatiæ non ſatis exhibuiſſe *Eliam*, Spalatini cum ceſſit aliorumque amicorum conſiliis. Seck. l. 1. f. 156. (8) Vnde paulo poſt edidit librum *aduerſus falſo nominatum ordinem epiſcoporum*, quo negat, ſe poſthac ipſorum iudicio ſubmiſſurum ſua ſcripta: *nimium ſe Wormatiæ fuiſſe demiſſum*; optare ſe inprimis, vt reſipiſcant, at ab ipſis captari *tranquillitatem* cum otio & deliciis, & nonniſi de *Status* perturbatione angi; ea propter daturum ſe operam, vt *quam* pacem tanto ſtudio quærunt, eam vt ne conſequantur. Sperare iſtos *requiem publicam*, ſi ipſe remoueri poſſit a conſpectu hominum: ſed *ne ſic quidem* extra tumultum & inquietudinem iſtos eſſe futuros. Quod etiam nonnulli, *criminis* maximi loco, exaggerent ſuam in dicendo libertatem, quaſi propemodum eo ſpectet, vt eiusmodi ſcriptionibus *motum* aliquem excitet: aduerſus hoc

Digitized by Google

præiudicium oſtendit Lutherus ibidem plurimis Scripturæ teſtimoniis ac exemplis, *neceſſariam* hanc eſſe agendi rationem, cum eccleſiarum præfecti impii ſunt & obſtinati, quando *nec* ſuum *ipſi* munus faciunt, *nec aliis*, qui cupiunt & idonee poſſent, permittunt, vti faciant. Act. XVII. 6. in epiſtola quadam ad Fridericum III. Electorem, qua ei partem Poſtillæ A. MDXXI. d. 3. Mart. dedicat, teſtatur de ſe, quam inuitus a ſtudiis ſuis auulſus fuerit, *veniamque* ſperat ab iis, qui perpenderent, quantos leones Moab, quantos Rabſaces Aſſyriorum, quantos denique extremæ virulentiæ Semeios vnus ſuſtinere debuerit. eandem rationem Spalatino iam dederat: *rem ſibi eſſe cum blasphemis in veritatem euangelicam hominibus, cum lupis, qui ſe inauditum, non-monitum, non-edoctum damnent, & atrociſſimis criminationibus in ſe & verbum Dei graſſentur, ita fieri, vt, ſi nec calore nec ſtylo raperetur, tamen indignitate rei vel Saxeus animus ad arma queat moueri, tanto magis ſe, qui & calidus ſit* (vide, L. B. candidam Lutheri confeſſionem, eamque in meliorem partem interpretare, ceu decet eos, qui habent Chriſti Spiritum) *& ſtylum habeat non penitus obtuſum, & mores, quibus vltra modeſtiam feratur. mirari tamen ſe, vnde iſta nota ſit religio noua, vt, quicquid in aduerſarium dicatur, conuitium appelletur. De Chriſto* (pergit: etſi eo non faciebat ſe æqualem *Chriſto*; quemadmodum ſine fine excipiunt hypocritæ, qui *Chriſti exemplum* ſic ad *Chriſtum* conſtringunt, vt eius *exemplum*, per eos, nuſpiam plane habere locum vllum poſſet) *quid ſentis? an conuitiator fuit, quando Judæos appellat gene-*

generationem adulteram & peruerſam, progeniem viperarum, HYPOCRITAS, filios Diaboli? *deinde Paulus canes, vaniloquos ſeductores, indoctos: qui Act. 13. ſic inuebitur in pſeudoprophetam, vt videri poſſit inſanus, dicens: o plene omni dolo & omni fallacia, fili diaboli, inimice veritatis! cur non hic Paulus MODESTE potius blanditur, Vt conuertat* (hunc enim finem *conuertendi* prætexunt, & queruntur hoſtes *crucis* Chriſti, ſerium agendi modum minus facere ad *ædificationem. Matth. XV, 13. 12.* Quaſi vero ædificandus ſit vetus Adam, & non deſtruendus potius. Vel quaſi tales vllum edant ſignum, quod de ſua ſoliciti ſint conuerſione, nedum de conuertendis aliis curam agant) *quam ſic tonat? video ab omnibus in me peti MODESTIAM, maxime ab hoſtibus, qui minime tamen omnium eam præſtant: ego, ſi immodeſtior ſum, ſimplex tamen & apertus ſum, quo illis me puto præſtare, cum nonniſi inſidioſiſſime commententur, ipſi me provocaverunt ad bellum, pacem oblatam contempſerunt. quod facio, neſcitur modo. ſcietur POSTEA* l. 1. ep. 199, l. 2. ep. p. 19. Pertinet huc magnam partem Lutheri liber ſcriptus e Pathmo aduerſus Jacobum Latomum, ſeu rationem Latomianam *T. 2. Jen. Lat. f. 380. ſq.* lon-„ ge me abeſſe a MODESTIA Evangelica dicit,-„ cum mea doctrinaliter damnaſſent. at nunquam ex-„ egi, vt me quis modeſtum aut ſanctum haberet,„ ſed vt euangelium omnes agnoſcerent, hoc tamen glo-„ riatur conſcientia mea, nullius vitam aut famam eſſe a „ me læſam: ſolum (1) dogmata (2) ſtudia, & (3) ingenia,„ in Verbum Dei impia & ſacrilega, acerbius inſectatus,„

 ſum;

Digitized by Google

„ſum. in quo vt non deprecor culpam: ita non ſum
„ſine exemplo, I. Baptiſta, & poſt eum Chriſtus, vo-
„cat Phariſæos genimina viperarum, immodeſtiſſimo
„& atrociſſimo maledicto in tam doctos, ſanctos,
„potentes & honoratos viros, vt eum rurſus dæmo-
„rium habere dixerint ipſi. Si hic Latomus iudex
„fuiſſet, obſecro, quæ ſententia illos manſiſſet? Ali-
„bi Chriſtus cœcos, mendaces, prauos, filios Diabo-
„li vocat. Paulus vero, Deus bone, quam eſt ab
„Evangelica modeſtia remotus, dum anathema facit
„Magiſtros Galatarum, magnos, vt arbitror, viros:
„alios canes, vaniloquos, deceptores, tum Elymam
„magum filium Diaboli, plenum omni dolo & falla-
„cia, criminatur in faciem. Nec puto, fas eſſe So-
„phiſtis, vt ANIMVM meum iudicent, cum OPVS
„meum ab Apoſtolis, Chriſto & Prophetis diſſentire
„non videant. Sed modeſtia Evangelica, noſtro ſe-
„culo, ea eſt, quando impiis & ſacrilegis, tum Ponti-
„ficibus & Sophiſtis, genu flexo dicimus: Gratioſe
„Domine, Gratia veſtra bene facit. Magiſter noſter
„eximie, Veſtra Excellentia bene dicit, ſi, his palpa-
„tis, vel orbem ſubuerteris, non fueris immodeſtus;
„ſcilicet adeo pendet Evangelica modeſtia & immo-
„deſtia in (1) idolis & (2) idiotis venerandis. Malo
„ego apertus eſſe, & neminem blanditia fallere, hoc
„poſſum teſtari: cortex meus poteſt eſſe durior, ſed
„nucleus meus mollis & dulcis eſt. nemini enim ma-
„le volo, ſed omnibus opto mecum quam optime
„conſultum. Porro duritia mea, ut nemini nocet,
„ita neminem fallit. Salomon dicit Prov. 28, 23.
„qui corripit hominem, poſtea gratus erit præ illo,
qui

Digitized by Google

qui blandus eſt lingua. iſti modeſtiam verbis„
& vultu ſimulant, interim nonniſi cædes, mi-„
nas & ſanguinem ſpirant, viri illi ſanguinum
& doloſi. Quam ſcite dixit Hilarius, diffi-„
cilem fore cauſſam veritatis tueri aduerſus impios„
ſi tantum conſuleret prudentia, quantum audet im-„
pietas. Opponitur ibidem locus, 2. Timoth. II, 9.„
§. XXIII, allatus. non enim decet Verbum Dei alli-„
gatum eſſe propter hominem, nec nouit perſonarum„
reſpectum. Chriſtus in Euangelio, quos carpit?„
num vulgum? Nonne Magnates ſolos? At CHRI-„
STUS erat Deus. (Sic vulgo excipiunt, quibus
Chriſti exemplum ſudes eſt in oculis) Verum. Sed
inanitus eſt, forma ſerui accepta. non arguebat, vt„
Deus. omnibus Prædicatoribus exemplum factus,„
vt vulgo parcerent, Principibus non parcerent; quod„
vulgi calamitas e Principum pendeat culpa. an ideo„
ſilendum, quod ira DEI mali præſint, vt Latomus
(obtentu nominis DEI) adulatur? non enim vitia,
quia vitia, ſed quia in magnis perſonis vel paruis„
ſunt, arguenda vel tacenda docet, quid iſti hoſtes„
CRUCIS volunt, niſi vt otioſum ſit ſcandalum cru-„
cis? ſcientes, vulgum ſine periculo argui, Princi-„
pes vero non ſine præſente malo tangi. at ii ſunt„
Mercenarii. debetur REVERENTIA altitudini fa-„
teor. ſed citra diuini verbi iniuriam, quod eſt ipſe-„
met Deus, cui oportet magis obedire, quam homi-„
nibus. quod Si cuiuspiam magiſtratus vitium fe-„
rendum, profani, non eccleſiaſtici, ferendum eſt.„
quid ſalutare ab eo expectes, qui rem eccleſiæ, vi-„
tia Paſtorum, ſalutem animarum tam leuiter pendit,„
ac ſi eſſet ſolum culpa quædam tyrannidis profa-„

Digitized by Google

„næ, corpora aut ſubſtantias perdentis. At time-
„tur ſeditio, & illi non fiunt meliores, ait Latomus.
„Quam Iudaica vox! nam & illi metuebant, ne Chri-
„ſtus ſeditionem faceret, nec vel pilo fiebant melio-
„res, imo fiebant peiores. - Sic prudens vir ille time-
„bit, vbi non timendum eſt, vt corporalem pacem
„præferat ſaluti æternæ animarum. nunquam minus
„eſt metuenda ſeditio, quam dum verbum Dei do-
„cetur. Deus enim, qui Deus pacis eſt, tum præ-
„ſens eſt. ſcimus, quod Chriſtus Evangelion ipſe
„non potuit docere, niſi reprehenderet. qui ſecus do-
„cet, non euangelium, ſed ſuas adulationes blaterat.
„An ſufficit hic cogitare: ſi nemo indigna poſtula-
„ret? ſcilicet cogitatio quædam, vt cogitemus: ſi
„nemo poſtularet indigna, Papa fieret melior. Cur
„autem non etiam ſic cogitamus: ſi Papa ſeipſum
„EMENDARET, tum nemo poſtulare auderet in-
„digna. Nos ſumus Magiſtri noſtri, nos Iudices
„nos non poſſumus errare, nobis orbis obnoxius eſt.
„quicquid dixerimus, articulus fidei. (ille vero) non
„tenet principia fidei. hæreticus! hæreticus! Vt ar-
„rogantia Prophetarum novorum non inſanit! non
„ſunt euangelia tam obſcura, vt pueris ea non poſſint
„patere.

XXVII. Eraſmus ipſe ab initio reformationis a-
gnouit ſingulare donum & digitum Dei, recteque
pronunciauit de Luthero: *quod hæc tempora ACREM requirunt medicum. Seck. l. 1. hiſt. Luth. f. 201. (4) 63. 175. (3) 310. (8) l. 2. f. 57. (5) l. 3. f. 10. 9. 604. (5)* vti-
nam modo celeberrimus vir, *Deo confiſus* inter omnia
pericula, conſtans idque ſpirituale iudicium tuliſſet
de Lu-

de Luthero, eiusque *conſtantia* in bono, virtute illa vere theologica, vere eccleſiaſtica, quæ morales virtutes ſapientium huius ſeculi longe poſt ſe relinquit! porro ex *tempore* iudicare oportebat, quando invaleſcebat magis magisque, cum ipſo tempore, contradicentium peruicacia, Eraſmo quidem præ multis aliis perſpectiſſima. Mich. II, 7. nouerat vir doctiſſimus vel ex hiſtoria, plurimos veterum martyrum tanquam *inhumanos* & agreſtes, male habitos fuiſſe, *Lactant. l. 1. de falſ. relig. §. 1. Wower. ad Minuc. p. 125.* Joh. XVIII, 22. 11, Act. VII, 51. 54. Jer. XV, 10. Luc. XI, 45. 53. Gen. XIX, 9. Joh. VI, 60. 66. Apoc. XI, 10. Sap. II, 16. 12. Judith. V, 2. Amos. VII, 10. 13. Varia de his inſperſit in Eraſmi gratiam B. Lutherus, ex eremo cum emigraſſet. l. de L. arbitr. *fateor, mi Eraſme, non immerito te iſtis omnibus* (autoritatibus) *moueri. ego vltra decennium iſtis ſic motus ſum, vt nullum alium arbitrer eſſe, qui æque ſit iſtis permotus-teſtor Deum in animam meam, perſeueraſſem; adhuc hodie ſic mouerer; niſi urgeret conſcientia, & euidentia rerum me in diuerſum cogeret. potes ſane cogitare, nec mihi Saxeum eſſe pectus, atque, ſi Saxeum eſſet pectus, tamen tantis fluctibus & æſtibus luctatum & colliſum potuiſſe liqueſcere, dum id auderem, quo facto videbam, omnem illorum autoritatem, quos recenſuiſti, ſuper caput meum, velut diluuium, inundaturum** indica hinc, L. B. quam ſit lata affectatæ iſtius *humanitatis*, quo abripi magni viri poſſunt per fraudem Satanæ, qui fingit *neceſſitatem* colendæ ſic pacis mundanæ & amicitiæ, & per importunas ſuggeſtiones ſuperbæ meticuloſæve rationis humanæ.

con-

Digitized by Google

contra: quam anguſta ſit, quam arcta, quam crucis plena, via neceſſariæ in bono conſtantiæ. de qua *crucis.* via multo minus, ac de illa via rationis, carnalis *affectus* præſumi debet, niſi prorſus inſipiens ferri velit iudicium. Matth. VII, 13-16. Luc. VI, 26. 1. Cor. IV, 5. Luc. XII, 51-57. *B. Kortbold. in Anti-Frommio p. 18. 24. ſeq.* fugit enim *natura* hominis crucem Chriſti, vt longe proclivior ſit ad commodum capiendum ex *fauore* hominum, quam ad ferenda odia tot potentium. credo proinde, qui hiſtoriarum vtcunque peritus eſt, eum facile conceſſurum mihi, quod omni tempore plus ** obfuerit bono vere publico, humanitatis vulgo ſic dictæ ſtudium, bona ſc. charitas & larvata modeſtia, quam id quo ex aduerſo audit importuna ſeveritas, moroſus rigor, acerba durities, miſanthropia, immanſuetudo, aſperitas &c.

* *pag. 77. 78. ed. Seb. Schmidii, qui & ipſe B.* „*Schmidius in* K. Weiſſ. *p. 447, laudat Luthe-* „*ri verba ſequentia: quantum manet in nobis* „humanitatis, *tantum manet & mendacii & va-* „*nitatis. ſi enim omnes, vt ſentimus, loquere-* „*mur: quantis nos oneraturi eſſemus aduerſa-* „*riis! quanta* amicitiæ *hoc gladio veritatis di-* „*viderentur- ſic abundant hodie depravatores* „*verbi Dei ſupra modum, non quod omnes ſcien-* „*ter mentiantur, ſed* quod non cognoſcunt cor „ſuum ſatis. *Ibidem iterum allegato loco 2.* „*Timoth. II, 9. Lutherus ad Eraſmum: Si a te* „*petamus, vt diſcernas nobis tempora, perſonas,* „*&* modos *dicendi veri, quando definies? ante* „*ſuum clauſo componet tempore finem mundus,*

quam

quam tu unam regulam certam *ſtatueris. vbi,,*
interim manet docendi officium? niſi is ſit tibi,,
modus, *vt ſic doceamus verum, ne motus fiant,,*
in orbe, ne multi offendantur, & peiores fiant.,,
hoc quale ſit conſilium, ſupra vidiſti &c. &c.,,
p.55.ſq.

** *a pleriſque hodie docentium nimia leuitate gra-,,*
uius peccatur, Deusque offenditur, quam ho-,,
mines moderati unquam aſperitate Lutheri of-,,
fenſi aut perturbati fuerunt. D. Zach. Schil-,,
ter citante D. Finckio de voc. Luth. §. 75. conf.,,
Jurieu lettre paſtorale 21. p. 191. ſq. Rom. XVI,,,
18. Eſ. III, 12. Pſal. LV, 22. Prov. V, 2.3. errat,,
quidem Maimburgius, dum librum Lutheri,,
aduerſus R. Angl. Henricum VIII. ad hiſtoriam,,
Pathmi *refert: nos tamen hac occaſione vel ver-,,*
bo notamus, quod ea quæ in Seck. l. 1. hiſtor.,,
Luth. f. 188. (c) *189.* (5) *277. ſq. l. 2: f. 80. fin.,,*
f. 81. ſq. 87: (13) (14) *habentur in cauſa Regis,,*
Angliæ nonnihil in receſſu habeant.,,

XXVIII. Abſit, vt ex Luthero faciamus virum, qui labi, qui modum unquam excedere non potuerit. abſit, vt *cæco* impetu rapi quemcunque velimus ad imitationem Lutheri. invito quippe ipſo Luthero tale quid fieret; T. 2. Jen. G. f. 446. a. qui nec ipſe res ſuas imitandis aliis ſuperſtruxit. verbum *Dei ipſius* attendendum: eædem ſint zeli cauſæ; ex cauſis moventibus ferendum iudicium: non tam parua, tam vilis & exigua res eſto *veritas* cœleſtis, vt ducat quis ſuperfluum, ſubire pro ea quid *moleſtiæ*. tota corrumpitur hominis prudentia, cum ſomniat quis, fieri poſ-

Digitized by Google

poſſe in tanta rerum corruptione, vt & veritas iuſte propugnetur, & humanitatis mundana laus ſeruari ſimul queat apud homines; qui tamen ſolis ſuis commodis addicti, alia conditione nolunt acquieſcere, qui nolunt aliter pacem & amicitiam colere, niſi ſarta tecta ſit ſecularis conſuetudo & indulgentia, honor priuatus, & viuendi in diem commoditas, Pſ. 120, 7. 80, 7. Jerem. XV, 10. Eſ. LIX, 5. 15. cogita, quæſo, (quisquis Deum diligis *ſuper* omnia, times *ſuper* omnia, Deo confidis *ſuper* omnia ſincero animi tui ſtudio) cogita, quæſo, num dignum ſit, ſubiici ſic omnem evangelii curſum regimini falſæ promiſcuæque humanitatis, & ſecuriſſimæ iocationis? cum potius veritas diuina regere humanitatem, & limitibus circumſcribere debeat, nam ſi his in rebus ſpiritualibus viuendum ſit ad vulgares illas regulas, & *virtutes*, quas vocant, homileticas: nunquam poſſet per *bonos* illos ſcilicet *mores*, vllo loco vllo tempore, quod iſtis opportunum ſit; vllo modo, qui placeat; *veritas* Jeſu Chriſti crucifixi vſpiam invenire locum, quin vsquequaque obiiceretur defectus *modi* (*I. G. Exam. C. T. p. 210. Seck. l. 1. f. 213.* (4) *l. 2. f. 93.* (b) *l. 3. f. 556.* (8) *563. l. 1.*) debiti. 2. Tim. IV, 2. Eſ. XXX, 10. Jer. VIII, 12. 2. Sam. III, 8. quod veriſſimum eſſe quisque intelligit ex vitæ ſuæ curriculo. Propterea cauit Lutherus, ne humanitatis, quæ ſane absque fuco colenda eſt, loco, larua collocetur indiſcretæ humanitatis, & ſimulacrum quoddam peſtilentiſſimum. quid? peſſimus ille, & hæreticiſſimus, vt ſic loquar, *indifferentiſmus*, quo ob humanos reſpectus, & ob amorem ſui ipſius *inordinatum*, curſus liber permittatur

Digitized by Google

tatur prauis quibusuis conſuetudinibus, omnibusque hypocritis; autoritate vtplurimum, tot animarum periculo, pollentibus, receptos mores aſſidue prætexentibus. accommodare huc liceat, quod de Platonica communione Lactantius habet l. 3. de falſa ſapientia c. 20. quæ iſta confuſio generis humani eſt? quomodo ſeruari poteſt charitas, vbi nihil eſt certum, quod ametur? *conf. nupera Diſqu. M. I. D. Heernſchmid de diſcrimine virtutum moralium & ſpiritualium.*

XXIX. Refert Johannes Criſpinus, *in actis & monumentis martyrum, qui a Wicleſo & Huſſo ad noſtram hanc ætatem &c.* p. 20. quid magiſtri Pariſienſes de Johannis Huſſi cenſuerint articulis. *ETSI videntur habere Zelum*, inquiunt, *contra vitia prælatorum & clericorum, nimis, proh dolor! abundantium: non TAMEN ſecundum ſcientiam. Zelus itaque diſcretus ea peccata, quæ videt in domo Dei ſe non poſſe tollere, tolerat & gemit. Quia non in Beelzebub eiiciuntur dæmonia, ſed in digito Dei, qui eſt Spiritus S. volens, vt in corrigendo* MODUS *adhibeatur Prudentia, iuxta illud: quis? quid? vbi? cur? attendas, & quomodo? quando?* Sæpe cogitauit Lutherus de his cum Huſſo actis, qui ad ignem raptus eſt, ſecundum regulas ordinarias & religionem prudentum, in concilio Conſtantienſi. erat enim illud prudentiæ eccleſiaſticæ ſpecimen Conſtantienſe, in recenti omnium memoria ex elapſi proxime ſeculi hiſtoria. Wie auch der fromme Märtyrer Johannes Huß in ihrem hölliſchen Concilio zu Coſtentz damit vom Teuffel überſchrien/ und verdampt ward/

Digitized by Google

daß er den Pabſt und ſeinen Hauffen ſtraffete um ihres böſen ſchändlichen Lebens willen; Daß ſie auch ihre eigene geiſtliche Rechte nichts überall hielten. Denn ſie hatten darwieder dieſen Schutz: obgleich das Leben nicht recht iſt/ſo iſt doch die Lehre recht. in Poſtill. eccleſ. Dominic. 2. poſt Paſch. & iterum ibidem: hierwieder haben ſie allezeit Wehr-Wort/obgleich ihr Leben ſträfflich iſt/ſo ſey doch die Lehre recht und gut. edit. Luneb. de An. 1637. T. 8. Jen. G. f. 214. a in fine. T. 6. f. 497.

XXX. Operæ hic pretium eſt, moderno etiam tempore noſſe, quomodo heros noſter tot ſpectra *ſcandalorum*, quæ ſubinde obiiciebantur, debellaverit. nam cum decretum iam fuiſſet Wormatiæ de Luthero proſcribendo; Trevirenſis tamen, epiſcopus nondum deſiit eum adoriri, & tentare, vna cum aliis imperii proceribus, an ad avertenda *ſcandala* perſuadere id ipſi poſſet, quod poſceret ſtatus eccleſiæ & publica tranquillitas, animo, vt videtur, Lutheri rebus non per omnia aduerſo. Sed perrumpebat heros in cauſa fidei, differre, aiens, *charitatis* & *fidei* ſcandala; quorum *illud* in moribus & vita conſiſtat, & omnino vitandum ſit; *alterum* autem inhæreat verbo Dei, nec vllam debere eius haberi rationem. veritatem enim & æterni Patris voluntatem atque mandatum diſſimulari non debere, etiamſi totus terrarum orbis offendatur, hoc vitare ſe iam non poſſe. in ſua enim poteſtate non eſſe, vt Chriſtus non ſit *petra ſcandali*. Eſ. VIII, 14. Rom. IV, 33. 1. Petr. II, 8. & quæ plura refert Sleidanus l. 3. confer. Matth. XV, 12, 13. 14. de ſcandalo, quod *captant*, quam *accipiunt* hypo-

Digitized by Google

hypocritæ ex næuis Chriſtianorum in agendi modo, in Pathmo poſtea ſcripſit: Chriſtus will in ſeinen Gliedern zugleich heimlich und offenbar ſeyn. Zugleich ſich finden/und nicht finden laſſen. Darum läſſet er unter den Früchten des Geiſtes/dabey man ihn kennen könte/und ſich wohl an ihm beſſern mag/mit unterlauffen etliche gebrechen / damit er ſich verbirget/ und ſich an ihm ärgern ſollen die freveln Richter. *conf. T. 2. Jen. L. f. 415. b.* Poſt eccleſ. 5. poſt Epiph. bene vtique, ſi modo bonus ſit interpres, ac intelligens ſacrorum affectuum & viarum Domini, ceu iuſti iudicis! nam ſi candide agerent, qui de ſcandalis ſine fine conqueruntur: *meliora* potius intuerentur, neque adeo prompte arriperent occaſionem offendiculi, in ſinu quaſi gaudentes de faba inuenta, & indignandi anſa, (repete L. B. ex §. 25. *meliora*, ad quæ Lutherus provocat, & adiunge Lutheri collegam Philippum in apologia A. C. p. *296.*) ante omnia debent, qui iudicare velint, regi velle ſolo S. Spiritu, alieni a Schemate vani huius ſeculi, vt poſſint ſanum ferre iudicium. Rom. XII, 2. Philipp. I, 9. 10. 18. deinde *tota* in precibus conſideretur cauſa, 1. Sam. XXVI, 19. conſideretur *integer* ſtatus eccleſiæ quoad *omnia* ſua *momenta*, examinentur circumſtantiæ ſecundum *diuinas* regulas absque amore vel timore mundi, donec ad *habitum* perveniatur *iudicii* Ebr. V, 14. ne ſubſiſtat quis in ſolis *externis* Marc. XII, 34. Joh. VII 24. 35. 12. ſeq. Eſ. XI, 3. 4. multos olim nouerat hallucinatos Lutherus, quod in iudicandis martyribus nil niſi *externos* martyrum geſtus, acriora verba, vultumque intuerentur, non fontem agendi, non ſeriem

rerum continuam, non fundamenta intimiora, non *gratiæ* in *natura* regimen. Hiob. XV, 12. XIII, 4. quod ſi quis humanitatem præſtare velit cedendo veritati: viderit, annon illi qui habentur pro ſeueriſſimis, futuri ſint ſummæ comitatis in eos ipſos, a quibus in faciem conſputi titulis turbatorum, nouatorum, phariſæorum, tentabantur prius de *patientia*, Sap. II, 19. 12. 15. quid? quod inter medias, quas putant, invectivas, iuſto tempore placidum animum exerunt cum Stephano. Act. VII, 60. 51. Philipp. III, 2. 18 2. Tim. IV, 14. 15. 16. Apoc. II, 1. 2. Jer. XXVIII, 12, Eſ. LIII, 7. L, 7. Jud. v. 22. 23.

XXXI. Quæ exempla conſiderans Lutherus, digniſſima lectu ex Pathmo ſcripſit *F. Stephan.* & *2. poſt Epiph. in poſt. eccleſ.* in quibus iudicium *fidei & Charitatis* diſtincte & perſpicue proponit. puriſſime & abſque *truncatione* illa habentur in editione An. 1525. Witt. ap. Joh. Grünberg. Vnde illud quoque conſtat, a Lutheri corde & ſenſu plane abire eos, qui hoc ſenſu *heroicas* in ipſo laudant virtutes, vt *exemplum* ipſius nullius reuera *exempli* loco eſſe poſſit. neque minus perverſo ſpiritu regi eos, qui *leuitatem* quidem (vel verius humanitatem demagogicam, quam caro & ſanguis dirigit) audent commendare *exemplo* Chriſti, ſed in exemplum eſſe nullo modo patiuntur *eiusdem* Chriſti ſeriam converſandi rationem cum phariſæis Matth. XI, 18. 19. XXIII. *tot.* Sic & errant, qui ſeruos Dei cum ſeruis Dei temere comparant invicem quoad *naturam* potius, quam *gratiam*, Lutherum prementes moribus Philippi modeſtioribus. nam, vt inter ſervos Dei non regnat inepta imitatio, nedum vt qui-

vis

Digitized by Google

vis velit eſſe Lutherus Luc. IX, 54. Act. XIX, 15: : in notum eſt, quando in pretio Philippus collegæ Luthero fuerit, ſaluo iure veritatis, ex qua Philippi corrigebat modeſtiam. paulo ante memorauimus ingenuam confeſſionem Lutheri de ſemetipſo p. 24. nunc non poſſumus non adiicere, quæ ex Pathmo Coburgenſi ſinceriſſimum pectus prodidit in epiſtola ad Joh. Brentium: *non Brentium, ſed Spiritum prædico, qui in te ſuauior, placidior & quietior eſt. meus vero ſermo eo fato agitur, vt turbulentus & impetuoſus, velut luctator cum monſtris infinitis ſemper congredi cogatur. Solor tamen me ipſum, quod exiſtimem, imo ſciam, Patrem illum familias cœleſtem, pro magnitudine ſuæ domus, etiam opus habere vno & altero ſeruo duro contra duros, & aſpero contra aſperos, veluti malo cuneo in malos nodos. & tonanti Deo opus eſt, non tantum pluuia irrigante, ſed etiam tonitru concutiente & fulgure auras purgante, quo felicius & copioſius terra fructificet.* Ezech. III, 8. 9. 26.

XXXII. Forſan & illud ſimul oſtendendum, grauiter illos impingere in hiſtoriam eius temporis, qui, dum graues auribus & carni moleſtæ ſunt tales Lutheri *oppoſitiones*, & certamina, applauſerint ſententiæ Galli cuiusdam, nomine Des-Mareſts, in libro, *entretiens ſur la divinité, ſur la religion & autres ſuiets* inſcripto, Pariſiis An. 1687. excuſo; Lutherum haud dubie p. 45. eiusque ſimiles bellatores Domini, vna cum libris Lutheri & Lutheranorum accerrime remouentis, a cognitione, poſeſſione & cultu *pacificæ* Theologiæ, vt vocat, myſticæ. p. 41. 43. 46. 49. hosque in ſcriptis ſuis theologicis nil niſi claſſicum canere, & ciere *turbas* exiſti-

mantis absque omni certe vera, & explorata cauſa. Nam ſi recte omnia conferantur, ipſum *genus loquendi* in *polemicis* Lutheri ſcriptis, *ex eo* aſperius eſt, & veluti impatientius, *quia* Lutherus *malebat* omnino literas Chriſti *pacificas* excolere. quid? quod toties Lutherus probat, quam alieno fuerit ab *eriſticis* ſtudiis animo, quoties doluit, in ſcholis & academiis id ſtudiorum genus, tanquam *fundamenta prima & primaria*, regnare, quod iuuentutem a vero fine *ſobria* theologiæ, & a vera ſapientia nimis, proh dolor! remouet.

Non facile credas (ita in Refutatione Latomi ad D. Iuſtum Ionam) *quam inuitus a literis* pacificis *Chriſti, quibus me in hac Pathmo dederam, avulſus, vepricoſi & ſenticoſi Sophiſtæ nugis legendis tempus impendi*, quibus moleſtiſſimum eſt reſpondere & tamen *optimas horas* perdere cogaris &c. *hunc Latomum a me* extrudo *ad te, ne mihi ultro moleſtus ſit, qui iam epiſtolas & Evangelia* (multo libentius) *enarrare vernacula cœpi. quæ cauſa eſt vt moleſtum fuerit, eius ſordes legere.-modo exul libris careo-ſola enim biblia* (2. Tim. IV, 13.) *mecum ſunt &c.-Plaga iræ diuinæ ſunt heretici & falſi magiſtri, ideoque magis oratione humili apud Deum plaga auertenda, & Deus placandus, quam viribus ingenii aut eruditionis cum eis congrediendum, vt victoria ſit Dei miſerentis, prouocati noſtris lacrymis, non noſtrorum operum. non enim noſtrum eſt, animam noſtram ab impiis iſtis ſalvare, quanto minus eos ſuperare.-impii non poſſunt intelligere, ſe eſſe lupos rapaces ſub veſtimentis ovium, ideo enim ſecure docent, atque pugnaciter*

inſtant,

Digitized by Google

inſtant, quod ſe ſe rectiſſima docere arbitrentur, ita vt niſi Dominus ſolus hic iudicet, nullus hominum iudicare poſſit. T. 2. Ien. Lat. f. 379. 411, 179, 127. Tom. 2. Witteb. Lat. fol. 212. 244, *ad Latomum* invitus *reſpondeo, quod iam animum compoſuerim* quietis *ſtudiis &c.* T. 1. ep. p. 329. b. 348. b. 271. b. Seck. f. 70. 87. dieweil ich Ewr. Fürſtl. Gn. (Iohannem Fridericum Principem alloquitur, poſtea Electorem, qui multa propter veritatem paſſus eſt) nu lange Zeit verheiſſen und ſchuldig/ das Magnificat zu erklären/ davon mich die ungeſchickten Händel vieler Widerſacher ſo offt getrieben ꝛc. T. I. Jen. G. f. 476. cuius libri in Pathmo abſoluti & meditationes ſatis vereque myſticas complexi, frequens fit mentio T. I. ep. p. 327. 328. 333. 348. 351. 363. (2. Tim. IV, 13, 22. 6. II, 16.) conf. de concordia Lutheri cum Taulero, elenchum teſtimoniorum ſubiunctum medullæ Tauleri A. 1644. p. 170. ſq.

XXXIII. Quæ præterea fuerint *quieta* ſtudia, quibus ſeſe accinxerit, quæ literæ Chriſti *pacificæ*, quibus ſe dederit in Pathmo, facile iudices, L. B. ex locis illis ipſis, quibus id profeſſus Lutherus eſt. *ſtatueram,* inquit, *narrationem epiſtolarum & euangeliorum vernacula donare,* in gratiam *populi* tam pretioſo ſanguine redempti, & veritatis evangelicæ ſitientiſſimi. *T. I. Jen. L. fol. 279. b. 295. b. 342. b. 434. a. 435. a. T. 2. f. 321. Poſtilla* nempe *eccleſiaſtica* Alberto, Comiti Mansfeldio, natu minori, ex eremo inſcripta, Mein allerbeſtes Buch/ das ich ie gemacht habe/ die Poſtillen / welche auch die Papiſten gerne haben. T. 3. Jen. G. 381. b. weil wenig Poſtillen/ auſſerhalb des Tauleri vor der Hand waren/ daraus man Kinder

Digitized by Google

und alber Leyen einfältig und richtig könt berichten/ wie man Chriſtlich leben und ſelig ſterben ſolte. conf. T. 2. ep. p. 108. a*.

* *Putamus constare omnibus, quam multa quidam expunxerint in* poſtillis eccleſiaſticis. *Speciminis loco conferri poſſunt exemplaria, quæ Luthero ſuperſtite, & quæ a morte Lutheri excuſa ſunt ad* D. Steph. & rium Regium, *deprehendimus quam plurima expuncta fuiſſe, quæ tangunt academias & ſophiſtas, & Ariſtotelem. Si qui vero putabant, non poſſe ſeſe approbare omnia, quæ habentur in poſtillis Lutheri; nouerant illi, Lutherum lectores ſuos nunquam adſtrinxiſſe ad ſuam auctoritatem* P. C. p. 635. *At in alterius laborem, altero neſcio, ſic inuolare, demere, addere, ſubſtituere, quis rectum exiſtimauerit? quis æquum & bonum? certe Lutherus ad Joh. Brentium ex Pathmo Coburgenſi: redit ad te, optime Brenti, Amos tuus, quem ad me tam dudum miſeras: quod vero tu pro humilitate ſpiritus tui, totum hunc commentarium meo iudicio ſubiicis, vt mutem, addam, detraham, quæ videantur mihi: abſit a me, vt in hoc te audiam. cum enim aliter profanis odioſum ſit, in alieno labore ingenioſum eſſe: multo magis inter Chriſtianos intolerabile eſt, ſibi magiſterium ſuper eiusdem Spiritus diſcipulos arrogare. &c.*

XXXIV. *Mitto pſalmum* (LXVIII. pergit c. l.) *iſtis feriis* (præcipue Aſcenſionis Domini) *cantatum* in ipſa arce Wartebürg, vt conicere licet ibidem ex p. 362. & præfixo editioni Berolinenſi indice biblico,

vbi

vbi & ſingulis Dominicis Lutherum concionatum fuiſſe in conclavi, præſente præfecto arcis aliisque, non tantum in MS. Iſenaci, ſed & ab Mattheſio *conc.4.p.31.* notatum inuenio; vti hodienum in ædicula arcis Warteburg, concio quædam feſto tempore haberi nonnunquam ſolet; abſque certa tamen lege & non ſine periculo quodam popularium abuſuum.

De Pſalmo 22. 37. 119. notatu digna legas T. 1. ep. p. 333. 348. 363. 309. b. T. 2. p. 18. ſq.

XXXV. Et quis ſufficit digne prædicandis illis vere *pacificæ* Theologiæ promovendæ ſtudiis, quibus in adornanda *Germanis* verſione ſacrarum literarum, *quietem* in ſuo iſto receſſu longe aptiſſimam reputabat? *optat* eum in finem *eſſe unus in Hebræis diſcipulus*, T. 1. ep. p. 340. a præter ea, quæ, paulo ante Pathmum Warteburgenſem, Johanni Lango Erfurtenſi eccleſiaſtæ, & Jodoco Iſenacenſi ſcripſerat: & *pacifice & amice, latere* ſe velle vsque ad paſcha; N. T. vernacula donaturum, addito voto & pio deſiderio: *Utinam oppida ſingula interpretem ſuum haberent, & ſolus hic liber omnium lingua, manu, oculis, auribus, cordibus verſaretur!* p. 295. b. p. 60. b. 328. a. 309. b. T. 2. Ien. L. f. 1. 173. b. 225. b. 256. b. quid, quæſo, ad intimiora *pacis* diuinæ, ex omni voto iſtius Des-Mareſts, dici purius poterat, illo Lutheri, quo primam partem conſcriptæ in ſolitudine Poſtillæ clauſerat? Hinein / hinein / L. Chriſten / und „ laſſet mein und aller Lehrer auslegen nur ein „ Gerüſte ſeyn zum rechten Bau / daß wir das bloſ- „ ſe lautere Gotteswort ſelbſt faſſen / ſchmecken / „ und da bleiben / denn da wohnet GOtt allein „

 in

Digitized by Google

in Zion. quid? quod ex Pathmo etiam *Coburgenſi*, (quam §. 4. appellauimus,) profeſſus eſt, ſe magna *pace cordis* & ad capienda vera ſolatia, interpretari Prophetas minores. T. 9. Alt. f. 1576. 1677. ich habe mich / ibidem legitur/ zu meinen Reichthum/ den ich für meinen Schatz achte/ gekehret/ und meinen lieben Pſalm/ Pſalmum 118 intelligit, für mich genommen/ das ſchöne Confitemini, weil ich hie in der Wüſten ſo müßig ſitze f. 1577. ſq. T. 2. Ep. p. 55. 79. a 107. b. ob dignum hoc Chriſtiano labore opus *verſionis*, quid mirum, quod deſiderium concepit Pathmo prope Iſenacum ipſa *exeundi*, ad communia ſtudia? *magnum & dignum opus eſt*, inquit, *quod nos omnes laboremus; cum ſit publicum, & publica ſaluti donandum. Reſponde* (Amsdorffi) *ſuper hac, quid ſit ſpei. Non opto, vt totus & omnino lateam, cum hoc ſit impoſſibile, ſed vt ſciatur me velle latere, vel neſciatur me velle apparere. arbitror enim hac ratione ſatis fieri timidisque & malis, cum ſenſerint, me latere velle.* T. 2. Ep. p. 456. de quo conſilio ſingularia, ſis, lege in Fr. Lamberti Avenionenſis Tr. 5. *de Prophet.* pag. 189, 193. ſq. 176.*

* *Circa idem tempus noſter ita de verſione vulgata: non quod ideo damnandum cenſeam, aut eccleſiam Dei calumniari velim, quod vſa ſit* tranſlatione hac *tanto tempore.–quando multa ſunt, optime quoque reddita, quorum tamen ſenſum nondum habuit & explicavit eccleſia; Vt ſunt Prophetiæ Chriſti & Apoſtolorum de nouiſſimis temporibus. quis enim in eccleſia intelligit illas? & tamen verba ſunt proprie reddita. quin quis dubi-*

Digitized by Google

dubitet, eccleſiam habere ſenſum proprium huius loci, etiamſi ignoret, eundem hoc loco ſignificari? id quod in multis aliis accidit: quid enim non habeat, quæ ſpiritum Chriſti habet? cui non ſit neceſſarium, omnem locum Spiritus in ſcriptura noſſe. hæc dixerim contra moroſos, qui ſtatim vt aliter, quam receptum eſt, quippiam fuerit inuentum, calumniam eccleſiæ interpretantur. Nos aliorum induſtrias laudamus, ſed & nos in partem agri dominici excolendi, non tantum veſcendi gratia vocatos arbitrari debemus. T. 2. Ien. L. f. 173. 255. (T. 8. Jen. G. f. 135. a.)

XXXVI. Neque alio conſilio inter tot Latina ſcribere toties *Germanice* maluit, niſi vt & teſtatum faceret omnibus, quanto flagraret zelo, *Germanis ſuis natus*, purioris Theologiæ practicæ myſticæque, vniuerſorum atque ſingulorum cordibus imprimendæ: *vellem enim & vos aliquid pro verbo facere*, vox clamantis Lutheri eſt in deſerto, bella cum Latomo deuoluens ad Iuſtum Ionam; *vt ego feriatus, &* vulgo *miſero aliquando ſeruire poſſim* T. 2. Jen. g. f. 411. maximopere dolens, ſi, quæ edebantur vernacula in gratiam *populi*, negligenter, vt fit, atque ſordide excuderentur T. 1. ep. p. 363. ne dicam, quam grauiter, quàm ſolicite Islebio inſtitutionem *puerorum* commiſerit, & Melanchthonem vrgeri voluerit, vt ſe abſente, & ſpe reditus ſui dubiâ, (ita Luthero tum videbatur) ſitienti *plebeculæ* regnum Dei prædicaret in *ipſo* Academico collegio, & ad morem *priſcæ* eccleſiæ; cuius alias, priſcæ nempe conſuetudinis, ſtudioſi videri Romanenſes cupiunt. ibid.

 p. 357.

Digitized by Google

p. 357. ſq. 221, 326. 332. Seek. f. 177. Nehem. VIII, 1-8.

XXXVII. Nos quidem, vt ex vniuerſa, ita & præcipue ex noſtra Pathmi hiſtoria, compertum habemus atque exploratum, tantum abfuiſſe a Luthero, vt ad eius mentem pergeret populus in *ſolis* rebus *externis* humano more acquieſcere, aut ſuper humanis figmentis digladiari, vt falsâ potius indulgentiarum Papalium pace, optimo animo impugnatâ, vera pax cordis vere contriti vindicaretur; & renouaretur *ſolida pietas*. Si liceret conſtitutos limites argumenti tranſcendere, ex primis initiis enarrari & confirmari omnia poſſent, quæ de Lutheri ad *pacificam* Theologiam procliuiore animo docuimus. Natalis Alexander T. 23. H. E. ſentit iniquiſſime, *Lutherum* non ſcripſiſſe ſerio de pietate, ſed *expoſitione decem præceptorum, Teſſeradecade conſolatoria, explanatione orationis dominicæ*, aliisque de pietate ſcriptis (quæ Gallus ille næuo chronologico omnia refert ad annum 1521; etſi teſſeradecadem ex Pathmo ipſe autor commendat) pietatis laudem aucupatum p. 462. Neh. VI, 7. 12. ſq. Joh. VII, 12. 25. Ex. V, 17. Hoſ. VII, 15. Adeo Gallos iſtos hodie non minus pudet ineptiarum, quam olim Italos & Germanos Monachos, & nunc multos in Germania iſtorum ſimiles! *T. 2. Jen. L. f. 412. b. §. hic 413. §. alterum. Seck. l. 1. hiſt. L. f. 149.* (g)

XXXVIII. Videtur autem Maimburgius Gallus duo argumenta ſtatuere in contrarium. vnum, quod ex Pathmo *ſuos confirmare* aggreſſus eſt multis *nouis libellis* ſubinde editis; alterum: quod tot *polemica*

ſcri-

Digitized by Google

ſcripta perrexit emittere. Prius nihil in ſe habet vitii, quando de cauſa bona conſtitutum eſt. 2. Petr. I. 13-15. Act. XIV, 22. XV, 32. 41. XVIII, 23. Eſr. V, tot. 1. Sam. XXII. 13. 15. XXIII, 16. *confirmare* vtique Wittebergenſes ſuos, quotquot inter eos, diuina luce colluſtrati erant, bonum Paſtorem decebat, das arme Häufflein Chriſti zu Wittenberg / nec vnquam heroëm noſtrum puduit tenerioris in Wittebergam ſuam affectûs T. 1. ep. p. 330. b. 356. b. 357. 367. T. 2. NB. p. 15. 36. amicos & alios *epiſtolis* familiaribus (quas non immerito commendat Pappus H. E. p. 1110. quasque theſaurum efficaciſſimarum conſolationum Melch. Adamus p. 140. appellitat) *confirmare* par erat, metuens, ne *abſceſſu ſuo abſceſſerit ſimul communio amicorum*. Col. II, 1. 2. 5. 1. Theſſ. II, 18. absque tamen factioſæ mentis, aut captatæ auræ popularis vlla ſpecie. Luc. XIV, 25. 26. Joh. VI, 15. VII, 33. 35. *T. 1. ep. p. 325. b.* nam & in Pathmo, (vnico vt exemplo conſtet animi eius integritas,) ad Spalatinum, *ibid. p. 365. 329.* qui tantum valebat in aula Friderici, literas exarauit inuſitata libertate; & ex Pathmo redux licentiam populi, ceu reformatione euangelica prorſus indignam, coërcere perrexit. * adeo vt tandem ipſâ ſuâ Wittebergâ, in quam, velut Epheſum quandam, alter hic Johannes ex Pathmo deſiderabundus reuerterat, ad tempus, propter laſciuiam ciuium & Studioſorum *Wittebergenſium*, excederet, & difficulter reuocari eo poſſet. Ezech. III, 27. 21. 8. XII, 4.

* *Joh. Fecht. de H. E. ſec. 16. vbertate & fructu lit. B. & B. Seckendorf. Fridericiana noſtra il-*

luſtris

Digitized by Google

luſtris quondam Cancellarius l. 3. Hiſt. Luth. f. 581. Tomo 7. Jen. G. Luth. quo varia ſunt inſerta ad Pathmi hiſtoriam ſpectantia, præmiſſa eſt B. viri ſeria increpatio : ſo fahre auch hin / du edles zartes Früchtlein wir ſind leicht geſchieden. wir können dich nicht halten : ſo wiltu ungehalten ſeyn. ſo ſingen wir mit den Engeln über Babylon : wir haben lange an Babylon geheilet / aber da iſt kein heilen. darumb laſſen wir ſie fahren / und ziehen davon. Eſ. LII, 11. Ier. LI, 9. 2. Cor. VI, 17. Ioh. VII, 33.-35. 53. VIII, 1. 21. 22.

XXXIX. Illorum etiam noſter meminerat Bohemorum *ſententia*, qui agentes cum ipſo de reducenda *diſciplina euangelica*, teſtabantur, ſe non poſſe rebus noſtratium bene ominari, quamdiu per illorum *ſcholas* & *academias* tantam ſcientiæ, tantillamque conſcientiæ viderent ſuſcipi curam. Nouerat profecto vir Dei, quomodo diſtingui poſſint munia; ſed & id nouerat, quanto periculo *ſapientia* (ſeu *eruditio*) & *religio* ſeu *pietas* vulgo *diſiungantur*, ceu *longe diſcreta*; vt alii hac diſiunctiua ratione, *profeſſores* ſapientiæ eſſe velint, alii *religionis antiſtites*. vbi autem Sapientia cum religione *inſeparabili nexu* cohæret: vtrumque verum eſſe neceſſe eſt, quia & in colendo ſapere debemus, id eſt, ſcire, quid nobis & quomodo ſit colendum; & in ſapiendo colere, id eſt, re & actu, quod ſcierimus implere. agnoſcent pie eruditi verba ipſiſſima Lactantii l. 4. *de vera ſapientia & religione c. 3. l. 1. de falſ. ſap.* §. *1. l. 3.* §. *11.* 12. ea certe amplectentur ambabus ma-

nibus

nibus, quotquot boni ſunt ſcholarum magiſtri, quotquot bene volunt Academiis, quotquot ſunt S. S. Theologiæ profeſſores idonei, quotquot Lutheri * ſucceſſores vere ſunt; amplectentur, vt bona ſtudia non reiiciant. nam ſatis caute ſcripſit ex eremo ſua, vtrumque tractatori Scripturarum neceſſarium eſſe, magis tamen ſpiritum, quam linguam. T. 2. Jen. L. f. 225. ſapientia eſt, cuius principium timor Dei, quæ intellectum dat paruulis, & ſapientiam ſapientum reprobat. *ibid.* & f. 256. cum agnouiſſet ingenuus vir varios næuos commentarii ſui in pſalmos, *verum non nihil in illis eſt*, addit absque faſtu, *ſpiritualis eruditionis & reuelationis, de qua, qui pius eſt, gratias agat Domino Jeſu Chriſto, qui eſt lux noſtra, benedictus, Amen!* ſi licet, addimus, quæ eodem tomo de pſalmo 15. pronunciat, eſſe illum unum de *facillimis* ſimul tamen *inintelligibilem iis, qui gratia notitia non ſunt præmuniti, qui peccati ſcientia inanes, liberum arbitrium illic ſollummodo conſiderant.* f. 157. b. 127. qui non modo exemplo & autoritate, ſed & verbo nocent ſubiectis, tum aliud nec docent, *nec doceri ſinunt*, niſi quod quæſtum vel auget vel *ſervat*, f. 154. Matth. XXIII. 13. Luc. XI, 52.

Effecerunt haud dubie talia Lutheri monita, vt a ſophiſtis ſuſpectus redderetur contemtus non philoſophiæ tantum, ſed & *interpretum, commentariorum*, Syſtematum, compendiorum &c. conſtat id ex Sleidano, l. 3. aliisque probatis hiſtoriographis. verumenim vero graviſſima fit iniuria Luthero iisque, qui ſequuntur eum veræ eruditionis ſtudio, præfixa eſt *commentario* Brentii in Prophetam Amos Lutheri epiſtola,

piſtola, quam emiſit ex eremo Coburgenſi, vnde conſtat de Lutheri mente circa hoc conſtantiſſima. *non Brentium, ſed Spiritum prædico, qui in te ſuauior, placidior & quietior eſt.- non quod illuſtribus patribus detrahere velim, ſed quod putem admonitos omnes oportere, vt patrum ſcripta cum iudicio legamus, ſecundum illam regulam Spiritus S. omnia probate.- verum hoc donum Dei præ cæteris, in te ſingulariter amo & veneror, quod* JUSTITIAM FIDEI *tam fideliter & ſincere vrges in omnibus ſcriptis tuis &c.* quoties quæſo Lutherus laudauit *commentarios* Melanchthonis, quod eos non tam commentarios vulgares exiſtimari vult, quam *indices legendæ Scripturæ & cognoſcendi Chriſti.* ſimili ratione ac fide parens eruditionis in tota Germania Melanchthon *præf. in T. 2. Witt.* notanter iudicat, quod Lutheri verſio, V. & N. T. tam ſit perſpicua, vt vice *commentarii* eſſe poſſit ipſa *germanica* lectio. Noluiſſe enim Lutherum detinere Chriſtianos in ſuis ſcriptis, ſed ad *fontes* deducere omnium mentes. *Ipſam vocem Dei* audire nos voluiſſe, hac voluiſſe in multis accendi *veram fidem & invocationem, vt Deus vere celebraretur, & multi fierent heredes vitæ æternæ.* Conf. F. C. p. 635. 668. 688. 698. *conf.* Churf. *Auguſti* von Sachſen Kirchen-Ordnung *Tit.* von *Examine f. 83. 193. 198. ſq. 200. ſq. 382. ſq. D. Breithaupt orat. inaug. de Ref. Ev. natura & indole.*

* *Luth. 3. Dominica Aduentus edit. Luneb. agit de quæſtione, ab abſque* ſcandalo *accepto* poſſint *corrigi vitia academiarum eiusmodi?*

XXXX. Ad ſcripta *polemica* quod attinet ex Pathmo emiſſa, neque ea adverſus eius temporis rationem

&

Digitized by Google

& bonum eccleſiæ pugnare iudicanda ſunt. Invitus enim & nonniſi coactus, ac torrente rerum iſtius ævi abreptus, denuo prodiit in medium pro bono eccleſiæ, cui ſeſe ſubducere, ipſe quantumuis ſubductus nefas ducebat. quo pertinet illud Lutheri in Latomum; *ſuſpicor, hominem credidiſſe, Lutherum aut e medio ſublatum, aut perpetuo ſilentio damnatum eſſe, quo rurſum publicum occuparent tyrannide ſophiſtica.* T. 2. Witt. Lat. f. 213.

Librum *de confeſſione ſecreta* Maimburgius primo loco exagitat; cuius ex libri proœmio decerpſiſſe ſufficiat id vnicum: ich habe offt Friede angeboten geſchrien und gelauffen/ zu Antwort mich erboten/ habe diſputirt/ bin nu auf zweyen Reichs-Tagen erſchienen/ es hat mich nichts geholffen/ da hat kein Recht/ ſondern eitel Frevel und Gewalt mir begegnet/ nicht mehr/ dann wiederruffen/ aufgeleget/ und alles Unglück gedrawet: ich kan nicht mehr thun/ ich bin nu von dem Plan geſchupfft. coll. T. 1. Jen. G. p. 501. T. 1. ep. p. 230. 27. 339. T. 2. Jen. L. f. 257. ſq.

Librum *aduerſus miſſas priuatas* compoſitum, fratribus ſuis Auguſtinianis Wittebergenſibus, quos illas abrogaſſe audierat, *ad firmandos & conſolandos infirmos, in iſto*, velut *angulo terrarum* dedicauit T. 2. Jen. L. f. 441-467. confirmauitque in litteris ad Spalatinum *ob præſentem perditionem animarum*, in arce etiam, in eiusmodi priuatis miſſis a ſe obſervatam T. 1. ep. p. 345. 362. 365. *Publicam* euchariſtian ibidem ſic vult celebrari, vt conveniant eſurientes & ſitientes, id eſt, pie & afflictæ conſcientiæ, quæ a peccatis optent

Digitized by Google

ptent ſanari, *excluſis iis, qui palam ſecundum carnem* ambulant. T. 2. Jen. L. f. 459. b.

Eadem ratione *epiſcopis & diaconis* eccleſiæ Wittebergenſis, de *voto* Religionum *diſputantibus*, Martinus Lutherus *ſervus ex Pathmo*, cum adgratulatione miſit theſes 139. queis, præter myſtica nonnulla n. 20. 21. & alia ex intimiore theologiæ theſauro petita, de *voto* Bernhardi & Franciſci n. 78. 79. 80. 123. ex hiſtoria eccleſiaſtica talia attigit, quæ modeſtiam iudicii ſatis nobis approbant.*

* *Habentur hæ theſes in peculiari libello Witteberge 1558. notabili cum Lutheri præfatione excuſo T. 1. Witt. L. 374. & T. 1. Jen. L. f. 490 niſi quod in Jenenſi tomo L. verba* (ex Pathmo) *ſunt omiſſa, & quod ob minus apte tempori reſpondentem inſertionem, hactenus tam frequens earum mentio, quod ſciam, facta non eſt in hac hiſtoria. confer, ſi placet in libello Fratris mei* von der Erlöſung/ *ſubiunctas* notas hiſtoricas *p. 9. in quibus ipſis p. 10.-15. 27.-35 ſequuntur complura teſtimonia Lutheri de* ſalute, (*quam iam iam habent renati, ſalua illa* futura ſalute, *quam expectant*) *& teſtimonia quidem ex Pathmo talia, quorum vſus hodienum eſt valde neceſſarius.*

XXXXI. Mire facit huc præfatio ſcripti locupletioris *de votis monaſticis* ad Joh. Lutherum Patrem, quo hic intelligat, *quantis ſignis & prodigiis* (quicquid illudat Boſſuetus) Chriſtus expertum ipſum *abſoluerit a laqueo, vt multis aliis filiis ſuis conſulere* per eum *incipiat*. in epilogo *per Chriſtum oro*, inquit,

quit; *omnes*, qui deſertâ monaſtice libertati ſeſe red-dere voluerint, *vt ante omnia ſuam conſcientiam probent, ne forte hoc tentent nouitate rei allecti; aut ſolo hominum contemptu vel odio* T. 2. Jen. lat. f. 478. ſq. 514. b. quid, quæſo, ſanctius & circumſpectius dici potuit? præſertim ſi conferas, quæ ſcripſit hanc in rem ex Pathmo T. 1. ep. 35. b. 363. b. 365. b. neque tamen euitare potuit, quin Natalis Alexander, ea ipſa, quæ Lutherus eo ſcripto de Bernhardo repetiit, & circa Hieronymum ex H. E. recte monuit, contra Lutherum converteret T. 23. H. E. p. 465. 432. ſi placet, lege memorabilem hiſtoriam de Joh. Hilten Iſenaci ante Lutherum ea propter crudelius habito, in apol. A. C. p. 276. (p. 278. 300. ſq. laudatur ibidem liber de votis monaſticis) T. 7. Jen. G. 254.

Adeo tantum non tædet reliquis ſcriptis *polemicis* percenſendis, aduerſus Ambroſium Catharinum, qui poſtea concilio Tridentino interfuit, aduerſus Pariſienſes, & alios inſiſtere vlterius. de quibus aduerſariis noſter cenſet, non ſic excæcaturum eos Chriſtum, niſi, permittendo cæcitatem malorum, conſulere rebus bonorum ſtatuiſſet. T. 1. ep. p. 341. 2. Tim. III, 9. 13. Oremus igitur; vt Deus & Pater D. N. J. C. aliquando nos reuiſat, ſecundum omnia mirabilia ſua, & oſtendat illum, quem promiſit, diem aduentus gloriæ Filii ſui. T. 2. Ien. L. f. 378. 246. Der Oſter-Tag wird uns auch kommen / ſo wollen wir dann ſingen / Alleluja. es muß eine kleine Zeit geſchwigen und gelitten ſeyn / ein wenig / ſo ſehet ihr mich nicht / und aber ein wenig / ſo ſehet

Digitized by Google

ihr mich/ ſprach Chriſtus. ich hoff/ es ſol itzt auch alſo gehen. doch Gottes Wille/ als der allerbeſte/ geſchehe. T. I. Jen. G. f. 454. b. (Jer. XXXVI, 26. 28. ſq. Neh. VI, 11. Judith. V, 24. 27. XIV, 12)

XXXXII. Neque profecto nihil eſt, quod cum S. Johanne *Apoc. I, 9. coll. XVII, 3. XII, 6.* in eremo, mulierem illam Apocalypticam in otio illo negotioſo propius in ſpiritu contuitus, toties lamentabatur: *ego hic ſedens tota die* faciem eccleſiæ *ante me conſtituo, & illud video Pſ. 88. nunquid vane conſtituiſti omnes filios hominum? Deus, quam horrendum iræ Dei ſpectrum eſt, abominabile illud Romani Antichriſti regnum! quare tu, verbi miniſter,* Melanchthonem Profeſſorem Academicum alloquitur, *interim inſta, & munito muros & turres Hieruſalem, donec & te inuadant. vocationem tuam & dona agnoſcis.* p. 324. 330. Denique cum Latomus aliique toties obiicerent, eum ab initio ſcripta ſua Papæ & *Vniuerſitatibus ſubmiſiſſe*; qualibus præiudiciis hodienum innituntur Maimburgius, Natalis Alexander T. 23. H. E. p. 466. & Boſſuet. T. I. *des variations* p. 24. 25: non poterat non, liberaturus ſe à ſuſpicione doli & malitiæ, (Matth. II, 9. 12. 16.) profiteri tunc aperte ac demonſtrare, quam ſaniora longe iudicia ab iis *ſerio tum præſumpſerat.* Hiob. XXXII, 7. ſq. T. 2. Jen. L. f. 257. 244. Eſ. XXXII, 3. ſq. XXIX, 18. ſq. Luc. XXIV, 20. Act. XXVI, 9. 10. ſq. IV, 6. 10. 1. Cor. I, 20. 12. IV, 3. Sir. IV, 30. XXXIV, 14. Pſ. CXVI, 11. neque in cauſa *ouium Chriſti* ipſe ſolus, cum ſpe ſua de *vniuerſitatibus* concepta excidiſſet, & aduerſariis ſuis quid-

Digitized by Google

tuis liceret *ſcribere*, intra *ſilentii* limites coërceri volebat. T. I. Ep. pag. 364. conf. §. 23. Amos V, 13. Act. IV, 9. 10. 19. ſq. Hiob. XIII, 19. 5. coll. XV, 10. ſq. Joh. XVIII, 20. 22, 23. *

* *Papa Paulus III agnouit 1535, Cardinalem Caietanum acquieſcere debuiſſe, cum promitteret Lutherus ſilentium, ſi modo ſilere* pariter *ſerio juberentur* indulgentiarum *apoſtoli, Patroni diſſolutarum* abſolutionum.

XLIII. Dubitamus quoque, an futurum ſit operæ pretium, animaduertere in *ſplendidas* illas *lautitias*, quibus paſtum Lutherum in Pathmo, partim Pallauicinus c. l. f. 44. partim Maimburgius quodammodo dolent. Matth. XI, 19. Act. XVII, 7. Pſ. XXXI, 9. 1. Sam. XX, 36. XXII, 13. forſan jucundum eſt & vtile, hac occaſione pertexere hiſtoriam Lutheri, qui adoleſcens pauperculus A. 1498. in Iſenacenſem Scholam miſſus, in Cottarum familia hodienum ſuperſtite, hoſpitium adeptus, factus poſtea tantus veritatis confeſſor, tantus præco pœnitentiæ & euangelii, per Iſenacum *languido* corpore tendens Wormatiam, proſcriptusque, prope Iſenacum receptus & abſconditus eſt, ſub nomine Georgii nobilis, Juncker George / adſtricta aluo longum per tempus laborans, quæ valetudo, vt ſolet, varie mentem eius affecit, *forte & ideo moleſtari ſe a Domino* ominantis, *vt ex iſta eremo in publicum raperetur* T. I. ep. p. 335. *gratias ſcribit, Chriſto, qui me ſine reliquiis S. crucis non derelinquit!* p. 356. b. excurrit nonnunquam reficiendi corporis gratiâ, & quid in venationes heroum ſerio luſerit, legi ibi-

Digitized by Google

dem poteſt, ſi vacat. p. 350. b. ſq. acceptis a Taubenheimio centum, & a Scharto quinquaginta aureis, *metuere incipit, ne Deus hic premiet, nolle ſe ſic ſatiari.* p. 333. ex tali *animo* frugali & *ſuperfluum* victum auerſante, interpretanda ex æquo eſt querela Lutheri de ſe *crapuloſo* in ſolitudine; vt is ipſe, verborum ſuorum interpres, indignabundam eam hyperbolen, apte non minus quam candide παραφράζει: *tractat me vir loci huius vltra meritum longe. ego hic otioſiſſimus & negotioſiſſimus ſum* p. 334. *modo tandem non ſim oneroſus & moleſtus his hominibus*, p. 350. b. Philipp. IV. 11. 12. ſq. quæ de variis *tentationibus* paſſim conqueritur in *ſolitudine*, ſummatim ipſe bono exemplo complectitur vir, ſui ipſius omnium acerrimus cenſor. *adhuc ſum ſtertens & otioſus ad orandum & opponendum, vt mihi vehementer diſpliceam & oneroſus ſim. forte quod ſolus ſim, & vos me non iuuetis. oremus, quæſo, & vigilemus, ne intentationem intremus p. 356.*

XLIV. Qua vero ratione, ex chronologia hiſtorica Pathmi, & ex deſcriptione *tentationum*, eo tempore vſitata, ſolide confutari poſſit inepta illa, a Natali Alexandro c. l. p. 433. 490. & hoc ipſo anno ab illo Eiſenhuet in ſua *defenſione* J. Tezelii p. 11. repetita milliesque ab aliis repetita fabula, de Lutheri magiſtro Diabolo, poſt Höpfnerum in Saxon. euangel. p. 57. ampliſſime oſtendit V. L. à Seckendorf. *in diſſ. hiſt. de Miſſa* contra Cordemoium Abbatem Gallum a B. Sagittario edita p. 37. 39. 46. ſq. 55. 81. cuius refutationis compendium ipſe illuſtris autor νῦν ἐν ἁγίοις exhibet in Hiſt. Luth. l. 1. ſ.

Digitized by Google

168. Recenſetur ibidem *verus* ſenſus Lutheri doctrinæ de libero arbitrio naturali, cuius fiduciam ex *ethica* gentilium transferri in *theologiam* doluit, de *ἀδυναμία* ſeruandæ legis naturali, de *natura* & *gratia*, aliisque capitibus, *peruerſæ expoſitioni* obnoxiis. contra Latomi cauillationes, Catharini, Pariſienſium, Maimburgii aliorumque a f. 161. vsque 191. de capitibus doctrinæ, inquam, *peruerſæ* interpretationi obnoxiis. quid enim aliud noſtra doctrina eſſe poteſt in oculis *impiorum*, quam mera *contradictoria*, cum exigat *&* damnet *opera*, *ſimul* tollat *&* ſtatuat *ritus*, *ſimul* magiſtratum colat *&* arguat, ſimiliter *peccatum* aſſerat & neget? Lutherus ex Pathmo Coburgenſi quærit eruditisſime. 2. Petr. III, 16. Prov. XXVI, 9. Ezech. XX, 49. Zephan. III, 4. 5. 1. Joh. II, 21. Joh. XII, 34. Rom. III. 8. VI, 1. 15. VII, 7. 13. IX, tot. 1. Tim. I, 8.

XLV. Sequitur tandem *egreſſus* Lutheri *ex Pathmo* Iſennacenſi, & reditus in Wittebergam ſuam, (non tam ille ad tempus quoddam perbreue, cum aliquando, paucis conſciis, ex arce Warteburg Wittebergam excurrit, pro tenerrimo in oues affectu ſuo, hoſpitio Amsdorfii vſus, clam Friderico Electore, dies aliquot cum amicis iucunde tranſegit, donec *reuerteretur ad eremum ſuam*, vti conſtat ex T. I. ep. p. 367. ſq. Mattheſio c. l. p. 32. & B. Seck. p. 183. b.) quam *publicus* ille *reditus*, cum latuiſſet a quartâ Maii A. MDXXI, ad quintam fere diem Martii vsque MDXXII, & Wittebergæ *permanere* rurſum induxiſſet animum. quo de reditu ſi ſanum moderatumque ferri velit iudicium, affectus vere *pa-*

ſtorales & interiora Lutheri conſilia animaduertere oportet. 2. Cor. V, 13. Gal. IV, 12. Judæ v. 15. Obſtare videbatur Friderici Electoris autoritas, *Joſie*, vt vocat, eius temporis, *bonis omnibus ſuſpiciendi*, quem *inuoluere* cauſæ parcebat. T. 1. ep. p.228. a. 271. a. T. 2. epiſt. 10. b. T. 2. Ien. L. f. 467. b. poſtulabat ergo ſubiectio & pietas, vt ſuum ex Pathmo reditum excuſaret principi optimo. quod & factum T. 2. Ien. L. f. 515. ſq. 248. & T. 2. ep. p. 46. ſq. legitur, idque, vt Chytræus quidem ſuo tempore loqui non verebatur, verbis diuiniorem cordis ἐνθουσιασμὸν ſpirantibus L. 10. Saxon.

Pallauicinus c. l. f. 61. n. 17. refert *durius* illum ab Electore accepiſſe reſponſum, ob imminentia vtrique pericula; at Lutherum *ſatis expertum*, *ſe iam* Saxonis animo *potitum*, reſcripſiſſe, *Dei negotia* rationibus *humanis* expendenda non eſſe &c. hæc profecto ſtrictura * plane indigna eſt Chriſtiano, nedum theologo. Equidem parrheſia ſingulari & ſtupenda in tantis anguſtiis vſus eſt; cuius momenta aſſequi non eſt omnium. Sed vereor, ne cum rationibus *humanis*, *Dei* negotia contemptius ita, & cum irriſione aliqua collidantur. quod non poteſt non maximo damno & ſcandalo eſſe mortalibus, *humanis* diuina reuera plusquam prompte poſtponentibus. tantum enim non eſt malum, factum quoddam ipſum *ſingulare* non capere, quam id tali ratione illuſoriâ perſtringere. quaſi vero paruo conſtitiſſet Lutherum erumpere in eiusmodi verba, ad ſuum Principem: *quid faciam? vrgent me cauſa ineuitabiles. DEVS cogit & vocat.* neque tamen Pallaui-

cinus

Digitized by Google

cinus omni ſua ratione humanâ, meliorem, quam ferebat humanus eius affectus & carnalis indoles, epiſtolæ Lutheri epitomatorem in hiſtoria ſua agere potuit. at legatur *tota* Lutheri ad Electorem epiſtola, vt exhibet eam integro ordine B. Seck. l. c. f. 195. 216. (K. l.); & quidem collatis *primis* Lutheri de reditu ſuo litteris: confido, aliam longe epiſtolæ analyſin emerſuram. Sane Fridericus ipſe, quem cauſa proprie attinebat, *Dei* negotium ab *humanis* rationibus, & inuſitata ad ſtuporem vsque Lutheri libertate, cum tentaſſet omnia, quæ tentari in tempore ad auertendum reditum neceſſarium exiſtimabat, ſecernere non dubitabat, Eſ. XXXVI, 7. 15. 2. Chron. XXV, 9. ſq. Sirac. XLIX, 4. animo autem ſuo *potiri* Lutherum tanto cum periculo non ſiuiſſet Princeps tam ſapiens, nulli ſuperſtitioſe obnoxius, niſi *Deum* timuiſſet. quo Deo ſolo Lutherum confidere, non ſeculari brachio, patefieri oportebat, ne tribueretur hominibus, quod erat ſupremi Numinis.

* *Digne Lutherus de ſuſpicacibus ſuis aduerſariis, in explicatione Pſ. 118. cuius ſupra p. 39. mentionem fecimus:* ſie dachten nicht anders / unſere Lehre ſtünde auf Hertzog Friederichen / und unſer Troſt und Hülffe wäre Menſchen Troſt und Fürſten-Hülffe. ſolches nahmen ſie bey ihnen ſelbſt abe. Denn gleich wie ſie / verzweifelt und abtrünnig von GOtt / allen Troſt und Hülffe auf Fürſten und Herren ſetzen: ſo meinten ſie / wir thäten auch alſo. - da Hertzog Friederich von Sachſen lebete / der theure wer-

 the

the Fürſt; des man nicht vergeſſen ſoll: Da tröſteten ſich beide geiſtl. und weltliche Tyrannen / auf ſeinen Tod / und ſprachen: es iſt umb zwey Augen zu thun; wenn dieſelbige zu ſind / ſo lieget des Luthers Ketzerey auch. *Eſr. IV, 5. 6. ſq. VIII. 21, 22. IX, 9. Pſ. XLI, 6. CXLVI, 4. Eſth. IV, 13. Dan. VI, 23. 2. Sam. XXII, 19. 20. 37. Eſ. XXXVI, 15. 21. XXXVII, 10. 14. Ebr. XI, 23. ſq. conf. Jurieu l' hiſt. C. T. p. 226.*

XLVI. Sciunt & ipſi Romanenſes, quid Lutherus non in *ſolius Friderici* aurem, ſed coram ipſo Cæſare, & ordinibus imperii Germanici Wormatiæ 1521. circa d. 18. Apr. modeſte admonuerit ex ſacris literis; maximum Imperiis periculum tunc incubuiſſe, cum *humanis tantum conſiliis* atque prudentia ciuili reſp. fuit adminiſtrata. ſe quidem gaudere, dum videat doctrinam multis offenſionibus reddi obnoxiam, *propterea* quod proprium hoc ſit euangelii, *Chriſtus* vt, vbicumque doceatur, grauiſſimas contentiones excitet, etiam inter eos, qui naturæ vinculis, & ſanguine ſunt coniunctiſſimi. Matth. X, 34. Luc. XII, 51. ſed dandam eſſe operam, ne Cæſaris *imperium* nuper ſuſceptum & initum *fiat inauſpicatum & infelix*.

XLVII. Maximopere præterea contendunt, vna cum Pallauicino (f. 62.) Boſuetus, (T. *1. Var.* p. 39. 56. 57.) Natalis Alexander (*T. 23. H. E.* p. 466. 493.) Maimburgius, ſimilesque; pro autoritate ſua *arroganter* exæſtuaſſe Lutherum, quod Wittebergæ *ſe abſente* Carolſtadius aggreſſus quid fuerit; veri-

veritum hoc pacto *nomini* ſuo aliquid *derogatum iri*. Sed conſtat, vel ex Pathmi hiſtoria intra quam nos continemus, quid ex æquo & bono cenſeri poſſit. laudauerat Lutherus ex eremo Auguſtinianos quod *ſe abſente & inſcio* miſſas priuatas abrogaſſent. gaudeo Wittebergam creſcere *hoc maxime nomine*, quod „ *me abſente* creſcit, vt videat impius & fremat & de- „ ſiderium eius pereat, Chriſtus autem perficiat, quæ „ incepit. vnum non credo tibi, (Melanchthon) nem- „ pe quod ſcribis, vos errare *ſine paſtore*. hoc enim „ eſſet omnium triſtiſſimum & acerbiſſimum auditu, „ donec enim tu, Amsdorfius & alii, adeſtis, *ſine* „ *paſtore* non eſtis. noli ſic loqui, ne Deus iraſcatur, „ quod *me* extollis nimis. ego ſic gaudeo de veſtra abundantia, vt mitiſſime feram *abſentiam mei*. Coloſſ. II, 5. 1. Cor. XV, 11. III, 22. talia plura e Pathmo ſcripſit T. 1. ep. p. 331. 335. 338. 340. 356. quibus negare nolumus Lutherum hominem errare *potuiſſe*, qui ipſe tam ingenue alia in cauſa *partim tentatus, partim indignatus*, *ſcripſiſſe ſe* excuſat T. I. ep. p. 365. 1. Sam. XXVI, 19. 20. neque dicimus, omnia in Luthero imitanda eſſe. eiusmodi autem arrogantiam, viro eique tam bene merito, quis bonus tribuat, ſine certiſſimis indiciis? viro, inquam, de quo notum eſt, quo ſenſu ægre tulerit, *Chriſtianos* velle vocitare ſemet ipſos *Lutheranos*, a ſe & ſuo nomine. Viro, cui nunquam venit in animum, erigere vllibi *cathedram Lutheri* infallibilem aut ſupereminentem; ſicuti Romanenſes *Cathedrâ Petri* ſuperbiunt. nam non leue quid foret, ſed ſumma malitia ſpiritualis, vicina tandem peccato in Spi-

Digitized by Google

ritum S. ſiquis omnibus iis obſiſtat præfracte, quæ *ipſum autorem* non habuerint, & ideo rem perſequatur vnice, quod absque ipſius geri videatur auſpiciis. (Sir. XX, 24.) hiſce compares, B. L, non tantum, quæ de ſummo dolore ex *inteſtina* Wittebergæ ſuæ discordia; quæ de precibus & imploratione Wittebergenſium, vt rediret, quæ & de aliis ad Fridericum, aut ad familiares, de Carolſtadio creberrime * iam ante reditum, aperuit; ſed & ea quæ dixit in ſeptem homiliis, a dominica *Inuocauit* vsque per omnes Septimanæ eius dies habitis, ex Pathmo redux: verbi gratia: ich bin ja ſo fern nicht von euch geweſen / ihr hättet mich je mit Schrifften könt erreichen / ich meyne euch hertzlich / als ich meine Seele meyne. ich darf wohl und frey ſagen / daß mir meiner Feinde keiner ſo viel leides gethan / als eben ihr meine Freunde / bey denen ich doch einen Rückhalt und Troſt (ſo viel Menſchen zuſtändig) ſolte haben. doch wirds GOTT noch alles zum beſten ſchicken / wo ihr nur folgen wollet. T. 1. Isleb. f. 83-97. Fiat tandem hæc ipſa gratia nobis omnibus, noſtro hoc tempore turbulentiſſimo, a DEO PATRE omnis miſericordiæ, per FILIVM mediatorem, in SPIRITV. S. vnico conſolatore noſtro! Amen!

* *Videtur Lutherus ad Carolſtadii res reſpicere, quando ad Pſalmum 22, cuius expoſitionem compleuit circiter menſem Iulium in ſua Pathmo, ex improviſo fere adnotauit: „ego video „quosdam ſatis moroſos, qui, vt quæque ar-*

duis-

Digitized by Google

„*duiſſima elegerint vel audierint, ita ſtatim*
„*ea ſola paſſim coram omnibus iactant, tan-*
„*tum vt noua & mira afferre videantur. nul-*
„*lo prorſus habito neque rerum neque audito-*
„*rum, neque locorum delectu & reſpectu. quo-*
„*rum intempeſtiua ſapientia, dum non ſapit*
„*ad ſobrietatem, plurimos ſine cauſa offendit,*
„*& verbo ac miniſterio noſtro non parum vi-*
„*tuperii parit. qui ſi in menſura donationis*
„*ſua ſeruirent Chriſto, haberent abunde, quod*
„*vtiliter docerent & multiformem Dei gra-*
„*tiam, ſicut boni diſpenſatores, honorarent.*
„*fecerunt ii ſane, vt inceperim timere & ta-*
„*dere, in iis verſari, quæ communem captum*
„*excedunt præſertim quæ ſcitu neceſſaria adeo*
„*non ſunt vulgo. ſcimus quidem theologiam*
„*eſſe omnibus fidelibus communem debere. ſed*
„*rurſus ſcimus, alios lactis eſſe participes tan-*
„*tum, alios capaces ſolidi cibi, & vnamque-*
„*andemque veritatem capi diuerſis modis, quos*
„*omnes attemperari omnium capacitati poſſi-*
„*bile non eſt, cum interim tamen ipſa veri-*
„*tate non fraudentur. Paulus etiam infirmos,*
„*ceremoniarum ſcrupulis vexatos, non vult*
„*robuſta fidei exemplis & doctrinis offendi.*
„*ſed quid moror? longum iter per præcepta,*
„*compendium habet Charitas, quæ facile nos*
„*omnia in omnibus erudiret. habentur hæc*
T. 2. Lat. Ien. f. 1. 227. 250. queis recte vti
ſi cupias, non abuti, vt ſæpius fit: neceſſe
eſt,

eſt, ad nucleum usque penetres ſententia. nota igitur in genere, quod ad recte interpretanda quorumcunque Scripta id præcipue requiritur, ut cognita ſit autorum perpetua ſententia, totusque rei ductus, & integra ſeries, cui poſtea congruat applicatio.



INDEX I.

Digitized by Google

INDEX I.

Locorum S. S. quæ partim explicantur & inluſtrantur, partim vindicantur.

pag.

Gen. XIV, 8. *Direxerunt aciem contra eos in valle agrorum* 737

XIV, 10. *Multi putei bituminis* 741

XIX, 24. *Pluere fecit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur &c.* 759

XIX, 25. *Et ſubuertit ciuitates has &c.* 765

XLIX, 10. *Non ſceptrum auferetur de Iuda* 295

2. Reg. XXIV, 6. *Dormiuit Ioiakim cum patribus ſuis* 185

XVII, 16. *In vrbibus Mediæ* 66

2. Paral. XXXIII, 11. *Regis Aſſyriorum* 182

XXXVI 6. *Vinctum catenis duxit in Babylonem &c* 185

Pſ. XL, 8. *Ecce venio, in volumine &c.* 298

XLVIII, 7. *Naues Tharſis* 150

Ier. XXII, 19. *Sepultura aſini ſepelietur* 185

XXV, 1. *In anno quarto Ioiakimi* 186

Dan. I, 1. *Anno tertio regni Ioiakim* 186

Mich. I, 6. *Fundamenta eius* 113

Malach. IV, 5. *Ego mitto vobis Eliam prophetam* 379

Matth. II, 22. *quod rex ſit* 214

III, 4. *Eſca eius erant locuſtæ* 171

XIV, 25. *Quarta vigilia noctis* 394

XXI, 5. *Venit tibi manſuetus* 293

Marc. IX, 11. *quia Heliam oporteat venire primum* 379

Luc. II, 2. *a præſide Syriæ Cyrenio* 52

Ioann. IV, 5. *In ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar* 111

Act. Apoſt.

Digitized by Google

pag.

Act. Apoſt. II, 9. *Habitantes in Ponto & Aſia* 415

XVI, 6. *Verbum prædicare in Aſia* 415

12. *Inde venimus in Philippos.* 711

37. *Homines romanos miſerunt in carcerem.* 711. 728.

XVII, 1. *Quum perambulaſſent Apolloniam* 162

XVIII, 12. *Gallione a Proconſule Achaiæ* 169

XIX, 19. *Nimium curioſa* 441

XXII, 25. *Si hominem Romanum licet vobis flagellare?* 711

XXIII, 8. *Non eſſe reſurrectionem* 206

Rom. XIII, 12. *Nox præceſſit, dies autem appropinquauit.* 407

Philipp. III, 20. *Noſtra ciuitas in cælis eſt* 731

Tit. Subſcript. *Scripta ex Nicopoli Macedoniæ* 163

1. Petr. I, 1. *Aduenæ diſperſionis in Aſia & Bithynia* 416

INDEX II.

RERVM.

A.

Pag.

ABlutiones gentilium. 377

Aborigines. 458. 460.

Aceſo Filia Aeſculapii. 247.

Adriani Chriſtianiſmus. 311.

templa ſine ſimulacris fieri iubet ibid.

Adriaticum mare. 168.

Aegle Filia Aeſculapii. 217.

Aegyptiorum bibliothecæ. 273.

Aenon ſedes Ioannis 380.

eius ſitus 382.

Aeſculapius Apollinis Filius 235.

eius nomen vnde 236.

an mor-

Pag.
Aeſcul. an mortuos reſuſcitauerit, 236.
Fulminatus 236.
Ophiuchus 237.
eius templa 237. 242.
vbi cultus 238.
barbatus. 238.
σωτὴρ 237.
Draconis forma cultus 239. 242.
eius liberi 245.
præceptor 244.
patria 242.
Collegium 266.
e matris rogo ſeruatus 244.
ei ſupplicatio decreta 242.
gallina immolata 243.
Aeſculapii plures 241.
ſumma eorum hiſtor. 241.
Aetas litterarum inter Punica bella & Ciceronem num fuerit ſemibarba 350.
Agrippa maior 216.
Agrippa minor. 224.
Alexander Seuerus Chriſtum magni fecit 321
non fuit Chriſtianus ibid.
Alexandria medicorum ſchola 261.
Alexandrinæ bibliothecæ auctor 274.
Ambrones a Romanis vincuntur 512.
Antiochia 154.
Antipas num viui Philippi fratris vxorem duxerit 385.
Antipatris inter Hieroſolyma & Cæſaream 166.
Antipater 45.
Antonii M. animus in Chriſtianos poſt pluuiam per Chriſtianor. preces excitatam 317.
Antonius Pius 313.
Apollinis nomen vnde 232.
doctor medicorum 233.

Digitized by Google

Pag.
Apollo ἀκέστωρ 233
eius templum. 234
Apollinis Oraculum de Chriſto Auguſto datum 301.
Ara primigeniti Dei 302.
Aratus
eius interpretes 676.
patria 673.
præceptor 674
Scripta 675.
Archagathus primus medic. Romæ 152.
Archelaus 209
ethnarcha. 213.
imperium eius
quo anno ceſſauerit 214
quomodo 216.
Arioniſtus rex Germanorum 521.
eius nomen 522.
regia ſedes 523.
cur traiecto Rheno in Galliam venerit 527.
num amicus P. R. 531.
confirmationem regni a P. R. accipit 531
cladem accipit a Iulio Cæſare 535.
mors illius. 541.
Ariſtobuli captiuitas 41.
Armenii Palmyrenis ſocii 33.
Aſia, Attalorum regnum & roman. prouinc. 415. 416.
Aſia propria. 417.
Aſinius Pollio aliis inuidus 477.
Aſſyriorum imperii diuturnitas 59. 61.
magnitudo 64.
ἀστυνόμος quid 560.
Athenagoræ apologia 314.
Athenæ litterarum ſedes 551.
Auguſtus bibliothecas conſtituit 358.
ſub eo litterarum ſtatus 360.
Auienus interpres Arati 677.

B. Ba-

Digitized by Google

B.

	Pag.
Babylonis aetas	178.
origo	179.
ſitus	ibid.
regimen	180.
poena	190.
Babylonica captiuitas	
prima	182.
ſecunda	185.
tertia	187.
quarta	188.
Baptiſmi antiquitas	372.
Βαπτίζεσθαι verbi vſus	377.
apud profanos ſignificatio.	378.
Baptiſmi Conſtantini dilatio	334.
cur facta ſit	ibid.
Baptiſterium Romanorum quid	377.
Bareas Soranus a Nerone interficitur	612.
Bellum I. Caeſaris aduerſus Ariouiſtum	521.
aduerſ. Vſipetes & Trencheros	546.
Cimbricum	497. 501.
Marſicum	75.
Belus quis	56.
Bethabara ſedes Ioannis	900.
Bibliothecae Aegyptior.	273
Alexandrinae auctor	274.
Pergamenae	444.
Romanorum	557.
Bituminis e mari mortuo prouentus & colligendi modus	785.
Burdegala litterarum cultrix	367
Burrhus Afranius Neronis praeceptor	605

C.

Caeſar Iul. quo cum Ariouiſto bellum intulerit	532.
Captiuitas Ioannis	
eius cauſa	384.
locus	387
tempus	389

Digitized by Google

Pag.
Carolo M. conuerſionis Germanorum gloria ſuum tribuenda 597
eius merita in chriſtianam religionem 599
Caſſius Longinus a Nerone ſupplicio adficitur 611
Catti 525
Cellulæ LXX. interpretum 283.
Cenchreæ 164.
Ceroma 354.
Chaldæi inuenerunt ſcientiam aſtrorum 633.
Chiron Saturni filius 243.
medicinæ repertor 243.
præceptor Aeſculapii 244.
chirurgus 244
centaurorum iuſtiſſimus 245.
Chreſtus Suetonii 306.
Chriſti ἀποθέωσις curante Tiberio 303.
de eo gentilium teſtimonia 301.
Chriſtiani beſtiis in ſpectaculis obiiciuntur 617.
Chriſtianiſmi ſtatus ſub Tiberio 305.
Claudio 305.
Traiano 309.
Chryſoloras 486.
Ciceronis epiſtolæ quomodo tractandæ 701.
orationes 704.
liber de officiis quando iuuentuti proponendus 702.
peregrinationes litterariæ 259. 355.
Cimbri qui 491.
eorum ſedes 492.
migrationis cauſſa 494.
qua via peruenerint in Italiam 496.
quo tempore Romani aliquid de illis audiuerint 496.
eorum bellum cum Romanis duce Papirio 497.
conſule Silano 501.
quo anno in Hiſpaniam ſe receperint 509.
vincuntur a Romanis 515
eorum reliquiæ 518.

Digitized by Google

Pag.
Ciuitatis romanæ cura & priuilegia 714.
eam peregrini [illegible] Cæſare acceperunt 717.
modus ad eam perueniendi 721.
Clepſydræ veterum 397.
Clinice ars 251.
Clinici medici 252.
ægrotantes ibid.
[illegible] 257.
Codex LXX. quantus fuerit 285.
num litteris eius aureis fuerint 284.
num Samaritanus an Iud. 289.
Coloniæ latinæ [illegible]
ciuium Romanorum 717. 720.
Colloquia adoleſcentiæ non commendanda 696.
Coloſſæ 159.
Coloſſenſes 159.
Conſtantii Chriſtianiſmus 324.
Conſtantini M. origo 325.
educatio 326.
bellum aduerſus Maxentium 327.
quando religioni Chriſtianæ ſe addixerit 328.
crucem in coelo vidit 329.
ſub eo felix ſtatus Eccleſiæ 330.
num templa Deorum euerterit 331.
Licinium & Filium necat 332.
eius baptiſmi dilatio vſque ad finem vitæ 334.
num fuerit Catechumenus 336.
eius malefacta 337.
num addictus fuerit ſectæ Arrianæ 338.
eius ſuperbia 340.
Corfinium Pelignorum in Italia vrbs 75.
Cornelius Cethegus orator 347.
Cornelius Nepos ſcholis commendandus 698.
Criſpi filii Conſtantini cædes 335.
Crucis a Conſtantino in coelo viſæ conditio 329.
Cteſias quis 581.
eius ſcripta ibid.

Digitized by Google

Pag.
haud fide dignus 61.
Cunæi Petri Orationes laudantur 705.
Cuthæi 118.
Cyprus 155.
Cyrenius præſes Syriæ. 52.

D.

Damaſcus 152.
Demetrius Phaler. an biblioth. regiæ Aegypt. præfectus 276.
eſt librorum amantiſſimus 276.
eius ſtatuæ ab Athenienſ. poſit. 277.
exſilium eius ibid.
Dianæ templum 440.
Dionyſius Periegeta
eius cognomina 678.
ætas ibid.
patria 685.
interpretes ibid.
Diſcendi modus Romanorum 362.
Domitiani animus erga Chriſtianos 308.
eius perſecutio qualis 431 ſeq.
Domitilla 453
Draco Aeſculapii 239.
Druſi Claudii origo 554.
educatio 555.
ingenium ibid.
præficitur bello Rhætico 556.
eius tres expeditiones aduerſus Germanos 558 ſeq.
αἰσυνόμος creatur 560.
ſpectro hoſtes inſequi deterritus fuit. 564.
eius tropæum 565.
mors 567.
cognomen Germanici 568.
cenotaphia 567.568.
vxor 569.
liberi ibid.
Durocortori prouentus fuit litterarum 369.
Ebræ-

Digitized by Google

E. — Pag.

Ebræus Codex non eſt corruptus 397

Eccleſiæ ſeptem in Apocalypſi mem. 412.

cur ſeptem tantum memor. 419.

Educationis ratio apud Roman. 351.

Eloquentiæ ſtudium Romanorum 352.

Empirice ars 251.

Æmilianus 95. 344. 46.

Epheſinum templum num ab Ioanne Apoſt. euerſum 421.

Epheſus 165. 439.

Etnarchæ dignitas 44.

Euſtathius Dionyſii Perieget. interpres 681.

F.

Fabius Clemens Chriſtianus factus 308.

Fabius Pictor primus roman. hiſtoric. 185. 468.

Fauſtæ vxoris Conſtantin. cædes 331.

Feminæ medicæ 264.

Fiſcus Iudaicus [illegible]

Friederici Sapientis fauor erga Luther. 800.

Fulminatrix legio 519.

G.

Gabinius A. Samariam reſtituit 14.

Gallieni ſocordia & ignauia 16.

[illegible] 18.

Gallio proconſul Achaiæ 69.

Gallogræcia. [illegible]

Garizim mons, templi Samaritanæ gentis ſedes. 130.

Gentilium teſtimonia de Chriſto. 301.

Geographiæ utilitas in ſacris litteris 101.

Germanici cognomen 646.

Germanici Cæſaris origo 647.

adoptatio 648.

ſtudia 649.

inſignis poëſeos facultas 650.

virtutes 651.

milites eum impetorem poſcunt 657.

res geſtæ Auguſto ſuperſtite & Tiberio imperante. 658

 eius

Digitized by Google

Pag.
eius triumphus 663.
arcus triumphalis ibid.
Arateorum tranſlatio num ſit Germanici Cæſaris 675. 676.
mors 667.
ornamenta poſt mortem ibid.
Germania quando Euangelii luce fuerit illuſtrata 598.
Germanorum libertas 526.
origo 575.
illa non deducenda ab Aſchkènaz Iapheti nepote 577.
nec ex Chananæis 579
Bochartus eam ex Aegypto deducit ibid.
Getæ, qui 98.
eorum ſedes 100
lingua ibid.
Gothi veteres
eorum origo 96.
lingua 101.
nomen 103. ſq.
Gothones Taciti qui 97.
a Græcis litteræ in Italiam tranſlatæ 574.
Græcæ linguæ ſtudium primum apud Romanos 352.
Græcæ litteræ quomodo tractandæ 709.
Gymnaſtice. 258.

H.

Haphe pulueris adſperſio. 254.
Harduinus Ioſephum Fl. pro ſuppoſititio auctore habet 208
Haſmonæorum regnum 229
Helena num Conſtantii concubina fuerit 329.
Hemath regionis an vrbis nomen 189
Hermunduri 588.
Herodum genealogia 174.
Herodes Antipatri filius 209
eius dominatio 210.
regni eius fines 211.
ethnarcha. 213.

Herodes Chalcidus 223.
Herodes tetrarcha. 216.
Herodias Ariſtobuli filia. 384.
Hierapolis 63. 160.
Hieroſolym.
oppugnat. 40.
templum captum 41.
ſtipendiar. Rom. 46.
Hippocratis iuſiurandum. 233.
Hiſpanus quis dicatur 73.
Hiſpanienſis quis ſit 73.
Hiſtoriæ ciuilis vtilitas in ſacris litteris 201.
Hiſtoriarum ſtudium apud Rom. 345.
Hiſtoriæ laus 54.
Homerus
ab eo adoleſcentuli auſpicabantur. 671.
Horatii laus 690.
Hortor. penſil. Babyl. auctor 68.
Hygeia ſiue Hygia filia Aeſculapii 246.
Hyrcani pontificatus 42.
num ei regnum ab Pompeio fuerit reſtitutus. 44.
Hyrcani expeditio in Sam. 133.
I
Iaſo filia Aeſculapii 247.
Iatraliptæ. 253.
Iatraliptice ars 252.
Iechonias captiuus Babylonem mittitur. 187.
Iezrael 183.
Illyricum græcum & barbarum 164.
Interdictio ignis & aquæ 435.
Inſolatio 256.
Ioanni Apoſtolo Aſia Euangelio illuſtranda obuenit 421.
num Romam abductus fuerit 423.
eius exſilii tempus 425.
cauſſæ 434.
locus 436.
reditus ab eo 465.
vbi vixerit poſt exſilium 454.

 vbi

Digitized by Google

Pag.
vbi mortuus ibid.
Ioannis Baptiſtæ habitatio 170.
eius victus 171.
baptiſmus 172.
captiuitas 175. ſq. 384.
nomen Ioannis 376.
Baptiſtæ. ibid.
cognomem præcurſoris 379.
antecurſoris ibid.
Eliæ ibid.
ſedes 380.
interfector 389.
mors 390.
ſepultura 390.
combuſtio 391.
Ioannis nominis ſcriptura ſine halitu probatur 178.
Ioiachin vid. Iechon.
Ioiakimus captiuus Babylonem abducitur 185.
quando 186.
Iordanes fluuius Paleſtinæ nobiliſſimus 736.
Ioſephi laus 207.
cur cædem infantium præterierit 230.645.
Iulia Mamæa mater Alexand. Seueri num fuerit Chriſtiana. 321.
Iulius Cæſar ſcholis commendatur 705.
Iudæorum regreſſus in patriam 191.
criminationes in Samaritas 145.
Ius Quiritium a iure ciuitatis diſtinguitur 715.
Iuſtini apologia pro Chriſtianis 313.

L.

Langobardi
gens antiqua 104.
eorum nomen 105.
ſedes ibid.
lingua 106.
imperii diuturnitas 107
Laodicea 437. 449.
Legio fulminatrix 319.

Meli-

Pag.
Melitenſis 319.
Lex Porcia 152. 713.
Licinius a Conſtantin. necatur 332.
Linguarum [illegible] certus numerus fuerit ex συγχύσει Bab. 456.
Lingua Græca primum ſtudium Romanorum 352.
Linguæ Italicæ origo 90.
Linguæ Latinæ gloria 90.
purioris primum [illegible] 91.
cuius nomen 91.
corruptio 107.
origo 458.
eam primi poëtæ excoluerunt 464.
eius ætas aurea. 478.
argentea. 479.
ænea 481.
ferrea. 483.
inclinatæ Auguſti tempore cauſſæ 479.
reſtitutio 486.
Lingua Slauonica 102.
Liuius Andron. primus fabul. Rom. doct. 343. 464.
Liuia Druſilla 554.
Liuii Patau. laus 207. 477.
Patauinitas ab Aſin. Pollione obiicitur. 477.
Litterarum humanitatis vtilitas 373.
Litterarum ſtatus tempore Auguſti 366.
Lota S. S. mutata a LXX. 296.
Logicæ vtilitas in ſacris literis 203.
Lotiones paganorum corpus & mentem purgant 171.
Lucretius 467.
Lucubrationes veterum quotuplices 399.
matutinæ veſpertinis præferendæ 401.
Lutherus
eius Pathmi. Iſenacens. 798.
Coburgenſi 799.
proſcriptio 800.
reditus Wormatia 801.

Iii in ai

Pag.
in arcem Warteburg concluditur 802
litterarum eius commercia ex Pathmo 802.
Pathmus eius in quantum cognita 805.
eius ſubductio non in fraudem edicti Wormatienſis ſuſcepta. 807.
cum Friburgi fecialem dimiſerit cum litteris ad Cæſarem 813.
animus eius quietus 818.
ſcripta eius e Pathmo emiſſa 845
egreſſus e Pathmo 853.
Lyſtra 156.

M.

Machaon medicus 246.
Magi veteres qui fuerint 624
habebant omnem curam ſacrorum 626.
Magi Perſarum ſunt Aſtronomiæ periti 633.
eorum religio 634.
Magi Arabiæ 626
Magi Chriſtum quærentes qui 627. eorum patria ibid.
eorum profeſſio 632.
Sidus vid. Stella.
vnde ſciuerint ſtellam nouam portendere Chriſti natiuitatem 639.
eorum longum iter 642.
num reges fuerint, muneraque eorum oblata 643.
Manaſſes in captiuitatem abducitur 183. a quo. 183.
quando 184.
Maris mortui origo ac magnitudo 777.
conditio 781.
bitumen 785.
vid. bitumen.
eius coloris mutatio 787.
nomina 788
Marius dedicat ædem Honori & Virtuti 518
eſt ignarus litterarum 314.
præficitur bello Cimbrico 509.
merita eius in iſto bello 576.

Digitized by Google

Pag.

Maſſilia litterarum ſedes 365.
Matutino tempore operari ſalubrius eſt 409.
Medici an olim ſerui 264. 265.
Medicina ab ingenuis exercita 265. pars philoſophiæ 263.
Medicorum auctoritas 263. ſectæ 250. ſq:
Mediolan. litterarum ſedes 365
Meditrina 249.
Melampus medicus 259
Melite 168.
Melitena legio 319.
Meſſias geminus 125.
Minerua medicinæ Dea 234. Pæonia 235. Cabardia ibid.
Memor ibid.
Mithræ cultus apud Perſas 635.
Mitylenæ litterarum ſedes 355.

N.

Næuius fabulas docet. 142. 145.
Neapolis non eſt Samnia 117. eius nomina 122.
Neronis Claudii origo 602. indoles 603. præceptores 604. 605
ſtudia 606.
eius qualitatis animi in peiorem commutati cauſſæ 607. ſq.
ſcelera 609. incendit vrbem 613.
perſecutio Chriſtianor. 614. exitus vita digniſſimus 620.
Nicolaitæ 434.
Nicopolis Macedoniæ 165.
Nimrod quis 16.
Ninus quis ibid.
eius potentia 17.
Ninus, vrbs ad Tigrim ſita 64.
Noctis diuiſio in vigilias apud veteres 393.
in tres vigilias apud Ebræos ibid.
in quatuor vigilias apud Roman. 394.

O.

Ocularii 252.
Odenathus quis 13. eius nomen ibid. expeditio in Perſas ibid.
ex Perſis victoria 14. imperium 18. 21. mors. 21. 22. filii. 26.
Oenotri, 458.

Ora-

Digitized by Google

Pag.

Oraculum Apollin. de Chriſto Auguſto datum 301.
Oracula poſt Auguſti tempora non ceſſarunt 340.
Orator. ſtudium apud Roman. 346.
Oratoris vis in ſacro ſtudio 202.
Orientalium Sapientia 613.
Oſca litterarum cultrix 366.
Oſymanduæ biblioth. 273.
Ouidii laus 690.

P.

Pæon Deorum medicus 249.
Pæoniæ herbæ 250.
Pætus Thraſeas à Nerone interficitur 611.
Pallauicinus notatur in hiſtoria de Luth. 797.
Palmyræ ſitus 4. origo 5. nomen 6. fata. 7.
Palmyreni imperii interitus 32. 34. initium 32.
num romanum id dici poſſit 34
Panacea Aeſculapii filia 247.
Papirius Carbo cladem accipit à Cimbris 497.
Pathmos inſula 437.
Pathmus Lutheri vid. Luth.
Pauli fuga in Arabiam 153. in Neronis perſecutione perit 619
cuius ciuitas romana 157. 710. flagellatio 728.
num fuerit togatus 733. epiſtola ad Laodicenos 450.
Pentapolis ſingulari amoenitate fruebatur 736.
Pentapoleos origo 744. ciuitatum numerus 745. ſitus 746.
Pentateuchus tantum a LXX. tranſlat. 286.
Peregrinatio ſalubris 259.
Peregrinationes litterariæ Romanor. 355.
Pergamus 444.
Perſecutio ſub Adriano non nona fuit 311. Domitiani 431.
Neronis 615. Septimii Seueri 320.
Perſecutiones num decem atrociores fuerint 611.
Petrus num Romæ fuerit 620. an Romæ a Nerone cruci ad-
fixus fuerit 619.
Phædri Fabulæ commendantur 697.
Philadelphia 448.
Philippi Macedoniæ 262. 711.

Philip-

Digitized by Google

Philippus Arabs num princeps primus Chriſtianus fuerit 322.
eius malefacta 323.
Philologiæ ambitus 196.
Philologorum optimum genus 414.
Philoſophiæ vſus in eloquentia 149.
moralis vtilitas in ſacris litteris 204.
Phthiſicorum nauigatio in Aegyptum 261.
Piſiſtratus bibliothecarum ſtudioſus 274.
Plinii Epiſtolæ commendantur 705.
eius ſententia de Chriſtianis 319.
Plautus 344. 466.
Plutarchus de educatione puer. adoleſcentia non commendandus 708.
Pluuia a Chriſtianis in Marcoman. bello impetrata 314.
an per magicas artes fuerit excitat. 316.
Podalirius medicus 245.
Poëſis latina facit ad culturam latinæ linguæ 687.
Teutonica 693.
Polycarpus epiſcopus Smyrnæorum 443.
Pompeii M. expeditio Iudaica 35. continentia 41.
Pomponius Lætus 487.
Pomponius Mela ſcholis commendatur 699.
Poſtumus Galliarum defenſor 12.
Priſcianus 486. Dionyſ. Perieg. interpres 686.
Proconſules 156.
Propædeumatum vtilitas 195.
Prudentiæ ciuilis vtilitas in ſacris litteris 206.
Prudentii laus 691.
Pſychrolutæ 252.
Ptolemæor. bibliotheca 274.
Ptolemæi Philadelphi impietas 280. iſta examinatur ibid.

Q.

Quadratus Athenienſium epiſcopus 311.
Quirinius præſes Syriæ, vide ſub Cyren.

R.

Rabbiniſmi vſus 200.
Recitatio Romanorum eorum, quæ elaborauerant 364.
Rhetores Romæ auctor. Craſſo expulſi 348.

Pag.

Rhodus litterarum ſedes 355.
Riblat vrbs. 188.
Romanorum bibliothecæ priuatæ 357. publicæ 358.
modus diſcendi 362. educationis ratio 351. varia fortuna 3.
poſt togam virilem ſtipendia merebant 353.
peregrinationes litterariæ 355.
recitatio eorum, quæ conſcripſerant 364.
ſtudia litteraria 341.
Romani imperii magnitudinis cauſſa 600.
Rome Aeſculapii filia 247
Rubellius Plautus a Nerone interficitur 611.

S.

Salluſtius ſcholis commendatur 703. eſt nouator verborũ ibid.
Salus Dea Rom. 169. eadem quæ ſanitas ibid. an Hygia 248.
Salutis templum ibid. augurium 268. ſq.
Samaria obſcuratur 116. eius euerſio 113. magnitudo 115.
varia nomina ibid. inſtauratio 114.
Samaritan. gentis fata ſub Rom. 134. rebellio 135. nomen 109.
ſacra 137. religio 138. adorationis cultus 144.
habitationes 147.
Samothrace inſula 141.
Sanballates quis 128.
Sardes 447.
Scaliger Ioſ. poſſedit ſcripta Samarit. 137.
Sceptrum Iudæis ablatum quando 47. 51.
Semiramis quæ 65.
Seneca præceptor Neronis 604.
a Nerone interficitur 612.
Septimii Seueri animus erga Chriſtianos 320.
Sergius Paulus Cypri Præſes 156.
Serpens Alexandri 239. Deorum ſignum 240.
Aeſculapio cur additus ibid. aeneus Moſis 241.
Serui an medici olim fuerint 264.
Seruii Sulpicii laus 691.
Silii Italici otium 86. genus 72. cognomen Italici 72.
genitale ſolum ibid. ſq. prænomen Publii, Caii 79.
ſtudia 79. Scriptor fide dignus 92. Conſulatus 83.

Pro-

Digitized by Google

Pag.
Proconſulatus 85. mors 88. laus 691.
Sicariorum genus 72.
Sichem 121.
Sichemitæ 120.
Silanus a Cimbris vincitur 502.
Siſenna 346.
Smyrna 442.
Sodomitæ felices 755. feroces ibid.
Sodomæ ſedes 751. excidii eius tempus 756.
caussa efficiens 757. inſtrumenta 758. 759. 762.
ſubiectum 765. 769. 771. 773.
num incolarum & Lothi pecora quoque perierint 775
Soloe vrbs 673.
Soloeciſmus vnde 674.
Speculatores qui 389.
Stella magis viſa qualis 637. quo tempore exorta fuerit 638.
Sueui 525.
Sulla Claudii gener a Nerone interficitur 611.
Syriaca verſio notatur 428.

T.

Tacitus quando tractandus 707.
Templum Epheſinum num ab Ioanne Apoſtolo euerſum 422.
Telichteſi 546.
Terentii fabulæ ſcholis excludendæ 344. 466. 696.
Terminorum ſcientiæ vtilitas in ſacro ſtudio 203.
Teſtamentum nouum græcum quomodo pueris explicandum 708.
Teutones 493.
Teutoni qui ibid. eorum migratio 494.
a Romanis vincuntur 512.
Tiberii Chriſtianiſmus 304.
Tigurini 516.
Thirza 113.
Thyatira 446.
Torquati Silani mors 611.
Traiani animus erga Chriſtian. 309.
Tropæa veterum 565.

Digitized by Google